







PHILOS. MORALIS SIVE

CIVILIS DOCTRINÆ DE MORIBVS

LIBRI IV.

Quibus tota ista disciplina non tantum ex Aristotele, sed optimis quibusq; veteribus & recentibus auctoribus fusè explicatur.

AVCTORE

CONRADO HORNEIO, S. Th. L. & quondam Philos. nunc S. litterarum in Acad. Iulia Professore.

Editio tertia priori emendatior.

Cum Indice capitum singulorum librorum.

Francofurti ad Mœnum,

Typis & impensis Ioannis Pressii, per Theodoricum VVessellum.

M. DC. LIII.













Magnificis & generosis Dominis

ERNESTO A STEINBERG,

ILLVSTRISSIMI PRINCIPIS FRIDERICI VLRICI, DVCIS BRVNSVIC. ET LVNÆBVRG. CONSILIARIO INTIMO ET LOCVM TENENTI in Bodenburg & Bruggen/

ET

THEODORICO BEHR,

Reverendissimi & Illustrissimi Principis,

CHRISTIANI,

Electi Episcopi Mindens. Ducis Brunsuic. & Lünæburg. Consiliario intimo, & Ducatus Grubenhagici Expræfecto, *hæreditario* in Stellichte & Heußling/ Patronis suis maximis.

S. D.

Magnifici & Generosi viri.

CVm nihil sit sanorum omniũ iudicio, in quo cum maiori sive periculo homines errent, sive fructu rectè se gerant, quam ea studiorum sapientiæ pars, quæ universæ vitæ nostræ dux & moderatrix est, nescio tamen qui fiat, quod nulla in re; in hac ipsa minus operæ & diligentiæ plerunq; ponitur. Nemo est tam ferus, quin de corporis commodis libenter serio cogitet, omnes illud accuramus, ei velificamur, id

 deniq;

denique, quibus fieri cunq; modis potest, à noxa & iniuria immune, quod in nobis est, præstamus, animi autem, qui solus vitæ princeps est, quotusquisq; curam gerit? Itaq; fit ut plurimi peragant hanc fabulam citius, quam recogitent in quo proscenio, quibus spectatoribus, quã personam sustinuerint. Alij dum vitæ instrumenta colligunt, abeũt, alij dum vivere incipiunt, alij quando ne inceperunt quidem; Sardanapali enim Caligulæ, Nerones, Caracallæ, Heliogabali, & quidquid præterea eiusmodi monstrorum est, si vixerunt, non hominum ea, sed bestiarum vita fuit. Nibil *profecto illis omnibus indignius nobis esse potest, si cordati, si eruditi, si denique Christiani sumus, quibus ipsa professio nominis non rectè tantum, sed piè & sanctè vivendi legem imponit. Sed hæc est nostra conditio, quò pejus habet animus, eo de remediis cogitamus minus, contrà quam in aliis fieri morbis solet. Si febri corpus æstuet, si hydrops id distendat, si arthritici dolores lancinent, medicum omnes inclamant, etiam irascuntur, si aut ille in promptu non sit, aut propinare pharmacum non properet. At si avaritia, ambitione, libidine, iracundia, injustitia, aut simili aliqua peste animus laboret, nihil minus in votis est, quàm ut iis medicina fiat. Adhibenda tamen est, & ut in morbis chronicis fieri solet, non semel atque iterum, sed sæpè ac diu, donec malum quod impetu non potuit, pertinacia vincatur.* Nec *sunt sanè leves hi, ut creditur, morbi, omnem vitam turbant, & integras, si incubuerint, respub. evertunt, ut divinitus dictum sit à viro sapientissimo,* facilius urbes expugnari quam animi affectus compesci. *Quare generoso hic & planè Herculeo pectore opus est, quod monstris istis objicias, si rectè quicquam in vita gerere, & portum aliquem felicitatis humanæ attingere cupis. Omnes eodem oceano jactamur, sed in quo alii in scopulos illidunt,*

alii

alij in solas terras eijciunt, feris præda futuri, pauci optatæ potiuntur littore arenæ. *Hi sunt qui ab ineunte ætate studiis sapientiæ dediti præceptis salutaribus pectus munierant antè, quàm istis fluctibus se crederent, qui quid fugiendum, quid sequendum in vita esset, ut digitos suos norant, qui deniq; animum virtute, mentem prudentia stiparant. Nec verò vita privata tantum hoc unicè requirit, sed maxime respublica. At hodie plerumq; contra fit, ut sæpè miratus & indignatus sim in tanta litterarum & eorum qui litteras hac ætate colimus, quâ nobiles, quâ ignobiles copia, nihil æquè contemni atq; insuper haberi quam illud ipsum studiorum genus, quod mores emendat, virtute hominem instruit, & vitam universam prudentem ac sanctam reddit. Sed causa eius rei me non fugit: ecquid enim morum doctrina salva sit, postquam mores ipsi in rep. usque adeò labuntur, ut pœnè* inter nocentes (*verbis utor S. Cypriani Martyris*) innoxium esse crimen sit & malos quisquis non imitatur offendat, imò ipsa jura consentire peccatis videantur & cœperit esse licitum quod publicum est? *ecquis ista discat quæ nemo amplius ferè agit, imò quæ annon noxia magis quam salutaria sint summi, imi, dubitare se luculenter sæpè ostendunt? Et profectò, si opes congerere, fastum & ambitionem explere voluptatum studio obbrutescere prima in vita sunt*, Quæque adeò possunt facere & servare beatos, *qui laboramus? quorsum ætatem in literis conterimus?* nec dux, nec comes hîc potest deesse, & res etiam ipsa sine duce, sine comite procedit: non pronum iter est ad vitia, sed præceps. *Quod si autem istis sunt illi scopuli, quos tota vita cautè & prudenter præternavigasse palmarium est omnis scientiæ, omnis doctrinæ, imò hac in re felicitas huius vitæ sita, qui fit,*

quod nulli rei minorem quam huic ipsi diligentiam impendunt qui ad remp. se parant: Iura & leges discunt, Politica tractant, rectè sanè, ut judicia aliquando obeant aut consilium salutare patriæ suggerant. Sed nihil hæc omnia prosunt si animus virtute non impletur, si contra injustitiam, avaritiam, cæteraq; vitiorum genera pectus à prima adolescentia non munitur, cum judex iniustus iudicium pervertere, & advocatus nequam causæ prævaricari hoc facilius possit, quo iuris peritior fuerit: nec enim iustus illico est qui quid iustum sit novit. Consilium autem salutare ne invenerit quidem, qui omnia utilitate vel ambitione sua metiatur, aut in senatum multarum quidem rerum notitiam, sed serium erga publica commoda affectum non attulerit. Et sanè mirū est omnes fere hodie sic statuere, difficultate non carere, ut scientia animum quis instruat, sermonem & mores peregrinos addiscat: at ut virtutem, fidem iustitiam, verbis factis & rebus omnibus servet, id verò facile esse, imo illud disciplina & diuturna institutione indigere, hoc ultro & aliud agentibus obtingere. Qua quidem, opinione nulla reip. perniciosior esse potest. Hæc cum animo meo inde usq; ex quo publice hic doceo observarentur, nec fieri isti rei medicinam posse intelligerem, nisi iuventus paullatim ad studia illa pridem neglecta revocaretur, & ad ea cum cæteris coniungenda à principio inflammaretur (noram enim nihil certius esse, quam prout in Academiis rectè aut pravè discitur, ita olim in republ. benè aut male vivi,) id cumprimis enitendum mihi aliquot abhinc annis censui, ut quantum meo loco possem, liquido auditoribus meis ostenderem, quæ essent hæ literæ, quo loco habendæ, & quàm præ omni alia doctrina (solam cœlestem excipio) reipub. sint unicè necessariæ. Quanquam autem id faciebam iis argumentis, quæ præcipua esse apud cor-

datos & recte natos ac eductos debent, quod sine virtutis accurato studio cætera eruditio nulla sit, imò resp. ipsa salva esse nequeat: maxime tamen ea etiam adferenda videbantur, quæ etsi prima non sunt, facilius tamen, ut nunc sunt tempora, in animos descendunt. Ubi id inculcabam & re ipsa comprobabam, nec in Politicis, nec Iurisprudentia, imo multis locis nec in ipsa Theologia eos feliciter versari posse, quia ista negligerent. Quapropter nec putavi statim ipsum textum Aristotel. mihi explicandum, sed uberioribus commentariis persequenda omnia, quæ ad philosophiam morum pertinerent, & Aristotelis adjecissent. Et verò Dei benignitate, non defuit conatib. nostris successus: tantam enim animorum alacritatem & ardorem in juventute nostra deprehendi, ut ista studia, quæ paßim locorum visa antehac obiter colenda, non minori frequentia & contentione nunc his tractent, quam ulla alia nullis omnino exceptis. Quod non tantum, ut par erat, calcar mihi tum addidit, ut ipse etiam hoc constantius in instituto pergerem, sed impulit, ut nunc etiam, postquam provincia illa alteri demandata est, quæ in hac doctrina non paullo alia forte ratione (præfiscinè id dicam) quàm vulgo fit, tradideram, relegerim & emaculaverim, in eam spem veniens, fore, ut hac ratione multi porro adhac studia cum cæteris rectius & diligentius colenda excitarentur, atq; ita pro ea qua paßim dominatur fucata prudentia vera solida ab iis pareretur. Quod vobis autem, viri generosi, inscribere hac voluerim, ejus rei causas habeo plurimas. Una & præcipua est, quod vos ita ab ineunte ætate literas tractastis, sicut nos tractari eas ab omnibus oportere, qui ad primum locum in repub. aspirant, contendimus: nec enim aut prudentiam à virtute disjungendam censuistis, aut nonnullis nuper natis sophismatis circũscri-

 ptistis,

pßistis, sed ita existimastis civilem doctrinam de repub. sine altera de moribus subsistere non posse, nec utramque aliter quam omnium sapientum quà Græcorum, quà Latinorum in hoc genere monumentis cognoscendis & pervolutandis vix longo demum tempore acquiri. Altera causa est quod uterq; in his terris primo in repub. loco merito vestro constituti estis, quorum auctoritate saltem permoveri poterunt qui rationibus non cedunt. Cum enim nemo sit quin vos admiretur, & sapientiam ac virtutem vestram colat, non potest facilè quisquam ea studia contemnere, quæ sola id effecerunt ut tanti & tam admirabiles existeretis. Et *verò insignis vestræ virtutis & studiorum non paullo rectius institutorum quam vulgò fieri amat, vel unum istud documentum egregium esto, quod cum dignitates quibus partim fungimini partim perfuncti maxima laude estis tanta essent, ut maiores deferri non possent, invitißimi tamen eas susceperitis. Testari id ego possum qui ipse hoc ex te quidem Magnifice Dn.* BEHRI *in prædio tuo totius audivi, cum ante octennium in aulam vestram primum cum familia commigrares, ex te autem, generose Dn.* STEINBERGI, *cum eo ipso die ad te ventitarem, quo publice Proprinceps nostra aulæ declaratus esses. Sane vidi utroque isto tempore, cum incredibili animi voluptate exprimi tandem aliquando re ipsa in maximis dignitatibus capessendis quod Socrates apud Platonem primo de rep. sapientißimè tradit:* Neque pecunia, *inquit,* neque honore ducti, viri boni imperare volunt. Neque enim apertè pecuniam magistratus præmium accipientes, mercenarii vocari volunt: neque clanculum, fures. Neque rursus honoris causa. Non enim ambitiosi sunt. Oportet igitur necessitatem illis imponi & mulctam, si futurum est ut velint magistratum

ſtratum accipere. Quamobrem videtur turpe haberi, ut quis ſponte ad imperandum accedat, neque expectet neceſſitatem. Maxima verò mulctarum eſt deterioris imperiū ferre niſi ipſe imperare velit. Hanc utiq; pœnam timentes, magiſtratus capere probi homines mihi videntur, ſi quando capiunt: & tunc ad eos accedunt, non tanquam ad emolumentum aliquod, neque tanquam ex his voluptatem aliquam capientes, ſed tanquam ad rem neceſſariam, cum neq; melioribus, neq; ſimilib. ſe committere valeant. Quippe ſi bonorum virorum extaret civitas in ea, ut arbitror, haud aliter non imperandi gratia pugnaretur, quàm nunc certetur imperandi cupiditate: ibique pateret, revera legitimum magiſtratum non ſui ipſius, ſed ejus qui ſub ipſo eſt, commoditatem reſpicere.

Hac ille: quibus profecto nihil praclarius aut ab ipſo dici aut à vobis agi potuit: nec tamen hoc aliunde quam ex hac diſciplina cognoviſtis, & harum litterarum longo uſu ad iſtam perfectionem perveniſtis. Hac fuerunt qua me ad vos hoc loco compellandos & vobis hanc lucubrationem commendandam permoverunt: quibus ſi etiam id acceſſit, quod utrique veſtrum jam pridem me charum, etſi nullo meo merito eſſe mihi perſuadeam, nec in eo quidem me planè falli ſpero. Quod ſupereſt quanta poſſum animi contentione rogo, ut benigna fronte omnia ſuſcipiatis, ac benevolentia veſtra porrò me proſequamini. Valete. Helmſtadii Idibus. Iun. CIↃ IↃ CXXIV.

Magnif. & generoſ. VV.
Obſervantiſs.
Conr. Hornejus.



IN PHILOSOPHIAM MORALEM REVERENDI ET CLArissimi viri Dn. CONRADI HORNEIJ S. Th. L. olim Philosophiæ, nunc verò S. Literarum in Academia Julia Professoris celeberrimi.

EPIGRAMMA. I. Ad Autorem.

SI modò Aristoteles se Manibus efferat imis,
Atque tuum Horneie *hoc nobile cernat opus;*
Sunt fateor sunt hæc mea; nec mea dixeris ultro
Optima, quisnam ille est, qui meliora facit?
Quisquis is est, multo me munere donat & ornat,
Veste novâ, genio, corpore, luce novâ.
Quam multos latuit, nostris latitare libellis.
Praxin, perspicuis detegit ille notis.
Ethnicus ab servor noster quæcunque reliquit,
Horneij *retegunt* Ethica *sacra* pii.
Quisquis hic, æternæ capiat qui præmia famæ,
Et quoque fortunæ præmia, dignus erit.

II. AD EUDEM.

DIceris Horneius *meritò,* Conrade *verende,*
Arrha tibi Cornucopiæ abundat enim.
Inde tibi spirant tot aurea scripta, tot artes,
Moralis sophiæ tot monumenta tuæ.
Hinc odor, hinc decus in patriam proficiscitur: à te
Hæc spirare negat qui bona cuncta negat.
Flamen virtutum, doctrinarumque venustas
In vita & scriptis spirat ubique tuis.

Nempe

Nempe tui cornu clangor tonat usque locorum,
Clangit in Eois Hesperiisque plagis.
Macte vir, atq; tuum cornu praefortiter infla,
Audiat ut mundi machina & aura poli.
Vt tamen hoc poßis studiosè inflare per aevum,
Afflet te Christi Spiritus ille sacer.


III.

AD SPECTATISSIMUM VIRUM Dn. CONRADUM EIFRIDUM Consulem civitatis Hannoviensis, Librarium celeberrimum.

L*ibrorum Excusor,* Conrade Eifride, *bonorum,*
Vir studiose DEI, *vir studiose mei:*
Tu non inservis cunctis Scriptoribus aurâ;
Sed tantum autores seligis hosce tibi,
Quos penes est doctrina sagax, ars atque probata:
Est quibus ingenii dives & arrha salis.
Hos tibi concilias, hos diligis hos & honoras,
Evulgas horum scriptaq; clara typis.
Non equidem studio vulgari, sed graviori
Curâ; permagnis sumptibus atq; tuis.
Hinc tibi cum Musis grates Ecclesia solvit
Hinc omnis Schola te cum pietate colit.
Vive valeque diu: Clarorum *scripta virorum*
Perge Typographicis amplificare notis.
Sic cum laude horum, tua laus quoque crescet ubivis:
Cumque his praeclarum nomen ad astra feres.

IOH. GUILHELMUS ROSABACHIUS. P.L.


INDEX



INDEX CAPITUM CIVILIS DOCTRINÆ De Moribus.

LIBRO I.

De summo bono & felicitate civili.



LIBRO

LIBRO II.

De homine, quatenus felicitatis civilis capax est, sive de animo & actionibus humanis, quatenus honestati imbui possunt.

LIBRO

INDEX CAPITVM.

LIBRO III.


De virtute morali.

LIBRO

LIBRO IV.

De virtute Dianoetica seu habitibus mentis.

PHILO-



PHILOSOPHIÆ MORALIS SEV CIVILIS DOCTRINÆ DE MORIBVS.

LIBER PRIMVS.

DE SVMMO BONO ET Felicitate civili.

CAPVT I.

De duplici ratione tradendi hanc doctrinam veteribus usitata, deque præcipuis auctoribus qui eam excoluerunt.

SUMMARIA.

1 *De quibus hic præfandum sit.*
2 *Quomodo veteres hanc doctrinam explicarint.*
3 *A quibus unumquodque ejus genus doceatur & quodnam primò tractandum.*
4 *Auctores qui hanc doctrinam tradiderunt.*
5 *Secta Ionica.*
6 *Secta Italica seu Pythagorea.*

7 *Secta Eleatica.*
8 *Nihil fere ex scriptis Pythagoreorum & Eleaticorum superesse.*
9 *Philosophiam Ionicam usq; ad Socratem contemplationi deditam fuisse.*
10 *Quinam auctores ex Socratica schola supersint.*
11 *Quid de discrepantia eorum sentiendum sit.*

I. *De quibus his sit præfandum.* PRopositùri civilem doctrinam de moribus, hoc est, eam studii sapientiæ partem, quæ cùm utilitate tùm necessitate Philosophiam cæteram omnem superat, opus esse minimè censemus, ut iis hic immoremur, quæ de Philosophiæ universæ natura ac constitutione dici poterant. Petet ista aliunde qui volet: etsi enim hæc disciplina, si ordinem spectes quo addiscitur, prior est, Philosophia, si ordinem spectes quo addiscitur, prior est, Philosophia, quæ rerum contemplationi vacat, ut sicubi de universa sapientia humana præfandum aliquid est, id hic commodius, quàm in cæteris ejus partibus, fieri posse videatur: tamen cum in Logica, quæ ut instrumentum & vestibulum est omnis bonæ eruditionis, ita etiam ante hanc doctrinam cognosci debet, delineatio ejusmodi totius Philosophiæ plærumque ob oculos ponatur, nos nunc quod institutum nostrum propius attingit, agamus. Antequam autem ad rem ipsam accedatur, duo præmittemus; unum est, de ratione tradendi hæc studia apud veteres usitata & auctoribus, qui primi ea excoluerunt; alterum de constitutione & partibus hujus Philosophiæ, de ordine quo tradenda est, & si quid istis aliud est simile.

Quem-

Quemadmodum igitur duæ animæ facultates sunt, quæ ab hac doctrina perfectionem seu potius medicinam expectant intellectus & Appetitus, ita etiam duo ista præstat, unum, ut intellectum rectis de vita instituenda sententiis imbuat, alterum, ut voluntatem & appetitum ad ea quæ honesta sunt, excitet & consuefaciat: *neque enim sufficit scire, quid virtus sit, sed parare eam oportet, & vita exprimere*, ut docet Arist. lib. ult. Ethic. c. 9. Prius accuratam de virtute & honestate disputationem, posterius præclaras admonitiones & cohortationes requirit. Quod cum animadverterent viri sapientes, utrumque caput diligenter excoluerunt, & illud quidem *dogmaticum*, hoc *paræneticum* & præceptivum vocarunt. Et sane utrumque ad consumandam hanc Philosophiam necessarium est, quod præclarè & uberrimè demonstrat Seneca epist. 94. & 95. Est præterea & tertium genus quod *characteristicum* appellant. Id non tam docet, disputat, vel etiam cohortatur, quam virtutum & vitiorum accuratas descriptiones, tanquam in tabula, proponit, ut Theophrastus Aristotelis discipulus fecit in aureo characterum Ethicorum libello, cujus particula aliqua etiamnum extat. Sed hoc partim ad dogmaticum, partim ad paræneticum revocari potest. Epictetus capite 76. Enchiridii totam Philosophiam hanc in tres locos distinguit. *Primus*, inquit, *& maximè necessarius in practica Philosophia locus est is, qui agit de usu decretorum, veluti de non mentiendo: alter, qui demonstrationes tradit, veluti cur non sit mentiendum: tertius is qui*

II. Quomodo veteres hanc doctrinam explicarint.

Genus dogmaticum & pareneticum.

Item characteristicum.

Tres loci huius Philosophiæ iuxta Epictetum.

has ipsas cõfirmat & distinguit, veluti, quî fiat, quod ista sit demonstratio, quid demonstratio sit, quid consequentia, quid pugna, quid verum, quid falsum. Hæc ille: quæ cum supra dictis conveniunt, nisi quod Stoicorum more Dialecticam inter partes Philosophiæ ponit, qua de re alius dicendi locus est.

III. *A quibus unumquodque genus doceatur, & quodnam primò tractandum.* Cæterum dogmatica illa tractatio ad solum Philosophum spectat, parænetica etiam ad poëtas & historicos: nam & his propositum est, vitam hominum ad virtutem informare, & à vitiis avocare. Sed nudis decretis & demonstrationibus Philosophus utitur: historicus narratione eorum, quæ olim facta sunt, sed verâ: poëta autem partim verâ, partim fictâ rerum expositione & fabularum involucris rem gerit. Quanquam autem locus ille de usu dogmatum, si utilitatem respicias, prior est altero de ipsis dogmatibus, ut rectè dicit Epictetus: hic enim ad illum tanquam finem refertur: tamen naturâ prius est dogmata recta & firma tenere, quàm rectè agere. Quapropter primum id est, si quis Philosophiæ morali operam det, ut rectè de vita omni sentiat, judicium informet, & quid amplectendum, quid fugiendum sit, probe perspectum habeat. Ni fiat, nec cohortationes alicujus momenti esse possunt, nec actiones præclaræ suscipi. Imò quidquid in paræneticis traditur, id ad alterum illud caput, tanquam normam exigi, & inde, sicubi aberretur, emendari debet. *Actio recta non erit*, ait Seneca epist. 95. *nisi recta fuerit voluntas: ab hac enim est actio. Rursus voluntas non erit recta, nisi habitus animi rectus fuerit: ab hoc enim est voluntas.*

Seneca.

luntas. Habitus porrò animi non erit in optimo, nisi totius vitæ leges perceperit, & quid de quoque judicandum sit, exegerit, nisi res ad verum redegerit. Non contigit tranquillitas, nisi immutabile certumque judicium adeptis cæteri decidunt subinde & reponuntur, & inter omissa appetitaque alternis fluctuatur. Hæc Seneca. Exemplo sit ipse ille cum cæteris è porticu Philosophis. Omnes hi quoties doctrinam de contemnenda morte tractant, usque adeo præclarorum præceptorum, & cohortationum nihil reliquum faciunt, ut cæteris ferè omnibus palmam in eo genere præripiant: eo tamen nonnunquam provehuntur, ut sibi etiam manus adferri rectè posse dicant, ut ex ejusdem Senecæ epist. 28. constat. Quod quidem dogma, quàm absurdum & impium sit: Plato in Phœdone, & Aristot. 3. Ethic. cap. 7. docent. Idem ferè ipsis accidit cum de tranquillandis animi affectibus commentantes, sapientem illum suum ab omni motu vacuum faciunt, & vitam cum Deo ex pari viventem. Quamobrem accuratè ante omnia dogma unumquodque excutiendum est, & ex principiis rectæ rationis examinandum: deinde cæteris locus erit. Nos breviter dogmatica ita persequemur, ut etiam parænetica, quantum fieri potest, non negligamus. Tantum de ratione tradendi hanc Philosophiam.

IV. Auctores qui hanc doctrinã tradiderunt.

Auctores autem qui primi eam excoluerunt, & ad nos transmiserunt, multi & magni sunt. Nec tamen nunc de ijs loquor, qui ex peculiari Dei revelatione & inspiratione legẽ naturæ explicaverunt, & multa tradiderunt de vita etiam civiliter

Sacri. civiliter rectè instituenda, cujusmodi sunt David & cæteri Prophetæ, Salomo, Siracides & ipsi Apostoli: hi enim omnibus noti sunt. Tantùm de *Alij.* reliquis dico, qui solo naturæ ductu hanc sapientiæ partem invenerunt & docuerunt; quos ut summatim hic indicemus, paulò altius res repetenda est. Notum est ex Diogen. Laërtii præfat. in 1. libr. 6. de vita Philosoph. & Clementis Alexandrini primo Stromat, antiquissimos Philosophos omnes ad duo potissimum genera referri, *Duo Philosophorum genera.* unum Barbaricum, alterum Græcanicum. *Barbarico* complecti solent eos, qui apud gentes barbaras sapientiam coluerunt, quò pertinent Sacerdotes Ægyptiorum, Gymnosophistæ & Brach- *Barbaricum.* manes Indorum, Druides Gallorum, Magi Persarum atque his similes, quorum B. August. me- *Græcanicum.* minit lib. 8 de civit. Dei, c. 9. *Græcanicum* appellatur Philosophorum Græcorum, sive ij in Græcia vixerint, sive à Græcis oriundi alibi studia sapientiæ propagarint. Hoc vicissim est in triplici differentia: aliud enim Ionicum vocant, aliud Italicum, aliud Eleaticum.

V. Secta Ionica. *Ionica* disciplinæ princeps est Thales Milesius, unus è septem Græciæ sapientibus. Hic primus immortalitatem animæ docuisse, & tempore Crœsi Lydorum Regis floruisse dicitur Diogeni. Ejus discipulus fuit Anaximander, itidem Milesius, Anaximandri Anaximenes, & hujus rursus Anaxagoras Clazomenius, qui primus Mileto scholam Athenas transtulit. Anaxagoræ auditor fuit Archelaus Atheniēsis, magni illius Socratis præceptor. Hæc est successio Philosophiæ Ionicæ us-

cæ usque ad Socratem, ut traditur à Clemente Alexandrino lib. 1. ςρωματίων, & B. Augustino l. 8. de civ. Dei cap. 1. Socrates autem eam postmodum ita amplificavit & illustravit, ut instar ubertimi fontis in plurimos rivos abiret: post Thaletem enim & Pythagoram omnis Philosophiæ pater ille est, & floruit Athenis circa bellum Peloponnesiacum & Olympiadem XC. moritur autem anno 1. Olympiad. XCV. ut testatur Laërtius. Ex ejus schola prodiit Plato Athe[redacted], Aristippus Cyrenaicus, ad quem Cyrenaici [redacted]losophi in Africa originem retulerunt, Phæd[redacted] Eliensis, à quo Eliaci dicti, Antisthenes præceptor Diogenis Sinopensis, qui Canis vocatus est, & Cynicis ortum dedit, & deniq; Euclides Megarensis, Philosophorum Megaricorum princeps. Quæ & quot familiæ ex quibus quid quæque doctrinæ Socraticæ potissimum apprehenderit egregiè docet Cicer. 3. de Orat. Verba ejus sunt: *Cum essent plures orti ferè à Socrate, quod ex illius variis & diversis & in omnem partem diffusis disputationibus alius aliud apprehenderat, proseminatæ sunt quasi familiæ dissentientes inter se & multum disjunctæ & dispares, cum tamen omnes se Philosophi Socraticos & dici vellent & esse arbitrarentur. Ac primò ab ipso Platone, Aristoteles & Xenocrates: quorum alter Peripateticorum, alter Academicorũ nomen obtinuit: deinde ab Antisthene, qui patientiam & duritiam in Socratico sermone maximè adamarat, Cynici primum, deinde Stoici tum ab Aristippo, quem illæ magis voluptariæ disputationes delectarant, Cyrenaica Philosophia manavit, quam ille & ejus posteri simpliciter defenderant. Fuerunt etiam alia genera*

Socrates.

Discipuli ejus.

Philosophorum, qui se omnes ferè Socraticos esse dicebant. Eretriacorum, Herilliorum, Megaricorum, Pyrrhoneorũ sed ea horum ut & disputationibus sunt jamdiu fracta & extincta. Hæc Cicero. Sed inter omnes emicuit Platonica: quę in duas vicissim scholas divisa est, in Academicam & Peripateticam. Academicæ princeps est Speusippus Platonis è sorore nepos, Peripateticæ Aristoteles. Illa dogmata Platonis o[redacted]etinuit, hæc tantum prout correcta erant [redacted]Aristotele. Cæteræ ignobiliores sunt, nisi [redacted]od Cynica Stoicam nobis peperit. Ejus princeps est Zeno ex Cittio Cypri oppido oriundus: hic enim cum Crateri Thebano, Diogenis auditori, operam daret, offensus Cynicorum moribus impuris, rigidam eorum vitam secutus est: sed sine impudentia Cynica. Hinc illi sunt qui ab ipso Zenonii primùm, pòst à loco ubi docebat, Stoici appellati sunt. Plato vixit circa tempora Philippi Macedonis: mortuus enim est XIII. regni ejus anno teste Diog. Laërt o. De Aristotelis ævo res nota est. Zeno Citticus vixit tempore Philadelphi Regis Ægypti L. anno Monarchiæ Græcæ & Olympiad. CXXIX. Ex his scholis Peripatica quidem & Stoica uniformes perseverarunt, sed Academia fuit multiplex temporis progressu: primo enim à Speusippo usque ad Arcesilaum vetus Academia erat, cujus Doctores post Speusippum fuêre Xenocrates Chalcedonius, Polemo, Crates Atheniensis & Crantor. Arcesilaus autem mediã, & post Carneades Cyrenæus, (vixit hic paulo ante III. bellum Punicũ) novam Academiam auspicatus, est. quæ omnes Philo-

Platonica & Peripatetica Schola.

Stoica.

Academia vetus, media & nova.

Philoſophiam Platonicam excoluerunt, ſed aliter vetus illa, aliter media & aliter nova. Fuit pôſt etiam quartum & quintum Academiæ genus. Hæc eſt Ionica Philoſophia.

Italica conditor eſt Pythagoras Samius, qui ut eſt apud Ciceronem 4. Tuſc. cum *Superbo regnante in Italiam veniſſet, tenuit magnam illam Græciam cũ honore & diſciplina, cum etiam auctoritate, multaque ſæcula ſic viguit Pythagoreorum nomen, ut nulli alii viderentur docti.* Ita Cicer. cui conſentit ferè Iamblichus in vita Pythag. cap. 7. qui eum in Italia veniſſe Olymp. 62. ſcribit. Idem narrat, quæ urbes in magna Græcia ejus ope è ſervitute emerſerint, quâ oppreſſæ jacuerant. Ipſe quoq; Plato in multis Pythagoreorum ſectam ſequitur, ut teſtatur Ariſtot. 1. metaph. cap. 6. *VI. Secta Italica.*

Eleatica denique à Xenophane Colophonio cæpit, qui patria pulſus in Sicilia vixit circa LX. Olympiad. & Tarquinii Superbi regnum, quo tempore Pythagoram in Italiam veniſſe jam jam diximus. Senſit hic contraria Pythagoræ & Thaletis opinionibus. Ejus auditor fuit Parmenides Eleates, Parmenidis Meliſſus Samius; hujus Zeno Eleates, qui primus Dialecticam inveniſſe dicitur. Ex hac ſchola orti etiam ſunt Leucippus Eleates, Democritus Abderites, Protagoras, Pyrrho, à quo Pyrrhonii dicti, & Epicurus, à quo ſunt Epicurei. Eleatica autẽ à Parmenidis & Zenonis patria dicta eſt. Eſt enim Elia ſeu Velia Lucaniæ in Italia oppidum. Succeſſionẽ hanc Eleaticæ Scholæ vide apud Clemen. Alexandrinum l. 1. ϛρωματ. De hac loquitur Seneca ep. 88. qui ni- *VII. Secta Eleatica.*

Seneca de ea judicium. miæ ſubtilitatis ſtudioſam fuiſſe dicit. *Audi, inquit, quantum mali faciat nimia ſubtilitas, & quam infeſta veritati ſit. Protagoras ait de omni re in utramque partem diſputari poſſe ex æquo; & de hac ipſa, an omnis res in utramque partem diſputabilis ſit. Nauſiphanes ait, ex his quæ videntur eſſe, nihil magis eſſe quam non eſſe. Parmenides ait ex his quæ videntur, nihil eſſe in univerſum. Zenon Eleates omnia negotia de negotio dejecit: ait, nihil eſſe: Circa eadem ferè Pyrrhonii verſantur & Megarici & Eretrici & Academici, qui novam induxerunt ſcientiam nihil ſcire.* Vnde etiam σκεπτικοὶ, ἐφεκτικοὶ, ἀπορητικοὶ dicti hi Philoſophi ſunt, non minus atque illi ex nova Academia, qua de re legatur Agellius lib. 11. noct. cap. 6.

VIII. *Nihil ferè ex ſcriptis Pythagoreorum ſupereſſe.* Cæterum ex omnibus his Philoſophorum ſectis (de quibus plura lege apud Diog. Laërtium in præfat. lib. 1. de vit. philoſoph. & Juſtum Lipſiū l. 1. manud. ad Stoic. phil.) Pythagorica quidem multa admodum præclarè de Philoſophia morali tradidit, ſed pridem eſt quod deficit: cum enim Socratica Schola caput tolleret, hæc ſenſim expiravit. Nec Pythagoras tamē ipſe quidquam ſcripſit, ut teſtatur Plutarchus in vita Alexandri, item de fortun. & virtut. Alex. lib. priore, & Ioſephus lib. 1. contra Appionem, quanquam in contraria ſententia eſt Laërtius. Ex diſcipulorum autem ejus monumentis, præter pauca fragmenta cum Laërtio & Maximo Tyrio nunc edita, nihil ferè hodie extat. Tantum reliqua ſunt, quę de vita Pythagoræ Iamblichus, Malchus & Laërtius ſcripſere: quin etiam tabula Cebetis Thebani inventum Pythagoricum eſt. Quibus adde carmina

mina paucula, quæ Pythagoræ tribuuntur. Istis reliquis tam pulcrorum ac divinorum monumentorum, quæ periere, desiderium solamur. Similiter ex Eleaticæ scholæ doctoribus nemo hodie pæne exstat. *Nec de Eleaticorũ quidquã.*

Philosophia verò Ionica usque ad Socratem contemplationi tantum dedita fuit. Socrates autem ad vitam hominum excolendam & perficiendam eam transtulit: *Non enim*, inquit Xenophon. lib. 1. de dict, Socr. *De rerum natura, ut quamplurimi alii disputabat, nec quemadmodum qui à Sophistis mundus vocatur, se habeat, ille considerabat, nec qua necessitate singula illa fiant, quæ in cœlis sunt. sed qui his contemplandis vacarent stolidos esse demonstrabat. Et primo de his ipsis considrabat, utrum quod arbitrentur, se satis jam nosse humana ad illa rimanda venirent, an humanis dimissis divinas res contemplantes rectè se agere putarent. Deinde admirabatur, non intelligere eos inveniri ista, talia ab hominibus non posse, &c. De his igitur qui res ejusmodi curabant, hæc dicebat. Ipse vero de humanis semper disputabat, considerans quid pium, quid impium sit, quid honestum, quid turpe, quid justum, quid injustũ, quid sobrietas, quid insania, quid fortitudo, quid timiditas, quid civitas quid politicus; quid sit hominibus dominari, & qualis esse debeat qui aliis præsit, & de cæteris hujusmodi: quæ qui scirent, bonos & honestos esse dicebat: mancipia verò justè appellari qui ea ignorarent.* Hæc Xenophon. Idem tradunt cæteri auctores. Cicero in Academ. quæstion. sic scribit. *Primus Socrates à rebus occultis & ab ipsa natura involutis, in quibus omnes ante eum Philosophi occupati erant avocavit Philosophiam, & ad vitam communem adduxit*: Et rursus Tuscul. 5. *IX. Philosophia Ionica usq; ad Socrat. contemplationi dedita fuit. Sed Socrates eã ad vitam hominum trãstulit. Xenoph.*

Socrates primus Philosophiam devocavit è cœlo & in urbibus collocavit, & in domos etiam introduxit, & coegit de vita & moribus rebusque bonis & malis quærere. Nec aliter Val. Maximus lib. 3. cap. 4. *Socrates*, inquit, *cum eruditissimorum virorum ingenia in disputatione cæca vagarentur, mensurasque Solis & Lunæ & cæterorum siderum loquacibus magis quam certis argumentis explicare conarentur, totius etiam mundi ambitum complecti auderent; primus ab his indoctis erroribus abductum animum suum ad intima conditionis humanæ & in secessum pectoris repositos affectus scrutari coegit, si virtus per seipsam æstimetur, vita magister optimus.* Similia leges apud B. Augustinum lib. 8. de Civ. Dei cap. 3.

Valerius Maximus.

X. Socratis exemplum secuti sunt Platonici, Peripatetici & Stoici, qui ut cæteras, ita etiam hanc partem sapientiæ porrò locupletarunt & perfecerunt. Equidem Socrates ipse nihil scripsit, sed Plato omnem ejus Philosophiam libris suis exposuit, qui extant; neque non Xenophon aureis illis quatuor libris de dictis & factis memorabilibus Socratis, & libello de Symposio: uterque enim horum tanta laude inter Socratis discipulos excelluit, ut æmuli fuisse dicantur, qua de re mentionem facit Agellius libr. 14. cap. 3. Ex Platonicis porrò hodie extant Plutarchus, Plotinus, Alcinous, Apulejus & Maximus Tyrius. Cicero eclecticus potius est, quam certæ sectæ addictus, maximè tamen cum Platonicis sentit. Hinc 5. Tusc. sic dicit. *Tu quidem*, inquit, *tabellis obsignatis agis mecum, & testificaris quid dixerim aliquando aut scripserim. Cum aliis isto modo, qui legibus impositis disputant: nos in diem vivimus, quodcunque animos nostros probabi-*

Quinam auctores ex Socratica schola supersint.

probabilitate percusserit id dicimus. Itaque soli liberi sumus. Et 1. de offic.in init. *Nostra leges non multum à Peripateticis dissidentia, quoniam utrique & Socratici & Platonici esse volumus.* Ex Stoicis autem præcipui supersunt Seneca & Epictetus. Ipsius denique Aristotelis multi exstant libri de moribus, Nicomachei (quos nescio quo errore Cicero 5.de fin. Nicomacho ejus filio potius quàm ipsi Aristoteli tribuit) Eudemii, quanquam quartus, quintus & sextus horum iidem sunt cum quinto, sexto & septimo Nicomacheorum; Magna moralia & libellus de virtutibus. Sed perfectissimi sunt Nicomachei, in quos extant commentaria Græci Andronici Rhodii, nuper à Daniele Heinsio primum publicati, & Eustratii Archiepiscopi Niceni, Latini Averrois, D.Thomæ, Donati Acciaioli, & ex recentioribus Ioachimi Camerarii, Petri Victoris & aliorum:

Hos auctores omnes (nam ex Eleatricis nihil hodiè reliquum est, quod ad nostrum institutû facere aliquid possit) & si qui sunt iis similes, consulere oportet, qui in hac parte philosophiæ operæ pretium facere volet. Nec impedit quod discrepantes sæpè sententias habent, cum in præcipuis plerumque conveniant. Ita expresè docet Cicero lib.1.de leg. ubi ostendit Academiam veterem, Peripateticam & Stoicam sectam convenire rebus ipsis, distare vocabulis tantùm: *Sive*, inquit, *in Academia vetere cum Speusippo, Xenocrate, Polemone manserunt sive Aristotelem & Theophrastum, cum illis re congruentes, genere dicendi paullum differentes sequuti sunt. sive ut Zenoni visum est, rebus non commuta-*

XI. *Quid de discrepãtia eorum hic sentiendum.*

mutatis immutaverunt vocabula. Quod si tamen comparationem instituere placeat, ita censendum videtur; Aristotelem præcipuè in genere dogmatico excellere, cæteros paræneticum sibi vendicare. *Peripatetica disciplina*, inquit Camerarius prolog. in offic. Cicer. *humanissima fuit, quæ ad captum ingenii humani dignitatis ac virtutis præcepta accommodavit, neque veluti optando quid maximè quisque velle deberet, collegit, sed quid consequi etiam posset circumspexit. Stoici, ut ait Cicero, fines officiorum paulò longiùs quam natura vellet, protulere, ut cum ad ultimum animo contendissemus, ibi tamen ubi oporteret consisteremus. Itaque hi priora, præclara & luculenta opera eliminando videntur corrupisse: nam Academici certè cum Peripateticis sententiâ & dogmatis conjuncti earundem rerum diversa quodammodo explicatione usi fuerunt, ut aliter de aliis utrique loquerentur. Epicurei verò quasi abortivum Philosophiæ genus gravitatem hujus planè reliquerunt, & ad futilia quædam ac vulgo nota probataque traduxerunt disputationes suas, expertes omnis eruditionis, Aristippi placitis arreptis, quæ tamen ipsa alicubi corrupisse & reddidisse putantur molliora.* Hæc ille de schola Peripatetica. Nec minus luculentum encomium ejus apud ipsum M. Tullium est 5. de finibus. Verba sunt: *Tum Piso: etsi hoc, inquit, fortaße non poterit sic abire cum hic adsit (me autem dicebat) tamen audebo te ab hac Academia nova ad veterem illam vocare. In qua ut dicere Antiochum audiebas, non ii solum numerantur qui Academici vocantur, Speusippus, Xenocrates, Polemo, Crantor, cæterique, sed etiam Peripatetici veteres, quorum princeps Aristoteles, quem excepto Platone haud scio an rectè dixerim principem Philosophorum.*

De Peripatetica disciplina judicium Camerar.

Aliud Ciceronis.

rum. Ad eos igitur converte te quæso: ex eorum enim scriptis & institutis cùm omnis doctrina liberalis, omnis historia, omnis sermo elegans sumi potest, tum varietas est tanta artium, ut nemo sine eo instrumento ad ullam rem illustriorem satis ornatus possit accedere. Ab his oratores, ab his imperatores ac rerumpubl principes exstiterunt: ut ad minora veniam, Mathematici, Poëtæ, Musici, Medici denique ex hac tanquam omnium artium officina profecti sunt. Ad quæ ego: Scis me, inquam, istud idem sentire Piso. Ita Cicero. Quapropter etiam nos tanquam cynosuram doctrinam Aristotelicam sequemur, & ad ejus principia cæterorum dogmata potissimùm exigemus.

CAPVT II.

De natura & partibus Philosophiæ moralis, deque ordine quo tradenda est & idoneo ejus auditore.

SUMMARIA.

1 *Philosophia practica non est scientia neque ars.*
2 *Sed prudentia.*
3 *Quid inter Ethicam & Politicam intersit, & vulgaris philosophiæ practicæ divisio.*
4 *Divisio Averrois melior.*
5 *Quod Thom. Oeconomica tribuit ad Politicam spectare.*
6 *De partibus philosophiæ moralis.*

7 *Quo*

7. *Quo ordine tradi debeat.*
8. *Quis sit idoneus ejus auditor.*

I. *Philosophia practica non est scientia.*

UNiversam Philosophiam practicam tam eam quæ de moribus tractat, quàm quæ de civitate, ideo inventam esse; & ideo addisci, ut vitam hanc ejus beneficio rectè, & quantum natura duce fieri in ista imbecillitate nostra potest, feliciter transigamus, apud omnes in confesso est. Quarè primò constat, eam, ut jam ante etiam diximus, nudæ rerum cognitioni non adquiescere, adeoque nec scientiam, si propriè loquaris, nec sapientiam esse posse; nedum sit ipse ille habitus principiorum, quem intellectum Aristoteles vocat. Deinde & hoc facilè liquet, quanquam ad actionem tendat, & in hac cum artibus conveniat, tamen nec artem rectè dici posse: quas enim propriè sic vocamus, ignobiliores omnes sunt, quam ut inter partes Philosophiæ recenseantur, cum illa animi perfectionem spectet, istæ corporis usibus præcipuè destinentur. Adde quod actiones, quæ ab hac Philosophiæ parte proficiscuntur, propter se ipsas expetuntur, bene enim & recte vivere per se pulchrum & expetendum est, quæ verò ars præstat, illa plerumque non tam propter se quam propter aliud appetuntur. Ita vestes sarcire bonum est, sed ideo quod iis corpus tegi potest: ædium item exstructiones bonæ, quia eæ habitationem præstabunt.

Nec ad artes pertinet.

II. *Sed est.* Quum ergo in universum non sint, plures animi habitus principales, (nam cæteri, qui pro instru-

instrumentis sunt istis, huc pertinere non possunt, cùm per & propter se non expetantur, adeoque nec partes Philosophiæ sint) quam quinque, intellectus sapientia, scientia, ars & prudentia, ut enumerantur ab Aristotel. 6. Ethic. c. 3. & ostendetur à nobis suo loco, relinquitur; ut sub prudentiæ nomine tota hæc Philosophia activa comprehendatur: prudentis enim est, non alius, scire & dispicere, quicquid ad vitam rectè & feliciter agendam facit, ut docetur ibidem cap. 5. Quod si autem ad prudentiam spectat tota hæc Philosophia practica, sive potius ea est ipse ille prudentiæ habitus, eòdem etiam utique refertur hæc illius pars quæ de moribus agit. Nec impedit quod Ethica cadere etiam in hominem improbum videtur, quem prudentem tamen rectè non vocaveris, cùm quicquid tale in improbis est, non prudentia sit sed astutia & calliditas, dicente Philosopho loc. cit. cap. 12. text. 128. etsi enim Ethicæ scientissimus esse potest etiam is qui pessimè vivit, Ethicus tamen rectè & propriè loquendo non dicetur, sic nec medicus, qui cognitionem artis Medicæ habeat, medicinam autem facere, ubi vel t, & opus sit, non possit. Sanè Ethicus quis est tum etiam, ubi nihil præclari agit, puta quando dormit, aut aliâs explicandæ virtutis occasio nulla est, sicut medicus quoque, etiam cùm ægro nulli præsto est, medicus esse non desinit: sed hoc interest inter Ethicum verè ita dictum, & alterum, qui cognitionem tantum præceptorum Ethicorum habet, & interim improbus est, quod ille ubi fert occasio, rectè agere

Prudentia.

Objectio.

Respondetur.

C potest,

potest,& agit etiam:imò non potest aliter quam rectè agere,hic verè nec agit rectè,nec agere potest: planè ut & Medicus (perstabimus enim in hoc exemplo) qui verè talis est, ægrum quoties vult,rectè curabit,alter autem, qui nudâ tantum medicinæ cognitione instructus est,nec eam unquam factitavit, etiam quum volet curare rectè, sæpe non potest: *namque mel, vinum, veratrum, adustionem, incisionémve scire perfacilè est sanè*, inquit Aristot.5.Ethic.cap.9.text.111. *Sed quonam modo ad sanitatem efficiendam, & cui & quando sint tribuenda, tanta est difficultas scire, quanta est esse medicum.*

Vox Ethica æquivoca. ut & prudentia. Quemadmodum igitur æquivocationem patitur vox prudentiæ, ut interdum naturalis illa solertia,etiam in malis rebus,eo nomine censeatur, nec tamen,propterea verè prudens quisnam est, nisi qui omnia ad honestatem & virtutem referat: ita etiam Ethica æquivocè tantum dicetur illa præceptorum de virtute cognitio, si ipsa virtus absit. Atque ex his patet,ad habitum prudentiæ Ethicam pertinere.

III. *Quid inter Ethicam & Politicam intersit.* Verum enimverò cum eôdem etiam spectet Politica,quid inter hanc & illam intersit,scire oportet: quod ut verbo expediatur,de divisione totius Philosophiæ Practicæ constare hic debet. *Vulgaris divisio Philosophia activa.* Distribuitur autem ea vulgo in tres partes, in Ethicam,Politicam & Oeconomicam, pro triplici,ut loquuntur, ratione virtutis, qua imbui homo potest: ut enim privatim quis rectè vivat, sive in vita privata virtutem exerceat, Ethicæ munus esse ajunt, ut autem remp. bene gerat,Politicæ, ut denique rem domesticam,& familia-

millarem prudenter administret, Oeconomicæ: Ita docent Ammonius præfat. in Isagog. Porphyrii, Eustratius præfat. in Ethic. Aristotelis. Iohannes Damascenus Dialect. capite 3. D. Thomas in 1. Ethic. in princip. & Acciaiolus ibidem: item ex recentioribus Franciscus Toletus præfat. in Dialect. cap. 2. & Michael Piccartus in Prolegom. in Politic. Aristotelis. Averroes autem paraphrasi librorum Platonis de republica in initio, omnem Philosophiam practicam in duas partes tribuit, unam quæ in genere doceat, quicquid ad vitæ felicitatem civilem facit, & libris Ethic. ad Nicomach. tractetur, alteram, quæ ad specialia magis descendat, & explicetur in Politicis Aristotel. dicitque priorem illam se habere ad posteriorem, sicut in medicina doctrina de sanitate & ægritudine cognoscenda, ad reliquam quæ est de sanitate tuenda, & instauranda, moribusque curandis. Idem autem loco allegato & in Colliget. 1. cap. 1. doctrinam de sanitate & ægritudine cognoscenda vocat Theoricam, reliquam autem omnem practicam, cui consentit etiam Avicenna in Canticis par. 1. tractat. 1. qui & Cantica sua in duas partes tribuit, quarum priorem, quæ ὑγιεινὰ καὶ παθολογικὰ tractat, theoricam vocat, posteriorem in qua de medicamentis deque conservanda sanitate & fugandis morbis disputat, practicam. Cum ergo Ethicam se habere dicit Averroês ad Politicam, ut prior illa pars Medicinæ ad posteriorem, id vult, Ethicum & Politicum circa eadem pœnè versari, sed illum communiora

Ammon. Eustratius Damascenus. D. Thom. Acciaiolus. Toletus. Piccartus. Divisio alia Averrois.

& θεωρητικώτερα, hunc specialiora & πρακτικώτερα persequi.

IV. *Divisio Averrois alterâ melior.* Vtraque divisio non incommoda est, sed melior, nostro judicio, illa Averrois, quam plerique cum Piccolomineo hodiè sequuntur: nec tantum enim tota doctrina Ethica, tanquam communis quædam pars prudentiæ, refertur ad Politicam, sed etiam Oeconomica illa, Thomæ ita dicta, pars Politicæ est. Referri ad Politicā quæcunque in Ethicis traduntur, inde constat, quod unus & idem finis utrique sit propositus. Quod enim Ethicus simpliciter & in genere summum bonum vocat, illud optimus & felix reip. status est Politico, quodque virtutes sunt Ethico, id leges Politico, cùm lex nihil aliud sit quam præceptum de virtute auctoritate publica munitum: imò tota politica id agit, ut quod rectum esse & vitæ salutare Ethicus docet & demonstrat id ille in remp. introducat, & secundum præcepta illa etiam constituat. Atque hoc est, quod Aristot. 1. Ethic. cap. 2. text. 10. dicit, *unius hominis & totius civitatis unum idemque esse bonum.* Hinc etiam eodem loco totam Philosophiam practicam Politicam appellat, & 1. Mag. mor. 1. expressè dicit, tractationem de moribus *partim Politicæ esse*, quia ratione & 1. Rhetor. capite 4. Ethicam vocat *Politicam quæ circa mores versatur*. Quin & 7. Politic. capite 2. disertè tradit unam & eandem esse felicitatem singulorum hominum & universæ civitatis. Verba sunt: *Manifestum est, & hoc, omnes enim fatebuntur eandem (felicitatem) esse: quicunque enim in divitiis singulorum felicem vitam collocant, ii civitatem etiam*

Aristotel. totam Philosophiam practicam vocat Politicam.

etiamq́; totam, si dives sit, beatam prædicabunt: qui verò, vitam tyrannicam maximè probant, hi etiam civitatem quamplurimis dominantem felicissimam esse dixerint. Sin quis singulos hom..es propter virtutem in pretio habuerit, etiam civitatem dicet feliciorem eam quæ virtutis sit magis studiosa. Vnde ibid. cap. 1. eandem definitionem facit felicis civitat s & unius ac privati hominis: *Optima vita*, inquit, *& uniuscuiusque sigillatim & communiter ipsis civitatibus est illa quæ conjuncta est cum virtute, eousque bonis fortunæ instructâ, ut particeps esse actionum virtutis queat.* Et paulò ante dixerat: *Fortitudo autem & justitia & prudentia civitatis eandem vim ac formam habent cum iis secundum quas unusquisque hominum dicitur iustus & prudens & temperatus.* Quod autem Oeconomicæ tribuit Thomas, quique cum eo faciunt, id ad Politicum potius pertinere, itidem certum est: quicquid enim in familia administranda, non tam ad vitam tolerandam & rem faciendam, quàm ad rectè & honestè vivendum refertur, id omne propriè loquendo non Oeconomicum sed Politicum est, cum non tantum eundem finem spectet, quam Politica, sed etiam pro diversa forma Politiæ aliter atque aliter se habeat: Oeconomicum autem revera id tantum est, quod finem Oeconomicæ spectat, finis verò ejus sunt divitiæ, ut docetur 1. Ethic. capite 1. Quare etsi ea peculiaris disciplina est, tamen Philosophiæ pars non est, cum hujus sit munus præstare, non tam ut vivas, aut rem augeas & opes acquiras, quam ut acquisitis rectè utare. His ita expositis liquet jam quid inter Ethicam & Politicam in-

V. Quod Thomas Oeconomicæ tribuit ad Politicũ spectat.

Oeconomicæ finis divitiæ.

 tersit,

tersit, adeoque tota natura ejus se pandit: fuerit enim illa pars prudentiæ, quæ in genere disputat de vitæ felicitate: mediisque quibus ad hanc homo pertingere possit, quæ postmodum hinc accepta ad remp. traducit Politicus. Hæc de natura Philosophiæ moralis.

VI. *De partibus Philosophiæ moralis.* De partibus autem ejus nulla, credo, difficultas est: quemadmodum enim omnes cæteræ disciplinæ, quæ præter nudam cognitionem alium sibi finem propositum habent, tribus partibus constant, notitia finis, objecti & mediorum quibus ad finem pervenitur, sicut Averroës docet in in Colliget. I. cap. 2. ita etiam sine dubio Philosophia moralis tribus illis absolvitur. Et primò quidem de fine certos esse nos oportet, non quidem an sit, id enim supponi debet, sed quid sit; deinde de mediis considerandum erat, quibus comparari finis ille potest. Sed quia nec media illa rectè investigare possunt, nec finis in subjectum per ea introduci, nisi subjectum quoque quodammodo cognitum habeas, necesse est ut antequam de mediis agas, nonnihil etiam de illo dicatur. Tandem ad media pervenitur. Finis autem hic est, ut constat, vitæ felicitas civilis.

Objectū ejus. Objectum alii aliud faciūt, Averroës paraphrasi libb. Platonis loc. cit. actiones humanas esse vult, quarum principium sit humana libertas, Thomas operationē humanam, ut est ordinata ad finem, sive hominem, prout est agēs aliquod, quod voluntate suâ agit propter finem; Picolomineus humanam actionem ex hominis libertate prodeuntem, ut in ea honestum & quod decet na-

cet natum est refulgere. Nobis sufficit si dicamus, esse hominem quatenus felicitatis civilis capax est. Denique media sunt omne id quod felicitatem illam procurare potest. Istæ sunt partes Ethicæ.

Verum de ordine, quo tradi illæ partes quam rectissimè possint, dubitari hîc solet: etsi enim videtur nihil liquidum esse magis, quàm hoc, ut diximus, oportere, ut qui media fini alicui quærat, is primò omnium finem, eum sibi propositum & cognitum habeat; antequam de mediis statuat: qui est, ut Logici vocant, ordo analyticus: planè enim media illa ut referuntur ad finē, ita pro diversitate ejus, alia atque alia esse necesse est, tamen paullò pluribus hæc res hic explicanda est, cum non ita pridem omnia hæc controversa facere voluerit Franciscus Picolomineus, qui non tantum ipse primus, quod sciam, hanc Philosophiam tradidit ordine synthetico, sed etiam id recte ita fieri peculiari scripto, quem Comitem Politicum vocat, contra Iacobum Zabarellam acriter defendere conatus est. Pertinet autem tota hæc controversia ad Logicam, & ut verbo dicamus, quod res est, nititur opinio Picolominei falso fundamēto, nam ordinem doctrinæ & cognitionis nostrę cum ipsarum rerum ordine confundit. Ita enim expresśè docet introductione sua in civilem Philosophiam c. 17. & Comit. Polit. part. 5. in qua sententia etiam Aristotelem, & ex recentioribus Scaligerum fuisse dicit. Sed nec Aristoteles nec Scaliger id sentit: neque enim ex hujus exercitatione 2. tale quid elici videtur;

VII. Quod ordine tradi debeat.

Francisci Picolominei sententia.

Refutatur.

detur; De Aristotele autem ipsa res & tractatio Ethicorum contrarium ostendit. Quidquid verò sit, id constat, quorum unum sine altero cognosci non potest, illorum id quod ad alterius cognitionem præsupponendum est, necessario prius exponendum esse, siquidem certam & distinctam rei cognitionem polliceri lectori velis. Constat etiam longè aliud esse rem à natura ita produci & eandem à nobis hoc vel illo pacto cognosci: etsi enim nihil rectè cognoscitur nisi quod percipitur ut in re est, tamen non propterea eo ordine cognoscitur, quo quid factum est. Vnde Arist. non tantum 5. Metaph. text. 1. manifestè distinguit inter id quod naturâ prius est, & quod à nobis prius addiscitur, propterea quia facilius est, sed ipse toties ordinem rerum naturæ neglexit, quoties facilior cognitio id suadebat. Ita in Categoriis Relationem præposuit Qualitati in libb. de anima doctrinam de visu, doctrinæ de tactu & 1. de histor animal. cap. 6. prius de homine agit, quam de brutis, & quæ plura sunt talia diligenter à Zabarella collecta. Adde quod expresse 1. ethic. c. 4. text. 21. docet, *semper ab iis incipiendum esse, quæ notiora nobis sunt, non quæ natura*: quod quidem non tam de ratione probandi quæ methodus dicitur (quid enim minus dubium quam hic à notioribus semper incipiendum esse?) quam de ordine doctrinæ accipiendum est. Et profecto poterat id solum nos de mente Aristotelis certos facere, quod, ut jamjam diximus, ipse ordinem analyticum tam sollicitè in hac Philosophia observarit. Sine causa

itaque

itaque novitati hic studuit Picolomineus: neque enim argumenta, quæ adfert, alicujus ferè momenti sunt, si rectè expendantur, quorum confutationem leget in Apologia Zabarellæ qui volet. Nos insistentes vestigiis Aristotelis analyticum ordinem retinebimus, acturi, ut faciendum esse diximus, primò de fine Ethices, deinde de objecto ejus, & tertio deniq; de mediis, per quæ finis ille parari potest.

VIII. Quis sit idoneus auditor huius disciplinæ.

Jamque claudemus hæc prolegomena, si verbo adhuc monuerimus, quisnam idoneus hujus doctrinæ auditor esse possit. Explicavit hoc Arist. 1. ethic. cap. 3. & 4. Nec verò potest is esse quivis, cujus ætas alias disciplinarum capax est, ut in scientiis, sed ille demum, qui præterea etiam rectè natus & educatus est, ut non tantùm aliquod discrimen honestorum & turpium jam norit, sed & adsuefactus nonnihil sit ad animi adfectus refrænandos. Cum enim principia in practicis constare ei non possint, qui pessimè diu vixit (alia enim horum ratio est quam theoreticorum principiorum, ut ex libr. 6. ethic. cap. 5. t. 49. patet) nec animi motus, qui diu liberè vagati sunt, in gyrum postmodum redigi queant, non potest profectò quisquam pravè educatus operæ pretium in hac doctrina facere, aut fructus aliquis hinc ad eum redire. Sed sanè quam planè perdantur sæpè multi in prima educatione, ut postmodum frustra sint omnia præcepta sapientiæ, præclarè docet. Quinctilianus lib. 1. instit. orat. cap. 2. *Mollis illa educatio*, inquit, *quam indulgentiam vocamus, nervos omnes & mentis*

In pravè educatis frustra sunt præcepta sapientiæ.

& corporis frangit. Quid non adultus concupiscet, qui in purpuris repit? nondum prima verba exprimit, & jam coccum intelligit, jam conchylium poscit. Antè palatum eorum quàm mores instituimus. In lecticis crescunt, si terram attigerint, è manibus utrinq; sustinentium pendent. Gaudemus si quid licentius dixerint. Verba ne Alexandrinis quidem permittenda deliciis risu & osculo excipimus. Nec mirum, nos docuimus, ex nobis audierunt, nostras amicas, nostras concubinas vident. Omne convivium obscenis canticis strepit pudenda dictu spectantur. Fit ex his consuetudo, deinde natura. Discunt hæc miseri, antequam sciant vitia esse. Inde soluti ac fluentes non accipiunt à scholis mala ista, sed in scholas adferunt. Hæc ille: & hactenus fuit prooemium.

CAPVT III.

Quod sit aliquod summum hujus vitæ bonum ac felicitas civilis & quid nomine illo significetur.

SUMMARIA.

1 *Duo hypotheses de S. bono, & querela de vita hujus miseria poetarum.*
2 *Philosophorum item.*
3 *Et regum ac Principum.*
4 *Felicitatem absolutam in hanc vitam non cadere.*
5 *Ejus veram causam esse lapsum primorum parentum.*
6 *Nihilominus aliquam manere felicitatem civilem.*

7 *Cur inter omnia bona oporteat unum esse summum.*
8 *Quid nomine illo denotetur.*

POstquam præfari sumus, quæ cognitu necessaria hîc initio videbantur, nunc ad rem ipsam pergemus. Vt autem hæc nostra de *summo bono* disputatio inde proficiscatur, unde eam orditur Philosophus, & unde proficisci oportet, præmittendæ ante omnia & considerandæ hîc nonnihil sunt duæ istæ hypotheses, una quod sit hujusmodi aliquod bonum, cujusmodi quærimus: altera, quid per illud nomen intelligatur: nisi enim hoc rectè exponatur & supponatur, fieri potest, ut nemo dubitet, an etiã tale aliquid obtingere vitæ nostræ queat: non tantum enim libri sacri, sed poëtarum quoque scripta plena sunt querelis de hominis & vitæ humanæ miseria tam gravibus, ut quid felicitatis cum tanta infelicitate consistere possit explicatu difficile esse videatur. οὐδὲν ἀκιδνότερον γαῖα τρέφει ἀνθρώποιο exclamat Homerus sapientiæ omnis fons apud Græcos: *Nihil universa terra alit homine afflictius.* Et Pindari illud notum est: πᾶς ὁ ἄνθρωπος ξυμβορά & Σκιᾶς ὄναρ ἄνθρωπος: *Totus homo calamitas est*: & *Quantus quantus est non umbra sed umbra somnium est.* Neque non illud etiam Menandri: Ἄνθρωπος ἱκανὴ πρόφασις εἰς τὸ δυςυχεῖν: *Hominem esse, satis magna ad calamitatem causa est.* Vnde & Simonides canit: Ἄνθρωπος ἐὼν μήποτε φήσῃς ὅ, τι γίνεται, Μηδ' ἄνδρα ἰδὼν, ὅσσον χρόνον ἔσσεται. Ὠκεῖα γὰρ οὐδὲ τανυπτερύγου μυίας. οὕτως ἁ μετάστασις. *Homo cum sis ne dicas quid futurum sit, aut cum hominẽ vides, quamdiu ille futurus sit, ci-*

I. *Duæ hypotheses de S. bono quod sit, & quid nomen significet.*

Querela de miseria hominis Poetarũ.

ſit, citius enim mutatur quam muſca alas expendit ut avolet. Et Euripides Oreſten ſuam ita orditur: Οὐκ ἔστιν οὐδὲν δεινὸν, ὧδ' εἰπεῖν ἔπος, οὐδὲ πάθος, οὐδὲ ξυμφορὰ θεήλατος, ἧς οὐκ ἂν ἄραιτ' ἄχθος ἀνθρώπου φύσις. *Nullum eſt malum, ut ita dicam, nec adverſitas, nec calamitas à Deo immiſſa, cujus non onus aliquod ſuſtineat natura hominis.*

II. *Philoſophorum.* Neque Poetæ tantum hæc & infinita alia inculcant paſſim, quæ coacervare ambitioſum potius quam difficile ſit, ſed eadem ſapientiſſimi quique ingeminârunt ſemper. Notum eſt Solonis illud apud Herodotum libr. 1. & Plutarch. in Solon. quod Crœſo ſuggeſſit, *ne beatum quenquam diceret, dum hanc vitam viveret.* A quo nec Socrates abludit apud Platonem in Phædone, quum dicit, in ſola cognitione veri ſitam eſſe hominis felicitatem, illam autem vel nunquam nobis obtingere, vel tum demum, ubi ex hac vita exceſſerimus. Idem ſtatuit Ariſtoteles, quando ſcilicet hominis bonum collocat in contemplatione libr. 10. ethic. cap. 7. & præcipuè in divinorum ſcientia 1. met. cap. 2. ſed interim non tantùm ingenuè profitetur, *divinam hanc potius quam humanam poſſeſſionem eſſe, Deoque magis iſtorum cognitionem quam homini competere*, verùm etiam 2. met. cap. 1. diſertè docet, *quemadmodum veſpertilionum oculi caligant ad lucem diei, ſic mentem animi noſtri caligare ad ea quæ ſunt natura ſuâ omnium maniſeſtiſſima,* id eſt, ea quæ diviniſſima ſunt. Nec aliter ſentit de ſummo bono activo, quod contemplativo proximum facit: nam cum hoc bonis fortunæ carere non poſſit, ut fatetur ipſe

Solonis. *Socratis.* *Ariſtotelis.*

1. ethic.

1.ethic.Nicom.cap.8.text.74. nec illud firmum adeò & perpetuum fuerit. Vnde de eo loquens 1.Ethic.Eudem.cap 5. dubitat,an etiam rectè felicitas appellari possit.

Philosophis addamus ipsos rerum humanarum principes, qui cum ad tantum illarum fastidium pervenissent, ut arbitrium earum penes ipsos foret, & Dii in his terris essent, ut etiam Psalm.81.6.scriptura ipsa eos vocat, nihil tamen ipsi quoque invenerunt in quo acquiescerent. Non extitit rex quisquam major Salomone, immo ipse *maior erat omnibus regibus terrà divitiis & sapientia*, ut dicitur 2.Paral. 9. 22.& tamen in Ecclesiaste suo exclamat: *Vanitas vanitatum & omnia vanitas. Ego Ecclesiastes*, inquit, *quum essem rex super Israelem Ierosolymis, applicans animum meum ad disquirendum & explorandum sapientiam de omni eo quod fit sub cœlis, vidi omnia facta quae fiunt sub sole, quod ecce ista* OMNIA *sunt* VANITAS *& afflictio Spiritus.* Ecclesiaste cap.1.13. Idem animus ipsis Rom.Imperatoribus, totius orbis Dominis, fuit. Octavius Aug. divisisse imperium cum Iove sibi videbatur, nihilominus ita de eo Seneca de brevit. vit. cap.5. *D. Augustus, cui Dii plura quàm ulli praestiterunt, non desiit quietem sibi precari, vacationem à repub. petere.* Septimius autem Severus ipsam illam vocem Salomonis exprimere solebat: de quo ita Aurelius Victor scribit: *Ortus Media humili, primò literis deinde imbutus foro, quo parum commodante ubi rebus artis solet, dum tentat aut exquirit varia melioraque, conscendit imperium. Ibi graviora expertus, laborem, curas, metum, & incerta prorsus omnia quasi testis vitae mortalium,*

III. Regum & Principum.

Salomonis.

Octava Augusti.

Septimii Severi.

talium CUNCTA, *inquit*, FUI, CONDUCIT NIHIL. Si dixeris, hæc vetera esse, audiamus idem in agone exclamantem Carolum Aragoniæ & Siciliæ regem, qui longa ætate pauculos dies bonos se vidisse negabat, & meliorem se vitam degere potuisse affirmabat, si non rex, sed pauperis agri cultor fuisset, ut id citatur ex Luc. Marineo Siculo, l. 18. de reb. Hispan. in fine.

IV. *Felicitas absoluta in hanc vitam non cadit.* Quæ omnia cum ita sint, felicitas quidem absoluta, & summum simpliciter bonum, obvenire sine dubio homini in hac mortalitate plane non potest: primò enim, ut ex iis quæ allata sunt patet, corporis fragilitas & bonorum fortunæ inconstantia, licet miserum, ut postea dicetur, hominem non reddant, obnubilant felicitatem tamen & impediunt. Deinde etiam animus tam in contemplatione & cognitione rerum, quàm in actione, nimium quantum deficit, quum vel illa, quę maxime scire ejus intererat, adsequi non potest, vel in vita instituenda identidem cespitat; quod quidem rursus duplici de causa contingere potest, aut enim non recte satis percipit, quid facto sit opus, aut dicto audientem voluntatem & appetitum non habet, quorum posterior cum recto judicio intellectus plerumque semper refragetur, ita subigi & dominari nunquam potest, ut omnes rebellionis fibras evellas.

Quæ sit causa calamitatis nostræ juxta Platonicos & Stoicos. Causam hujus calamitatis Platonici & Stoici passim rejiciunt in corpus, ejusque contagione animum infici censent, quod etiam ea propter tantùm non conviciis incessunt, & nunc carcerem animi nunc vinculum libertati nostræ circumda-

cumdatum appellant. Hinc Plotinus ennead.4. *Plotinus.*
lib.8.cap.1. *Commercium*, inquit, *anima cum corpore damnat (Plato) adserens eam hinc includi vinculis & in corpore esse sepultam: item arcanum illud oraculum veneratur, quo traditur, animam hic in custodia & carcere sitam esse.* Quin idem Plotinus toto isto libro exponit, quomodo & qua de causa anima corpori sit indita: unde eum etiam inscripsit, *de animi descensu in corpora.* Et Cato apud Ciceronem de senectute ita ait: *Dum sumus in his inclusi compagibus corporis munere quodam necessitatis & gravi opere perfungimur: est enim animus cœlestis ex altissimo domicilio depressus, & quasi demersus in terram, locum divinæ naturæ æternitatique contrarium.* Idem dicit Epictetus apud Arian.lib.1.c.9. *Cato.*

V. Vera causa lapsus primorum parentum. Sed quanquam verum sit corporis cupiditates animo obesse, illumque in studio virtutis impedire, juxta illud Sap.9.15. *Corpus quod corrumpitur, aggravat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem:* tamen hoc rem nondum expedit: absurdum enim sit, Deum & naturam cum primum faceret hominem hospitem tam nobilem atque animus est, domicilio tali inclusisse, aut includere voluisse, ubi non nisi male ei esse poterat, & ille perfectionem suam nunquam consequi. Quapropter alia causa sit necesse est, quam quidem ex lumine rationis, sive principiis naturâ notis, eruere non licet, sed sacra scriptura & Christiana fides aperiunt. Est autem hæc. Condiderat Deus hominem à principio ad imaginem & similitudinem suam, ut legitur Gen.1. vers. 26. id est, præditum justitia & sanctitate

vera,

vera,ut id explicatur Ephes. 4. 23. Hæc autem justitia & sanctitas in eo consistebat, ut ratio Deo subderetur,& huic vicissim cæteræ facultates animæ, animæ verò rursus obediret corpus, eaque non tam à natura hominis quam à gratia supernaturali divina dependebat. Quod talis fuerit justitia & sanctitas illa, patet: quomodo enim homo sit verè justus & sanctus, nisi ratio & voluntas ejus Deo, rationi autem rursus irrationales animi motus & corpus ipsum pareant? cum enim *ratio vel mens, vel spiritus animi, irrationales motus regit, tum id scilicet dominatur in homine, cui dominatio lege debetur ea quam æternam esse comperimus,* ait S. Augustinus lib. 1. de lib. arbitr. c. 8. Quod porro eadem non ex principiis naturæ tum profluxerit, sed supra naturæ sortem à gratuita Dei liberalitate & largitate primis hominibus concessa sit, inde liquet, quod ipsa natura humana etiam hodie ad nos propagatur, justitia autem ac sanctitas illa non item. Quemadmodum autem donum Dei gratuitum erat in primis hominibus: ita quoque tam diu perseveravit, quamdiu illi se à Deo non averterent. Postquam verò semel id fecerunt, & ratio ac voluntas rebellavit Deo, appetitus etiam sensitivus & corpus rebellare cœperunt rationi: ideo enim concessum homini erat, ut facultates inferiores animæ & corpus obedirent ipsi, ut ipse rursus & totus obediret Deo. Quod cum detrectaret, illiço etiam gratia illa recessit, qua corpus & appetitus irrationales coërcere promptè & nullo negotio ante poterat. Idque factum disertè docet ipsa

scri-

ſcriptura, ubi hiſtoriam lapſus texit Geneſ. 3. *nam poſtea quam præcepti facta transgreßio eſt*, ut inquit, Auguſtinus lib. 13. de civ. D. cap. 15. *confeſtim gratia deſerente divina, de corporum ſuorum nuditate confuſi ſunt: unde etiam foliis ficulneis, quæ forte à perturbatis prima comperta ſunt, pudenda texerunt, quæ prius eadem membra erant, ſed pudenda non erant: ſenſerunt enim novum motum inobedientis carnis ſuæ tanquam reciprocam pœnam inobedientiæ ſuæ. Iam quippe anima libertate in perverſum propria delectata & Deo dedignata ſervire priſtino corporis ſervitio deſtituebatur. Et quia ſuperiorem Dominum ſuo arbitrio deſeruerat, inferiorem famulum ad ſuum arbitrium non tenebat: nec omnino habebat ſubditam carnem, ſicut ſemper habere potuiſſet, ſi Deo ſubdita ipſa manſiſſet. Tunc ergo caro cœpit concupiſcere adverſum ſpiritum, cum qua controverſia nati ſumus, trahentes originem mortis & in membris noſtris vitioſam naturam, contentionem ejus ſive victoriam de prima prævaricatione geſtantes.* Hæc Auguſtinus. Falſum itaq; eſt animum in corpus hoc à principio detruſum eſſe, ut ibi tanquam in carcere eſſet, nec commercium animæ cum corpore damnare debuit Plato ſimpliciter, ſed ut nunc illud eſt, juſtitia originali & primæva rectitudine amiſſa: corpus enim quod ſuaviter initio animus inhabitabat, quodque beneficio juſtitiæ illius prompte ei inſerviebat, & ab omni fragilitate immune erat, nunc demum propter inobedientiam & peccatum Adami grave animo eſſe cœpit & in cuſtodiam ac carcerem quaſi degeneravit. Quin non tantum corpus & caro rebellat animo, ſed ipſe ille cæcitatem & perverſitatem miſeri-

 mam

mam incurrit, sicut hæc pluribus alibi docentur. Unde jam liquet, qui fiat quod scil. nostrum bonum absolute loquendo consequi nobis in hac vita non liceat: quia enim integritas illa semel amissa perfecte non instituatur, nisi post hanc demum vitam, ut itidem fides docet, nec bonum tam absolutum nisi tum demum reparabitur.

VI. Nihilominus aliqua manet felicitas civilis.

Verum enimvero, quanquam hæc ita sunt, nec de ijs dubitari à quoquam queat, qui quidem Christianus & orthodoxus sit: tamen quia etiam nunc post amissam perfectionem illam pristinam aliqua manet tam creaturarum quam creatoris in homine cognitio quantumvis imperfecta manet quoque opus legis moralis quodammodo scriptum in cordibus etiam gentilium, ut manifesto docent sacræ literæ, illa utiq; etsi absolutum hominis bonum non constituunt; aut ad id sufficiunt, bona tamen sunt & maxima quidem, quæ in hac vita homini obtingere possunt. Bona, inquam, sunt quia à Deo sunt: Deus enim manifestavit, Deus cordibus nostris inscripsit, ut diserte & manifestissimis verbis Paulus ad Rom. 1. & 2. capp. dicit: quicquid autem à Deo profectum est, licet in natura corruptissima sit, & tantillum, ut comparari cum primigenia illa nostra perfectione non possit nec debeat, sine blasphemia tamen & extrema impietate malum nulla ratione dici potest. Porro vero neq; illa tantum bona sunt quæ ad animum pertinent, sed sunt corporis etiam aliqua bona, non perpetua illa quidem, ut supra diximus, bona tamen: bene enim valere, robore & pulchritudine corporis prædi-

prædıtum esse, honore & divitiis potiri mala non sunt nisi quis iis male utatur. Quo autem gradu bona sint, postea explicabimus. Atque his ita explanatis patet jam veritas nostræ hypotheseos, esse scil. etiam aliquod summum hujus vitæ bonum: quidquid enim ex his omnibus deprehendetur tale esse, ut ad id omnia studia omnesque actiones nostras, quas quidem propter hanc vitam suscipimus, referendæ sint, illud erit summum bonum, de quo hic quæstio est.


Esse autem ex omnibus bonis quæ in hac vita obtingere nobis possunt unum aliquod summum necesse est: cum enim non tantum omnis actio cum ratione suscepta propter certum finem sit, sed etiam finium illorum unus propter alterum, oportet in uno tandem omnia studia & actiones nostræ desinant, quod sit finis omnium, id est, ad quod omnia referantur cætera, ipsum autem alio nusquam. Ni sit, in infinitum abeatur, frustraque nobis natura indidisset boni appetitum: nihil enim esset in quo ille acquiesceret. Patet hoc facile: Sicut enim dicente Thoma 1.2. quæstion. 1. artic. 5. in cognitione rerum, sive, ut ille vocat, processu rationis, principium est id quod naturaliter cognoscitur: ita in processu rationalis appetitus oportet esse principium sive primum aliquid quod naturaliter desideretur: hoc autem necessum est unum esse, quia natura non tendit nisi in unum. Nisi ergo unum aliquod primũ est quod appetitur, frustra est appetitus ille. Frustra autem hic esse nõ potest quia naturalis est, id est, à natura & ejus auctore no-

VII. Cur inter omnia hujus vita bonum unum sit summũ.

bis inditus, nam quod præternaturales & adſcititii appetitus fruſtranei eſſe poſſunt; nihil id ad hanc rem attinet.

VIII. Quid nomine S. boni denotetur.

Ita liquet, ſummum eſſe aliquod bonum vitæ hujus, liquet etiam quid nomine ejus ſignificetur: quærimus enim, ut utar verbis M. Tull. 1. de finibus, *Quidnam ſit extremum, quid ultimum, quo ſint omnia bene vivendi recteque faciendi conſilia referenda, quid fugiat ut extremum malorum*, hoc, inquam, quæritur, quatenus nempe tale aliquid in hac vita obtineri, & hanc mortalem vitam juvare poteſt. *Qua de re*, inquit idem, *cum ſit inter doctiſſimos magna diſſenſio, quis alienum putet ejus eſſe dignitatis quam mihi quiſque tribuit, quid in omni munere vitæ optimum & veriſſimum ſit exquirere? An partus ancillæ ſit ne in fructu habendus diſſeretur inter principes civitatis P. Scævolam, M. Manilium, ab hiſque Brutus diſſentiet, quod & acutum genus eſt & ad uſus civium non inutile, noſque ea ſcripta reliquaque ejusdem generis & legimus libenter & legemus? hæc inquam quæ vitam continent omnem negligentur? Nam ut ſint illa* VENDIBILIORA, *hæc* VERIORA *certe ſunt.*



CAPUT

CAPVT IV.

Recensentur opiniones aliorum de summo bono: primo autem proponitur & confutatur sententia eorum qui illud in voluptate collocarunt, ut sunt Aristippus, cæterique Cyrenaici & Epicurus.

SUMMARIA.

1 *Quam variæ sint de S. bono sententiæ.*
2 *Vnde oriantur & versæ illæ opiniones.*
3 *Contra eos qui volupt. corporis S. bonum faciunt.*
4 *Videri Epicurum non sentire cum Aristippo.*
5 *Recte sentire eum de vita non posse, quia providentiam Dei negat.*
6 *Et animæ immortalitatem.*
7 *Epicurum sibi non constare.*
8 *Nec loqui tantum de volupt. animi sed corporis.*
9 *Sententiam ejus vitæ pernitiosam esse.*
10 *Absurdam item.*
11 *Et insuper ridiculam.*

SVpposito itaque quod sit aliquod summum hujus vitæ bonum, explicata etiam notione vocabuli sive quid per nomen illud intelligamus, recta jam pergamus ad considerandum, quid sit illud, & qua in re situm. Quod ut eo accuratius fiat, exponendum hic primo est, quid de eo *Quam variæ sint de S. bono sententiæ.*

de eo alii senserint: dum enim excutimus eorum opiniones, qui sive hic arbitrarunt, sive prave disputarunt, fit ut eo facilius intelligatur & confirmetur vera sententia, ut testatur Aristoteles 1. ethic. Eud. c. 3. Neque tamen necessum aut operæ pretium est, omnes sine discrimine aliorum sententias coacervare, quæ vel fuere quorundam, vel excogitari in hoc negotio possint (nam refert B. Augustinus lib. 19. de civ. Dei c. 1. *Varronem in libro de Philosophia excogitasse CCLXXXIIX. dogmata diversa de hac re, non quæ essent, sed quæ esse possent*) cum non tantum pueri, ægroti & mente moti sæpe pro bonis habeant, quæ ubi adoleverunt, aut ad sanitatem redierunt, ipsi postmodum non probent; sed etiam nonnulli tam absurde de omni vita statuant, ut non refutatione, sed publica magistratus coërcitione digni sint. Præcipuas igitur & maxime celebratas opiniones tantum afferemus.

II. Unde oriantur diversæ illæ opiniones. Vulgus pro S. B. habet voluptatem corporis.

Haurit autem unusquisque, ut dicit Aristoteles 1. eth. cap. 5. opinionem suam de summo bono plærumque ex vitæ genere & instituto quod ipse sectatur: genera vero illa tria sunt præcipue, id quod vulgus colit, civile, & contemplationi deditum. Vulgus quidem, & qui nihil supra vulgus sapiunt, in corporis voluptate felicitatem potissimum collocant: quod etsi pecudum magis quam hominis bonum est (pecudibus enim & belluis laxior venter est quam homini) hoc tamen nomine commendatur, quod nonnulli etiam qui in magna dignitate constituti sunt rectius sæpe non sapiunt, quos nihil mirum si vulgus

gus imitatur: *quicquid enim apud civitatis principes habetur in pretio id necessarium est & aliorum civium opinionem sequi*, ait Arist. 2. poli. c. 8. Quid? quod etiam ex Philosophis (ita enim haberi volebant, cum nihil minus sit Philosophicum quam hoc ipsum) reperti sunt, qui eandem sententiam tuerentur? Primus inter hos, teste Cicerone Tusc. 2. fuit Aristippus Cyrenaicus, Socratis quidem, sed admodum degener in hac parte discipulus: quē secutus est Hieronymus Rhodius omnesq; Cyrenaici & ex Eleatica disciplina Metrodorus atque Epicurus. Omnes, inquam, hi in hunc censum veniunt, ut inter vulgus eos merito numeres, qui, quam vulgus, saniora non tradidere. At qui paulo generosioris animi sunt, & ad res gerendas in republica potius quam ad mollem & delicatam vitam se componunt (Arist. vocat practicos & politicum hominum genus) ij felicitatem plerumq; vel in honore vel in divitiis constituunt. Qui deniq; contemplationi dediti, rerum cognitionem & scientiam cæteris omnibus præponunt: Ita Plato contemplationem universalis boni sive ideæ boni felicem hominem reddere putat. Hæ sunt opiniones insigniores & celebriores: etsi enim Cyrenaica illa & Epicurea nihil ineptius est aut homine indignius, tamen, ut mens humana ad talia proclivis est, non tantum Cyrenaicorum multi sectatores fuere, sed & Epicurea schola perpetua successione ad multa secula duravit, ut ex Diogene patet.

Item Aristippus. Hieron. Rhodius & Epicurus.

Homines politici honorem & divitias.

Docti scientiam.

IIII Contra eos qui volupt.

Vt autem ordine de singulis dicatur, sectam illam voluptariorum primo excutiemus: ubi ta-

corporis S. B. faciunt. men. non tam longa confutatione opus erit, quam ut exponatur paulo accuratius quænam fuerit eorum sententia, cum hoc usquequaque expeditum non sit, præsertim de Epicuro: ipse enim sibi, ut videtur, non constat, sicut necesse est fieri ubi manifesta veritas oppugnatur. Sed de

Quid docuerit Aristippus. Aristippo prius. Hic cum Cyrenaicis suis diserte & ingenue profitebatur voluptatem summum bonum esse & dolorem maximum malum: intelligebat autem voluptatem corporis, sive ut ipse mentem suam explicat apud Ciceronem 2. de finibus *eam quæ maxima dulcedine moveret*, imo, *voluptates corporis ajebat longe præstantiores esse quam animi*, teste Diogene in vita ejus. Contra hanc Aristippi sententiam integram & præclaram disputationem Socrates ipse instituit apud Xenophontem lib. 1, de dict. Socratis in pr. quam hic, lector, omnino vide. Prolapsus autem videtur in tantam absurditatem eo quod nihil pulchrum aut turpe putaret natura esse, sed consuetudine tantum & hominum opinione. Hieronymus Rhodius paullo quidem aliis verbis utitur, sed idem dicit: pro voluptate enim substituebat vacuitatem doloris, ut ex Cicerone 2. Tuscul. & 2. de finibus constat. Hæc illi senserunt: à quibus Epicurus, si illa ipsius mens fuit, quæ à plerisque scriptoribus tradita est, aut nihil aut parum recedit.

Quid. Hier Rhodius.

IV. *Videri Epicurum non sentire cum Aristippo.* Non ignoro sane quæ apud Cic. toto lib. 2. de fin. Lucius Torquatus disputat pro Epicuro, ubi ex presse protestatur, cum Cyrenaicis eum non facere, nec illam tantum voluptatem intelligere, *qua*

re, *quæ quasi sensus titillet; & ad eos cum suavitate adfluat*. Dicit etiam non omnem voluptatem acceptandam, & denique dicit sapientem ita induci ab Epicuro, *ut finitas habeat cupiditates, negligat mortem, de Diis immortalibus sine ullo metu vera sentiat, non dubitet si ita melius sit de vita migrare. His rebus instructum semper in voluptate eum esse, neque enim esse tempus quo non habeat plus voluptatis quam dolorum. &c.* Hæc ille. Scio etiam quam acriter Epicurum defendat Diogenes Laërtius, & quod quicquid ille de voluptate corporis pronunciavit, is ad voluptatem animi potissimum trahat: ubi in epist. ad Menæcea ipse Epicurus ita scribit: *Cum voluptatē dicimus finem esse, non luxuriosorum & nepotum voluptates easque quæ in gustu & ingluvie sunt posita, ut quidam ignorantes & à nostra sententia dissidentes, aut male accipientes, arbitrantur, sed non dolere corpore animoque tranquillo esse & perturbatione vacare dicimus*; cujusmodi plura alia illic habet Laërtius, ut plane videatur in voluptate potius animi quam corporis Epicurus felicitatem collocare. Vnde etiam Seneca de vita beata cap. 13. scribit, sectam Epicuri *male audire quidem & infamem esse, sed flagitiorum, ut vulgo habeatur, magistram non esse*. Imo paullo ante sic dixerat: *Mea quidem ista sententia est (invitis hoc nostris popularibus dicam) sancta Epicurum & recta præcipere, & si propius accesseris, tristia: voluptas enim illa ad parvum & exile revocatur, & quam nos virtuti legem dicimus, eam ille dicit voluptati.* Et certe admodum præclaræ sunt sententiæ Epicuri, quas Seneca epistolis suis passim inserit, cujusmodi est illud epist. 2. *Honesta res est læta paupertas*, & ep. 4.

Diog. Laer eum defendit.

Excusat etiam Seneca.

Præclara sententia Epicuri apud Senecam.

& ep. 4. *Magna divitiæ sunt lege naturæ composita paupertas.* Rursus ep. 7. *Epicurus cum uni ex consortibus studiorum suorum scriberet: Hæc, inquit, ego non multis, sed tibi: satis enim magnum alter alteri theatrum sumus.* Maxime autem egregium illud ep. 11. *Aliquis vir bonus nobis eligendus est ac semper ante oculos habendus, ut sic tanquam illo spectante vivamus, & omnia tanquam illo vidente faciamus.* Et epist 17. *Multis parasse divitias non finis miseriarum fuit, sed mutatio.* Item epist. 18. *Immodica ira gignit insaniam.* Et epist. 19. *Ante circumspiciendum est cum quibus edas & bibas quam quid edas aut bibas.* Et epistola 21. *Si vis Pythoclea divitem facere non pecuniæ adjiciendum, sed cupiditatibus detrahendum est.* Sed quid opus est plura coacervare, cum nulla pæne sit inter divinas illas epistolas, quin eam auctor aureo aliquo ejusmodi dicto claudat, idque ex Epicuro fere semper depromat? Denique & hoc constat non tantum Diogenem, qui ex professo Epicurum propugnat, multa de continentia vitæ ejus magnificè prædicare, sed etiam Ciceronem 2. de finib. ubi acriter ipsum oppugnat, de vita ejus id concedere, ita Epicurum & Epicureos vivere, ut eorum vita refellatur oratio, *atq; ut cæteri*, inquit, *existimantur dicere quam facere melius, sic Epicurus videtur melius facere quam sentire.* Idque est quod C. Cassius Epicureus Ciceroni persuadere cupit lib. 10. epist. 32. edit. Siber. *Ipse Epicurus*, inquit, *à quo omnes Catii & Amafinii mali verborum interpretes proficiscuntur, dicit*, οὐκ ἔστιν ἄνευ τοῦ καλῶς καὶ δικαίως ζῆν. *Itaque & Pansa qui ἡδονὴν loquitur, virtutem retinet, & ii qui à nobis* φιλήδονοι *vocantur, sunt* φιλόκαλοι καὶ φιλοδίκαιοι

Continentia vitæ ejus.

καιοι omnesq; virtutes & colunt & retinent. Hæc itaq; sic se habent: unde equidem eo adducor, ut credam Epicurum & ipsius sectatores sibi ipsis non constare, quin autem perniciosa & absurda sit illa sententia ut ab Epicuro proponitur, inde, ut puto, non efficitur. Id ut ostendam res paulo altius est exordienda.

Et principio quidem si vita Epicuri & Epicureorum incontinens usque adeo non fuit, vix tamen video quî ea sani quid habere potuit, cum providétiam divinam & animi immortalitatem inficiati sint; quæ opinio tam portentosa omnem rationem recte vivendi sine ullo dubito tollit, ut prçclare scripsit contra Coloten Plutarchus. Recte ille: *πόλοις ἄνμοι*, inquit, *δοκεῖ μᾶλλον ἐδάφους χωρὶς, ἢ πολιτεία τῦ περὶ θεῶν δόξης ἀναιρεθείσης παντάπασι σύστασιν λαβεῖν ἢ λαβοῦσα τηρῆσαι.* *Mihi urbs videtur citius sine solo, quam respub. sine opinione de Diis aut constitui, aut constituta servari.* Vnde religionem ibidem appellat *συνεκτικὸν ἁπάσης κοι.ονίας καὶ νομοθεσίας ἔρεισμα*, *vinculum omnis societatis & legum propugnaculum.* Idem inculcat Epictetus apud Arianum lib. 1. cap. 12. *De Diis sunt qui dicunt non esse numen, alii esse quidem, sed ignavum & negligens, nulliq; providere: tertii & esse & providere, sed magnis & cœlestibus, terrenorum autem nulli: quarti etiam terrestribus & cœlestibus, sed in commune duntaxat, non autem unicuique privatim: quinti, quorum fuere & Vlysses & Socrates qui asserunt, se clam Deo ne moveri quidem posse. Itaque ante omnia necessarium est probè meditata habere hæc singula rectène hæc dicantur? nam si Dii non sunt finis esse qui potest, Deum sequi? sin cum sint, nullius rei cu-*

V. *Recte sentire de vita non potest quia providentiam negat.*

Plutarch.

Epictetus.

rei curam gerunt, etiam sic quomodo rectum illud erit. Quod si & sunt & curant, neque quicquam tamen hominibus atque adeo mihi impertiunt, quo pacto jam vel sic aliquid sanum erit? Et ex nostris S. Ambrosius 1. officior. cap 26. *Nibil* inquit, *est magis quo homo cæteris animantibus præstet, quam quod rationis est particeps, causas rerum requirit, generis sui autorem investigandum putat, in cujus potestate vitæ necisque nostræ potestas sit, qui mundum hunc suo nutu regat, cui sciamus rationem reddendam nostrorum actuum. Nihil est enim quod magis proficiat ad vitam honestam, quam ut credamus eum judicem futurum, quem & occulta non fallant & indecora offendant & honesta delectent.*

Ambrosius.

VI. Item quia negat animam immortalitatem Plato.

Idem de animi immortalitate docet Plato in Phœdone. Verba sunt: *Hoc autem, ô viri, justum est cogitare, si anima sit immortalis, eam non solum temporis huius, in quo vivere dicimur, verum etiam universi gratia curatione plurimum indigere: nam grave periculum fore putandum est, si quis neglexerit animam: si enim mors totius dissolutio esset, nimirum improbi lucrarentur, cum & à corpore & à sua pravitate cum anima liberarentur. Nunc autem cum animam immortalem esse appareat, nulla superest malorum alia declinatio, nulla salus, nisi ut optima & prudentissima fiat.* Quo pertinet etiam quæ Cato apud Ciceronem de senectute disserit: *Nemo, ait, unquam mihi, Scipio, persuadebit aut patrem tuum Paullum & Africanum, aut Africani patrem aut patruum, aut multos præstantes viros, quos enumerare necesse non est, tanta esse conatos, quæ ad posteritatis memoriam pertinerent, nisi animo cernerent posteritatem ad se pertinere posse. An censes, ut de me ipso aliquid more senum glorier, me tantos labores, diurnos nocturnosq; domi militiaque,*

Cicero.

itaque, si susceptrum fuisse, si iisdem finibus, gloriam meam quibus vitam essem terminaturus. Nonne melius multo fuisset otiosam ætatem & quietam sine ullo labore & contentione traducere? Sed nescio quomodo animus erigens se, posteritati semper ita prospiciat, quasi cum excessisset vita tum denique victurus esset.

Deinde ut hæc omnia aliter se haberent, id manifestum est, Epicurum, Metrodotum, quique cum his faciunt eadem semper non dicere, nec sibi ipsis constare. Docet hoc egregie Cic. 5. Tusc. *Multa præclare sæpe dicit*, ait de Epicuro, *sed quam sibi constanter convenienterque dicat non laborat. Laudat tenuem victum. Philosophi id quidem, sed si Socrates aut Antisthenes diceret, non is, qui finem bonorum voluptatem esse dixerit. Negat quenquam jucunde posse vivere, nisi idem honeste, sapienter, justeq; vivat. Nihil gravius, nihil Philosophia dignius, nisi idem hoc ipsum, honeste, sapienter, juste ad voluptatem referret. Quid melius, quam fortunam exiguam, intervenire sapienti? Sed hoc isne dicit, qui, cum dolorem non modo maximum malum, sed solum malum etiam dixerit, toto corpore opprimi possit doloribus acerrimis, tum cum maxime contra fortunam glorietur? Quod idem melioribus etiam verbis Metrodorus. Occupavi, inquit, te fortuna, atque cepi, omnesque aditus tuos interclusi, ut ad me aspirare non posses. Præclare si Aristo Chius aut si Stoicus Zeno diceret, qui nisi quod turpe esset, nihil malum duceret. Tu vero Metrodore, qui omne bonum visceribus medullisq; condidc. is, & definiens summum bonum firma corporis affectione exploratàque spe contineri fortunæ aditus interclusisti? quo modo? isto enim bono jam expoliari potes. Atque his capiuntur imperiti: & propter hujusmodi sententias istorum homi-*

VII. Epicurus sibi non constat. Cicero.

hominum est multitudo. Acute disputantis illud est, non quid quisque dicat, sed quid cuique dicendum sit videre.

VIII. *Non loquitur tantum de voluptate animi sed etiam corporis.*

Tertio potest id ostendi facile Epicurum non de voluptate animi tantum, sed etiam corporis, & potissimum de hac locutum esse; aut enim plerique scriptores mala fide agunt, cum sententiam ejus exponunt, aut ita res habet: si enim negabat *ullum gaudium esse posse quod non referatur ad corpus*, Cic. 2. de fin. Plutarch. lib. cap. si *sine voluptate corporis nescire se ajebat quid bonum esset*: si item *omnes artes & disciplinas propter eam voluptatem tantum inventas esse* dicebat Metrodorus, si denique *ipsam voluptatem* dicebant nihil esse aliud *quam optimam corporis constitutionem, & spem certam eam fore perpetuam, ut* Cic. & Plutarch. l. c. & Clemens Alexand. l. 2. Stromatum testantur, vel esse *sublationem omnis eius quod dolorificum esse potest*, ut est apud Agellium l. 2. noct. Att. cap. 6. & 9. nescio profecto quid aliud quam voluptatem corporis intellexerint.

IX. *Sententia ejus vita est perniciosa.*

Vnde quarto efficitur, sententiam Epicuri vitæ mortalium admodum perniciosam esse. Præclare admodum hoc olim docebat Archytas Tarentinus Pythagoreus, ut testis est Cic. in Catone Majore. *Nullam capitaliorem pestem* (verba sunt Ciceronis) *quam corporis voluptatem hominibus dicebat à natura datam, cuius voluptatis avidæ libidines temere & effrenatè ad potiundum incitarentur: hinc patriæ proditiones, hinc rerump. eversiones, hinc cum hostibus clandestina colloquia nasci dicebat: nullum denique scelus, nullum magnum facinus esse ad quod suscipiendum non libido voluptatis impelleret. Stupra vero & adulteria & omne*

omne tale flagitium, nullis aliis illecebris excitari nisi voluptate: cumque homini sive natura sive quis Deus nihil mente præstabilius dedisset, huic divino muneri ac dono nihil tam esse inimicum, quam voluptatem: nec enim libidine dominante locum temperantiæ esse, nec omnino in voluptatis regno virtutem posse consistere. Quod quo magis posset intelligi, fingere animo aliquem jubebat, tanta incitatum voluptate corporis, quanta percipi posset maxima: nemini censebat fore dubium, quin tamdiu dum ita gauderet nihil agitare mente, nihil ratione, nihil cogitatione consequi posset. Quocirca nihil tam detestabile tamque pestiferum quam voluptatem, siquidem ea cum maior esset atque longior, omne animi lumen extingueret. Et hinc est quod Manius Curius & Titius Coruncanus, sicut idem Cicero paulò post refert, *optare solebant, ut illud, omnia ad voluptatē referenda esse, Samnitibus ipsique Pyrrho persuaderetur, quo facilius vinci possent cum se voluptatibus dedissent.*

Quinto commendatio illa voluptatis per se absurda est: *nemo enim*, inquit Seneca ep. 36. *discit, ut si necesse fuerit aquo animo in rosa jaceat, sed in hoc duratur, ut tormentis non submittat fidem, ut necesse fuerit stans, aliquando etiam saucius, pro vallo pervigilet & ne pilo quidem incumbat, quia solet obrepere somnus in aliquod adminiculum reclinatis.* Quod si itaq; illud optimum dicitur quod maxime volupe est, frustra de recta institutione laboratur: ipsa enim voluptas sibi magistra fuerit. Sed hoc nemo ingenuus sive rubore afferat; natura enim nobis hanc verecundiam dedit, ut erubescamus, si quidquam tam turpe ausimus dicere: *& is motus*, inquit Epictetus in sententiis, *mihi obstat, quo minus voluptatem* *Absurda item est.*

bonum

bonum & finem vitæ statuam: quem quidem qui exuit, ejus jam oratio *non amplius à Philosopho aliquo sed à censore opprimenda*, ut loquitur Cicero 2. de finibus. Unde Cajus Fabritius mirari solebat, quod audivisset à Thessalo Cinea, cum apud regem Pyrrhum legatus esset, Athenis quendam esse, qui se sapientem profiteretur, & diceret omnia quæ faceremus ad voluptatem esse referenda, ut rursus testatur Cicer. in Cat. majore. Nec sine caussa factum absque dubio est, quod olim Schola Epicureorum, non tantum publico decreto Messana urbe & Creta insula, sed etiam S. C. Roma ejecta est, ut narrat Suidas in voce Epicurus. Et profecto nemo nostrorum est, qui sine detestatione vel meminisse possit epitaphii Sardanapali, ultimi regis Assyriorum, quod ille plane ex sententia Epicuri jam tum concepisse videtur:

Sardanapali Epitaphium.

Cum te mortalem noris, præsentibus exple
Deliciis animum, post mortem hæc nullus usus:
Ipse Ninus quondam magna rex, nunc cinis hic sum:
Hæc habeo quæ edi, quæq; exsaturata libido
Hausit: at illa jacent multa & præclara relicta.
Mortales sapiens præceptum hoc discite vitæ.

Aristot. *Quid aliud*, inquiebat Aristoteles, *bovis non regis sepulchro inscriberes?* Unde etiam nemo vere veterum est, quin vocem istam tanquam inter homines alias inauditam annotarit: non tantum enim eam Cicero refert 5. Tuscul. & 2. de finibus, sed Diodorus Siculus lib. 2. cap. 23. Athenæus lib. 8. cap. 4. & lib. 12. c. 12. Strabo lib. 14. Dion. Chrysostomus lib. 4. de regno, Suidas, in v. ὀχεύω &

Σαρδα

Σαρδανάπαλος, Clem. Alexandrinus lib.2.Stromatum. Nec simile quid in historiis, quod sciam, extat, nisi quod avorũ memoria Fridericus quidam Ciliæ in Stiria Comes Sardanapali exemplum imitatus est, de quo ita Æneas Sylvius ad Panorm. de dict. & fact. Alphonsi lib.1.c.19. *Friderico Ciliæ Comiti, qui ob amorem concubinæ uxorem interfecit, atque dehinc inter scorta vitam turpissimam agens abhinc anno proximo vita decessit, ait ex amicissimis annum supra nonagesimum agis, nec minus voluptati servis, quam si sis adolescens: age jam demum te moriturum scito, atq; de sepulcro cogita: cui Fridericus, istuc, inquit, ago: nam sepulchrali marmori hoc epigramma insculpendum statui: Hac mihi porta est ad inferos. Quid illic reperiam nescio: scio quæ reliqui. Abundavi bonis omnibus ex quibus nihil fero mecum, nec quod bibi atq; edi, quodq; inexhausta voluptas exhausit.* Sed hoc obiter.

Simile Friderici Comitis Ciliæ.

X. Postremò ridiculus etiam est Epicurus cum suis, quando summum bonum vocant; si corpus benè constitutum sit & exploratum: quis habeat ita futurum: *an enim id exploratum cuiquam esse potest, quomodo sit habiturum illud, non dico ad annum, sed ad vesperam?* inquit Cicero. Profectò nulli mortalium id quidem contingere potest.

Opinio Epicureorum etiam ridicula.

CAPVT V.

Ostenditur Summum Bonum non esse positum in divitiis.

SUMMARIA.

1 *Ratio ordinis.*

2 *Divitiæ naturales & artificiales.*

3 *In neutris S.B. esse situm.*
4 *Omnes servire corpori, non animo.*
5 *Etiam in magnis divitiis posse quem miserum esse.*
6 *Divitiæ sunt instrumenta tantum vitæ.*
7 *Non sunt ditißimi semper optimi in civitate.*
8 *Id exemplis declaratur.*
9 *Divitiæ plerumque cum aliorum injuria parantur, & earum nimius amor remp. perdit.*
10 *Quantum iis hodie tribuatur & quam male.*

1. **Ratio ordinis.** EXplosimus muliebrem illam atque enervatam prorsus sententiam, quæ maximam miseriam facit dolorem; summum autem bonum voluptatem, & eam quidem, *cujus peripheria & centrum*, dicente Plutarch. contra Colot. *abdomen est*. Habeant sibi hoc bonum, *quorum corpora in sagina animi in macie & veterno sunt*, ut Seneca loquitur epist. 88. **Seneca.** *Et quibus in solo vivendi causa palato est.* Commendent enim id, ut poterunt; nunquam efficient, ut hic hominis finis sit, aut tale quidquam in ea quidam re cum virtute copuletur. *Altum quiddam* inquit rursus Seneca de vit. beat. cap. 7. *est virtus, excelsum, regale, invictum, infatigabile: voluptas humile, servile, imbecillum, caducum, cujus statio ac domicilia fornices popinaque sunt. Virtutem in templo invenies, in foro, in curia, pro muris stantem, pulverulentam, coloratam, callosas habentem manus, voluptatem latitantem sæpius ac tenebras captantem, circa balnea ac sudatoria ac loca ædilem metuentia mollem, enervem, mero atque unguento madentem, pallidam, fucatam & medicamentis pollinctam.* Hæc ille. Nos relictis nunc illis ad homines elegantes transimus, & rebus gerendis deditos. Hi autem etsi cum

cum illis, qui summum bonum in voluptate collocant, conferri non debent, ipsi tamen etiam errant, si vel ad honores tantum, vel ad divitias & rem faciendam omnia studia referant. De his ergo deinceps agendum nobis erit & primò de divitiis.

Sunt autem divitiæ omnes in duplici differentia, ut docet Aristot. 1. Politic. c. 6. naturales & artificiales. *Naturales* sunt eæ quibus primò succurritur indigentiæ humanæ, ut est cibus, potus, vestitus; habitaculum, & si quid his est simile, quod per se ad corpus aut alendum, aut tegendum facit. Naturales dicuntur, quia ipsa natura non alia parare docet: *II. Divitiæ naturales.*

----Sæpe exiguus mus
Sub terris posuitque domos, atque horrea fecit,
Aut oculis capti fodêre cubilia talpæ.

Artificiales sunt, quæ non primò sed secundariò vitam juvant, eatenus scilicet quatenus earum beneficio naturales illæ comparantur, ut sunt numi: primo enim his vita non sustentatur, cum nec ali iis corpus possit, nec ab injuria cœli defendi: ita tamen nobis inserviunt, ut permutare iis liceat quæ corpori primo sunt necessaria. *Aliæ artificiales.*

In neutro autem divitiarum genere summum bonum situm esse potest. Non in artificiali: id enim nulli rei est, nisi ad naturales illas semper referatur. Naturalium autem quidquid & quantum est omne propter hominem est, & tanquam ad vitam ejus sustentandam à natura factum instrumentum: edit enim homo, bibit, *III. In neutris sita est felicitas.*

vestitur,ut vivat, non vivit ut edat,bibat, vestiatur. At summum bonum & felicitas hominis non est propter hominem, sed homo propter ipsam,nec instrumentum vitæ est sed finis. Cum itaque in universum hæc sit ratio divitiarum, ut numus quidem,& quicquid ei est simile,sit cibo & potui parando, hæc vero vitæ conservandæ, vita autem rursus sit propter felicitatem vitæ consequendam,nulla ratione ipsa felicitas in divitiis consistere potest.

Opes sunt propter hominem, homo propter felicitatem.

IV. *Tantum corpori inserviunt non animo.*

Deinde omnes divitiæ inserviunt corpori sive primario sive secundario: animo non nisi per accidens. At anima pars nobilior est hominis quam corpus. Quare non in divitiis sed in ejusmodi aliqua re felicitas sita sit necesse est, quæ tanto sit illis excellentior, quanto animus ipse præstat corpori. Vnde præclare dicit Boethius libr. 2. de consol. Philosoph. pros. 5. Deo injuriam eos facere & rerum naturam evertere qui felicitatem nostram divitiis terminant. *Alia quidem*, inquit, *suis contenta sunt nos Deo mente similes, ab rebus infimis excellentis naturæ ornamenta captamus, nec intelligimus quantam conditori nostro faciamus injuriam. Ille genus humanum terrenis omnibus præstare voluit, nos dignitatem nostram infra infima quaq; detrudimus: nam si omne cujusque bonum eo, cujus est, constat esse pretiosius cum vilissima rerum nostra bona esse judicatis, eisdem nosmetipsos nostra æstimatione submittimus.*

V. *Etiam in magnis divitiis potest.*

Tertiò non potest in eo sita esse vitæ felicitas, quo si abundes nihilominus miserrimus esse queas. Tales autem sunt divitiæ:

Non fit thesauris non auro pectus solutum.

Non

Non animis demunt curas, non relligiones,
Persarum montes aut atria diviti Craßi,

inquit Varro. *Et suspirat ille in convivio,* ait S. Cyprianus lib. 2. epist. 1. *bibat licet gemma, & cum epulis marcidum corpus thorus mollior in sinu condiderit, vigilat in pluma. Nec intelligit miser speciosa esse sibi supplicia, auro se alligatum teneri & poßideri magis quam poßidere divitias.* Quin si non de naturalibus sed artificialibus divitiis loquamur, fieri potest, ut quis immensas opes possideat, & fame interim pereat, sicut de Mida narrant fabulæ, cui propter stultum votum omnia quæ attingeret, in aurum conversa utabantur, ut refert Arist. 1. Polit. cap. 6. Et fit plærumque etiam illud, quod qui nimia copia indigentiam fugare quærunt, id iis in contrarium cedat: *pluribus quippe adminiculis opus est ad tuendam pretiosæ suppellectilis varietatem, verumq; illud est, permultis indigere eos, qui permulta poßideant,* ut iterum Boethius ait.

quis esse miser.
Varro.
S. Cypriā.

Quartò quod finis rei est, id in infinitum expetitur, sicut medicina quantum potest fieri sanitatem procurat, & semper id facere studet, ut dicit Aristot. loco cit. Estque eadem ratio cæterarum artium omnium. At opes in infinitum parare aut expetere absurdum est: instrumenta enim vitæ sunt. Nullius autem artis instrumentum aut multitudine aut magnitudine infinitum est, ut iterum præclarè docet Aristot cap. 5. Imò si aut infinita sit magnitudo instrumentorum aut infinita etiam eorum copia, inutilia planè evadunt, ut in omnibus artibus id manifestum est.

VI. Divitiæ sunt instrumenta vitæ tantum.

VII. *Non sunt ditissimi semper optimi in republ.* *Quinto* si summum bonum vitæ positum sit in opibus; jam ut præclarissimus quisque foret in repub. ita idem ditissimus esset: sed *non Aristides, non Epaminondas, non Lycurgus, quod divites essent & servos haberent; alius justus, alius Deus, alius servator est appellatus*, ait Epictetus, *sed quod quamvis pauperes servitute Græciam liberassent.* Et sanè Aristides licet præfuerit communi totius Græciæ ærario, quod in Delo asservabatur, in tanta tamen paupertate decessit, ut quibus efferretur vix reliquerit, & filiæ ejus ex publico illo ærario alimenta & dotem acceperint, ut Cornel: Nepos in vita ejus refert.

Aristides.

Epaminondas. Epaminondas autem Thebanorum dux tantus, *ut neque ante eum Thebani ullum memorabile bellum gesserint, nec post eum virtutibus sed cladibus insignes fuerint, & quo ablato vires ejus reipubl. ita hebetatæ sunt, ut Thebani non tam eum amisisse quàm cum illo omnes interiisse viderentur, & patriæ gloria & nata & exstincta cum eo esset*, ut hæc omnia narrat Iustinus histor. li. 6. *tanta abstinentia fuit, ut in suppellectili ejus præter ahenum & veru unicum nihil inveniretur*, sicut dicit Iulius Frontinus stratag l. 4. c. 3. & *sumptus funeri deessent*, sicut rursus Iustinus testatur.

VIII. *Valer. Publicola.* Nec ditiores apud Romanos extitere Val. Publicola, Iunii Bruti in asserenda & vindicanda patriæ libertate collega, ut est apud Livium lib. 2. capit. 16. & Dionysium Halicarnass. libr. 5. cap. 47. aut Menenius Agrippa, qui plebem cum in montem sacrum secessisset, cum patriciis in gratiam reduxit, aut M. Attilius Regulus, qui cum in Africa bellum gereret, & non haberet quempiam qui rus ejus coleret, à senatu impetravit,

Menenius Agrippa. M. Attil. Regulus.

travit, ut publicè curaretur, aut Scipio Africanus, cujus filiæ ex ærario donatæ sunt, sive ille Cn. Scipio fuit, qui res in Hispania præclarè gessit, ut vult Frontinus, aut denique L. Mummius, qui devicta Corintho totam Italiam tabulis & statutis exornavit. Vide Senecam consol. ad Helviam cap. 12. & Frontinum loco cit. Vnde rectè Cicero in quadam Corneliana, ut ipse refert in oratore: *Non me*, inquit, *divitiæ movent, quibus omnes Africanos multi venalitiarii mercatoresque superarunt, neque vestes aut cælatum aurum & argentum, quo nostros veteres Marcellos, Maximosque multi eunuchi è Syria Ægyptoque vicerunt. Neque verò movent me ornamenta ista villarum, quibus L. Paullum & Mummium, qui rebus his urbem Italiamque omnem referſere, ab aliquo video perfacilè Deliaco aut Syro potuisse superari.*

Cn. Scipio. L. Mummius.

IX. *Postremò* divitiæ plerunque cum aliorum injuria parantur, præsertim si magnæ sint. Ab injuriis autem seditiones & omnia in republ. mala proficiscuntur. At nihil horum summo bono & felicitati competit: imò hæc cum ea adversis frontibus pugnant. Vnde Cicero primo de offic. *Qui summum bonum sic instituit, ut nihil habeat cum virtute conjunctum, idque suis commodis non honestate metitur, hic si sibiipsi consentiat, & non interdum naturæ bonitate vincatur, fit, ut neque amicitiam colere possit, nec justitiam nec liberalitatem.* Nisi itaque illos optimos judicamus, quia injustissimi, quia avarissimi sunt, & eam rempublic. florere censemus, ubi injuriæ & seditiones dominantur, nec in divitiis congerendis summum bonum situm

Divitiæ plerumque cum aliorum injuria parantur.

Earum nimius amor remp. perdit. esse dicemus, sed contrà potius, eas demum respubl. interitui proximas esse, ubi is optimus censetur, qui ditissimus est: quin eas, quæ aliâs inexpugnabiles essent, sola ista re superatas esse & deletas, juxta illud:

Ἡ φιλοχρηματία Σπάρταν ἕλοι, ἄλλο δὲ οὐδέν.

X. Quantū hodiè iis tribuantur. Ex his igitur liquidò constat in opibus felicitatem non esse positam. Vtinam verò quam facilè & evidenter id demonstrari potest, ita hodie omnibus, præsertim primis in republ. unde cæteri exempla capiunt, persuasum esset! Vtinam cogitemus non tantum Græcos & Romanos, sed resp. in universum omnes tandiu prospera fortuna usas esse, quandiu divitias contempserunt, cecidisse autem cum contra fieret! Vtinam qui Christiani sumus vel ethnicis hic deteriores hodie non simus, & ex scripturis saltem, quæ nusquam non ab amore divitiarum absterrent, meliora tandem discamus! *Quid de illis scriptura sentiat.* *Si dives fueris non eris immunis à peccato.* Ecl. 10. 11. *Amen dico vobis, dives difficulter introibit in regnum cœlorum. Et rursum dico vobis, facilius est camelum per foramen acus transire quam divitem in regnum Dei introire.* Matt. 19. 23. & 24. *Væ vobis divitibus.* Luc. 6. 24. *Qui volunt ditescere incidunt in tentationem & laqueum & cupiditates multas amentes, & damnosas, quæ demergunt hominem in exitium & pernitiem* 1. ad Tim. cap. 6. Hæc & infinita in istum sensum alia S. literæ ingeminant passim: sed frustrà,

Nam sævior ignibus AEtnæ
Fervens amor ardet habendi
Heu quis primus fuit ille.

Auri

Auri qui pondera tecti
Gemmasque latere volentes
Pretiosa pericula fodit!

Sed ita nunc fit, postquam litteras illas, quæ rectiora doceant, tractare desiimus. *Ad mercedem pii sumus, ad mercedem impii. Honesta quamdiu aliqua illis spes inest sequimur, in contrarium transituri, si plus scelerata promittant. Admirationem nobis patentes auri argentique fecerunt; & teneris infusa cupiditas altius sedit, crevitque nobiscum. Deinde totus populus in alia discors, in hoc convenit: hoc suspiciunt, hoc suis optant. Denique eò mores redacti sunt, ut paupertas maledicto probroque sit, contemta divitibus, invisa pauperibus*, sicut jam olim Seneca conquestus est epist. 115.

Demonstratur neque in honore, seu civili potentia & nobilitate, vitæ felicitatem rectæ collocari.

SUMMARIA.

1 *Quanta sit cupiditas honorum, & quod honor triplex sit.*
2 *Felicitatem in eo non esse sitam, quia in potestate nostra non est.*
3 *Nec stabilis.*
4 *Et expetitur propter opinionem virtutis.*

5 *Cur in pretio sit nobilitas sanguinis,*
6 *Nobilitas virtutem non largitur.*
7 *Est bonum alienum.*
8 *Virtus æquè ignobilibus ac nobilibus patet.*
9 *Nobilitas virtutis claritati sanguinis præferenda.*
10 *Id vel Turcas facere.*
11 *Quanta sit cupiditas civilis potentia.*
12 *Cum tamen nec corporis ullam molestiam levet,*
13 *Sed curas & miseriam augeat.*
14 *Quanta mala contineant magnæ dignitates.*
15 *Sitis earum inexplebilis.*
16 *Inconstantia earum.*
17 *Quodque etiam pessimis contingant.*
18 *Gloria & nominis celebritas.*
19 *Vanitas eius.*

1 *Cupiditas bonorum.* QVEMADMODUM opum splendor animos hominum dementat, ita & magis etiam transversum eos rapit honor ac gloria, ut sæpè quoque qui illas contemnere possunt, horum cupidini succumbant. *Hoc unum est*, ait Boethius libr. 2. prosa 7. *quod præstantes quidem naturâ mentes, sed nondum ad extremam manum virtutum perfectione perductas allicere possit.* Quare nunc id porro demonstrandum est, nec in honore felicitatem collocari posse. Vbi sciendum est honorem præcipuè duplicem esse, alium qui ob majorum virtutem defertur, alium qui propter virtutem propriam. *Honor triplex.* Honor qui à majoribus oritur *nobilitas* vocatur: *nobilitas* enim *dignitas quædam maiorum est*, ut ait Aristotel. 2. rhet. cap. 15. unde etiam εὐγένεια Græcis dicitur: Boethius libro 3. de consol.

consol.Philosoph. prof.6. vocat *laudem quandam de meritis parentum venientem.* Qui autem propter propriam virtutem obtingit, vel indignitate & *potentia civili*, vel in nominis & *famæ* extensione maximè consistit.

II. *Felicitatē in honore non esse sitam.*

Cæterum nec in antiqua nobilitate, nec in civili potentia & dignitate felicitatem vitæ esse facilè ostenditur. Primo enim neuter honor in nostra potestate est sed fortunæ. Quod de nobilitate per se manifestum est: nec enim ex quibus nascaris tui arbitrii est, sed fortunæ. Idem autem etiam de cæteris dignitatibus valet, quæ similiter non sunt in eorum facultate quibus conferuntur, sed illorum qui conferunt: unde Aristotel. dicit 1. ethic. cap. 5. *honorem non honorati, sed honorantis esse.* Et nihil est frequentius, quum ut alii honorem mereantur, alii consequantur. At felicitas debet in nostra potestate esse, ut adipisci nobis eam, si velimus, liceat: nam frustrà alioqui ejus appetitus naturæ insitus sit.

Nec enim in nostra potestate est.

III. *Non est stabilis Seneca.*

Deinde felicitatem oportet stabile quippiam esse: honore autem ecquid est mutabilius? *In Mariana clade*, ait Seneca epist. 47. *quam multos splendidissimè natos, senatorium per militiam auspicans gradum fortuna depressit: alium ex illis pastorem, alium custodem casæ fecit.* Et de ipso Mario idem lib. 3. de ira, cap. 18. *C. Mario, cui vicatim populus statuas posuerat, cui ture & vino Romanus populus supplicabat, L. Sylla perfringi crura, erui oculos, amputari manus jussit, & quasi totiens occideret, quotiens vulnerabat, paullatim & per singulos artus laceravit.* Porrò quæ nobi-

Nec regius quidem.

nobilitas aut dignitas est major quàm regum aut imperatorum, præsertim per multa secula continuâ serie ad posteros transmissa: nec ipsa tamen fortunæ ludibrium semper effugere potest.

Priami fatum.

Incolumi Trojâ Priamus venisset ad umbras
Assarici, magnis sol mnibus, Hectore funus
Portante & reliquis fratrum cervicibus inter
Iliadum lacrimas: & primos æthere planctus
Cassandra inciperet, scissaque Polyxena palla,
Si foret extinctus diverso tempore quo non
Cœperat audaces Paris ædificare carinas.
Longa dies igitur quod contulit, omnia vidit
Eversa, & flammis Asiam ferroque cadentem.
Tunc miles tremulus posita tulit arma tiarâ,
Et ruit ante aram summi Iovis ut vetulus bos,
Qui domini cultris tenue & miserabile collum
Præbet, ab ingrato jam fastiditus aratro,

ut hoc, & in eam sententiam plura, admodum præclarè Iuvenalis cecinit satyra 10. Et quæ sunt alia ferè tragœdiarum apud veteres tam Græcos, quam Latinos argumenta? ut putidum fore videatur, si plura ejus rei exempla coacervemus, cum passim illic sint obvia. Vnum ex recentibus addemus tantum. Ecquid in oriente nobilius fuit Byzantinorum imperatorum, & Bulgaricorum despotarum ac satraparum familiis? Quo loco autem illorum posteri sint nunc sub Turcico dominatu ex Busbequii epist. 1. cognoscere. *Posthac, inquit, pluribus diebus fecimus iter per amœnas & non infrugiferas Bulgarorum convalles; quo ferè tempore pane usi sumus subcinericio:*

Posteri Palæologorum Impp. Constantinopolitanorum quo loco nunc sint.

ricio: fugacias vocant. Eum puellæ mulieresque vendunt: neque enim sunt in ea regione pistores. Illæ ubi hospites advenisse sentiunt, unde lucelli quid sperent, subactam subitò cum aqua sine fermento far nam calidis cineribus subjiciunt, atque ita ferventes etiamnum à foco panes parvo pretio venales circumferunt. Et paucis interjectis: *Non est prætermittendus illarum mulierum ornatus. Ferè solis indusiis sive interulis vestiuntur: ea linea sunt, filo haud subtiliore, quàm quo apud nos sacci texuntur, sed multiplici acus pictura, variis coloribus rudi & ridendo opere elaborata: quo tamen mirum in modum sibi placent.* Cumque plura de ridiculo earum ornatu adjecisset, subnectit ista: *Hic mihi in mentem venit, quam levis & infirma res sit, quæ vulgo perhibetur nobilitas: nam cum de puellis quibusdam, quæ liberaliore erant forma, scire vellem, num quo essent genere, audiebam eas à summis eius gentis satrapis originem ducere, aut etiam regium esse genus, iam bubulco aut opilioni desponsas. Sic in regno Turcarum iacet nobilitas. Vidi enim postea aliis locis Cantacuzenorum & Palæologorum imperatorum generis reliquias contemptius inter Turcas degentes, quàm vixit Dionysius Corinthi.* Ita ille: Quæ si Principes Christiani hodiè cogitent, nec discordias ipsi inter se foveant tantas, quibus aditum in occidentem nunc, ut Imperatores Constantinopolitani ante unum & alterum seculum in suas ditiones, Turcæ parent, multò minus ultrò hostem barbarum in subsidium vocaturi sint. Futurum etiam sit, ut rectiùs Respublica administretur, ne ignavia, injustitia & fastus, quæ illic Imperatores imperio tam florenti, Satrapas

magnos

magnos provinciis,& nobilissimos quosque dignitate omni tàm nuper exuerunt; nobis etiam exitium extremum breviter adferant: *regnum enim de gente in gentem transfertur propter injustitias ac contumelias & diversos dolos.* Ecclesiast. 10. 8. Hoc ergo secundum sit argumentum.

IV. Honor expetitur propter virtutis opinionē.

Tertiò, nemo omnium expetit honorem, aut magni eum facit, nisi propter opinionem virtutis puta, ut quantò dignitate major est cæteris, tantò etiam virtute excellere alios censeatur. At eo ipso ostendunt, virtutem honore potiorem esse: qui enim honorem ambit, aut ambitiosè jactat, ideo ut virtute præstare videatur, ipse tacitè fatetur, virtutem aut certè ejus opinionem ipso honore majus quidquam esse; semper enim id, propter quod alterum expetitur, eo quod propter ipsum expetimus, melius apparet. Ita patet in honore felicitatem non contineri. Sed ut eo evidentius idem adhuc ob oculos ponamus, præsertim cum nullâ in re hoc tempore pænè erretur magis, sigillatim triplex illud, quod supra fecimus, honorum genus paulò accuratiùs consideremus, initio à nobilitate facto.

V. Cur in pretio sit nobilitas sanguinis.

Et primo quidem quod maximè commendat sanguinis nobilitatem, illud est, quod ex præstantibus orti non corpus tantùm, sed animum etiam majoribus similem nacti præsumantur:

Fortes creantur fortibus & bonis,
Est in juvencis, est in equis patrum
Virtus, nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam,

ait

ait Horatius. Sed id etsi interdum sic fit, perpetuum tamen non est. Nam *natura quidem* inquit Aristotel 1. Polit. cap. 4. *ex bonis bonos generare vult, sed plerunq; non potest.* Quod egregiè explicat Pindarus in Nemeis ode XI. *Filii non semper parentib. similes.*

Pindarus.

Ἀρχαῖαι δ' ἀρεταὶ
Ἀμφέρονται, ἀλλασσόμεναι γενεαῖς ἀνδρῶν σθένος·
Ἐν χερῷ δ' οὔτ' ὦν μέλαιναι καρπὸν ἔδωκαν ἄρουραι,
Ἀνδρεά τ' οὐκ ἐθέλει πάσαις ἐτέων περιόδοις
Ἄνθος εὐῶδες φέρειν πλούτῳ ἴσον,
Ἀλλ' ἐν ἀμείβοντι. Καὶ
Θνατὸν οὕτω σθένος ἄγει
Πεδῖεα.

Antiquæ virtutes, ait, *recuperant robur, quæ permutant hominum seculis. Sed enim nec nigra arva fructum dant continuâ serie, nec arbores volunt omnibus annorum recursibus florem od ratum ferre divitiis parem, sed alternis. Eodem pacto & mortale robur regit fatum.* Idem & totidem verbis expressit Aristoteles 2. Rhetor. cap. 15. *Nobile est aliquid secundum generis virtutem, generosum autem inde, quod non deficiat à natura. Id quod plerunque non accidit nobilibus, sed sunt multi abiecti: proventus enim est etiam in generibus hominum ut in iis, quæ in agris oriuntur. Nonnunquam si sit bonum genus, exoriuntur ad aliquod tempus viri eximii & deinde rursus retrofertur. Deficiunt vero bono ingenio prædita genera ad insaniores mores, ut qui ab Alcibiade & Dionysio superiore: stabili verò ingenio prædita ad socordiam, ut qui à Cimone & Pericle & Socrate.* Hæc Aristoteles. *Aristotel.*

VI. *Nobilitas*

Deinde quamvis nobilitas præsumptionem de virtute suppeditet, ipsa tamen illam non largi-

virtutem non largitur. largitur, sed ea non minus à nobile quàm cæteris labore paranda est. *Majores eorum*, ait Marius apud Sallustium bell. Iugurthin. *omnia quæ licebat, illis reliquére divitias, imagines, memoriam sui præclaram, virtútem non reliquère: neque poterant: ea sola neque datur dono, neque accipitur.* Vnde Poëta cum suprà dixisset, fortes creari fortibus, statim adjicit:

Doctrina sed vim promovet insitam,
Rectique cultus pectora roborant:
Vtcunque defecere mores
Dedecorant benè nata culpa.

Sed imperat. Imò *si quid est in nobilitate bonum*, ait Boethius lib. 3. de cons. phil. prosa 6. *id esse arbitror solùm, ut imposita nobilibus necessitudo videatur, ne à majorum virtute degenerent.* Vnde præclarè idem Marius: *Profectò ita se res habet, majorum gloria posteris lumen est, neque bona, neque mala eorum in occulto patitur.* Et quid vetat quo minus etiam Iuvenalis satyram VII. hic hic audiamus? quæ idem sic exprimit:

Si tibi sancta cohors comitum, si nemo tribunal
Vendit acersecomes, si nullum in conjuge crimen,
Nec per conventus, nec cuncta per oppida curvis
Vnguibus ire parat numos raptura Celæno.
Tunc licet Pico numeres genus, altaque si te
Nomina delectent, omnem Titanida pugnam
Inter majores ipsumque Promethea ponas,
De quocunque voles proavum tibi sumito libro,
Quod si præcipitem rapit ambitus atque libido,
Si frangis virgas sociorum in sanguine, si te
Delectant hebetes lasso lictore secures,
Incipit ipsorum contra te stare parentum

Nobi-

Nobilitas, clarámque facem præferre pudendis

Tertiò, nobilitas bonum est non proprium, sed alienum: nam ut Apuleius ait de Deo Socratis, si laudas aliquem quia generosus est, parentes ejus laudas. Vnde & Boethius: *quàm sit inane, quàm facile nobilitatis nomen quis non videt? quæ si ad claritudinem refertur aliena est. Quod si igitur præclarum videtur aliorum virtute lucere, quantò clarius est propria collustrari.* Quò accedit, quod quò antiquior est prosapia, eò illustrior censetur, cum tamen antiquissima ad eandem demum cum cæteris mortalibus conditionem & ortum deveniat.

VII. *Est bonum alienum.*

Prima origo omnium hominum una & eadem.

Boeth. lib. cit. Met. 6

Omne hominum genus in terris
Simili surgit ab ortu
Vnus enim rerum pater est
Vnus cuncta ministrat.
Ille dedit Phœbo radios,
Dedit & cornua Lunæ:
Ille homines etiam terris
Dedit, & sidera cœlis.
Hic clausit membris animos
Celsâ sede petitos.
Mortaleis igitur cunctos
Edit, nobile germen.
Quid genus & proavos strepitis?
Si primordia vestra
Auctoremque Deum spectes,
Nullus degener exstat,
Ni vitiis pejora fovens
Proprium deserat ortum.

Vnde Plato ait: *neminem regem non ex servis esse oriundum, neminem non servum ex regibus. Omnia ista* *Plato.*

longa varietas miscuit & sursum deorsum fortuna versavit. Quis ergo generosus? ait Seneca: *Ad virtutem bene à natura compositus. Hoc unum est intuendum: alioqui ad vetera recurras, nemo non inde est ante quod nihil est. A primo mundi ortu usque in hoc tempus perduxit nos ex splendidis sordidisque alternata series.*

Senec. epist. 44.

VIII. Quartò, Virtus non minus patet humili loco natis, quàm nobilibus: quia sicut hos majorum splendor interdum ad eam capessendam excitat, ita illis generis obscuritas stimulum addit. Praeclarè hoc iterum Seneca: *Si quid aliud, inquit, est in Philosophia boni, hoc est, quod stemma non inspicit: omnes si ad primam originem revocentur, è Diis sunt. Eques Romanus es, & ad hunc ordinem tua te perduxit industria. At mehercules multis quatuordecim gradus sunt clausi: non omnes curia admittit. Castra quoque quos ad laborem periculum recipiunt fastidiosè legunt. Bona mens omnibus patet. omnes ad hoc sumus nobiles. Nec reijcit quenquam Philosophia, nec eligit: omnibus lucet. Patricius Socrates non fuit, Cleanthes aquam traxit & rigando hortulo locavit manus. Platonem non accepit nobilem Philosophia, sed fecit. Quid est, quare desperes his te posse fieri parem? Omnes hi maiores tui sunt, si te illis geris dignum.* Idem dicit Valerius Maximus lib. 3. cap 3. in fine. *Non fastidioso aditu virtus excitata, ingenia vivida ad se penetrare patitur, neque haustum sui cum aliquo personarum discrimine largum malignumve praebet; sed omnibus aequaliter exposita, quid cupiditatis potius, quam quid dignitatis attuleris, aestimat, inque captu bonorum suorum sibi ipsi pondus examinandum relinquit: ut quantum subire animo sustinueris, tantum tecum auferas.*

Virtus aequè ignobilibus ac nobilibus patet.

Seneca.

Valer. Max.

Vnde

[illegible] *postremò* semper resp. rectè constitutæ [illegible] nobilitatem sanguinis, quàm quæ ex [illegible]tur, in pretio habuerunt. Ejus rei u[illegible]cumentum de Romana, omnium sine [illegible]rerum publicarum, quas sol unquam a[illegible] præstantissima, capiamus ex Velleij lib. 2. [illegible]o. *Non novus hic mos senatus populique Roma[illegible]due, quod optimum sit, esse nobilissimum: nam [illegible]qui ante primum bellum Punicum abhinc an[illegible]os T. Coruncanium hominem novum cum aliis [illegible]tum pontificatu etiam maximo ad principa[illegible]e fastigium, & equestri loco natum Sp. Car[illegible], & mox Marcum Catonem, novum etiam [illegible] urbis inquilinum, Mummiumque Achaicum in [illegible]atus censuras & triumphos provexêre: & qui C. [illegible]arium ignotæ originis; usque ad sextum consulatum [illegible]itatione Romani nominis habuêre principem: & [illegible]rio Fulvio tantum tribuêre, ut pænè assentatione [illegible]us vellet principatus conciliaret. quique nihil Asi[illegible]ioni negaverunt, quo nobilissimis summo cum su[illegible]equendum foret: profectò hoc senserunt, in cu[illegible]e animo virtus inesset, ei plurimùm esse tribuen[illegible].* Hæc Velleius. Vtinam exemplum & nos [illegible]e imitemur!

IX. *Nobilitas virtutis claritati sanguinis præferenda.*

S[illegible]d ipsi barbari hac in re nobis prudentio[illegible]. Audiamus tantum Busbequium epist. 1. de T[illegible]co imperatore ita differentem: *Erat [illegible] aula perquam frequens: aderant magnis muneri[illegible]positi multi: aderant prætoriani equites: omnes [illegible], Garipigi, Vlufagi; Giannizarorum magnus nu[illegible]rus. Sed nullus in tanto conventu nobilis, nisi ex [illegible] virtutibus & fortibus factis, natalibus nemo à reliquis distin-*

X. *Hoc vel Turcæ faciunt. Auge-rius. Busbeq.*

distinguitur, honos cuique pro muneris & officii, quod administrat, ratione defertur. Nullum ibi de loco certamen, muneris genus, quo fungitur, suum cuique locum assignat. Munera verò & officia princeps ipse distribuit, in quo non divitias, non fumum nobilitatis pendit, non gratiam cujusquam aut multitudinis judicium moratur, sed merita considerat, sed mores ingeniumque atque indolem intuetur, ex sua virtute unusquisque ornatur. Ita muneribus qui sunt ad ea obeunda, idonei præficiuntur. Suos ibi quisque natales, suam fortunam, quam fingit pro arbitrio, in manu habet. Qui rerum primas à principe tenent, ferè sunt pastorum ac bubulcorum filij, de quo tantum abest ut eos pudeat, etiam inter se gloriantur, eoque plus sibi tribuunt, quò minus majoribus aut natalium fortunæ debent: neque enim aut nasci, aut propogari, traducive virtutem putant, sed partim à Deo dari, partim bonâ disciplina multoque labore & studio comparari; utque paternam artem nullam, non musicam, non arithmeticam, non geometriam, ita nec virtutem ad filium aut hæredem transire, nec animam ex semine paterno suscitari, ut filium patris nasci similem necesse sit, sed cœlitus in corpus infundi credunt. Sic ea in gente dignitates, honores, magistratus virtutum & meritorum præmia sunt; improbitas, ignavia, inertia nullo honore pensantur, jacent, contemnuntur que. Ergo illi rebus gestis florent, dominantur, imperii fines quotidie proferunt. Apud nos alius vivitur moribus: virtuti nihil est relictum loci, omnia natalibus deferuntur, opinione natalium omnes honoris aditus occupantur. Hæc Augerius Gislenius, & tantum de nobilitate.

Cæte-

Cæterum de *civili potentia* eadem est ratio, etsi tanta cupiditate eam homines sæpè ambiunt, ut illi omnia postponant Refert Aristot. 3 Politic. c. 3 illud Iasonis, *qui esurire se dicebat, quū non imperaret*, τῇ ... μὴ τυραννοῖ. Et noti sunt ex Phænissis Euripidis versus, quos Julium Cæsarem semper in ore habuisse narrat Cicero lib. 3. de offic. ex eo Suetonius Cæsare cap. 30. XII. *Quanta sit cupiditas civilis potentia.*

Εἴπερ γὰρ ἀδικεῖν χρή, τυραννίδος πέρι
Κάλλιστον ἀδικεῖν, τἄλλα δ' εὐσεβεῖν χρεών:
Nam si violandum est jus, imperii gratia
Violandum est: aliis rebus pietatem colas.

Sed quàm necessaria & salutaris generi mortalium est potestas, quâ ad publicum & commune civium bonum reipubl. Principes & legitimos magistratus Deus ipse instruxit, tàm cōtra inanis & noxia res est ideo cupere imperare, ut imperes cæterum, neque potentia uti ad beneficentiam sed contumeliam. XIII. *Nec tamen vel corporis ullam molestiam levat.*

Cujus rei primò id argumentum est, quod etiam maxima in republica dignitas nec corporis mala levat, nedum animum perficit. *Dolores capitis*, inquit Seneca, *non sanantur diademate, nec bona valetudo perit, licet non imperes.* Et *malus* inquit Beat. Augustinus in sentent. numero 35. *etsi regnet, servus est, nec unius hominis sed quod gravius est, tot dominorum, quot vitiorum.* Nec *vis ea est magistratibus*, ait Boethius lib 3. prosa 4. *ut utentium mentibus virtutes inserant vitia depellant: imò, non fugare, sed illustrare potius nequitiam solent.* Vnde rursus Seneca l. 1. de clem. cap. 8. *Alia conditio est eorum, qui in turba quam non excedunt latent, quorum virtutes & vitia*

tenebras habent. Et iterum: *Nullis magis cavendum est qualem famam habeant, quam qui qualemcunque meruerint, magnam habituri sint.* Tantum itaque abest, ut dignitas & potentia illa vel sanent vel tollant vitia, vel regant, ut augeant etiam & conspectiora reddant:

Quamvis se Syrio superbus ostro
Comeret & niveis lapillis,
Invisus tamen omnibus vigebat
Luxuria Nero sævientis.

Boethius Met. 4. XIV. *Curas & miseriam augit.*

Deinde sicut vitia non minuit ita nec curas & miseriam levat, sed similiter exaggerat.

Etenim licet Indica longè,
Tellus tua iura tremiscat,
Et serviat ultima Thule;
Tamen atras pellere curas
Miserasque fugare querelas
Non posse, potentia non est.

Consul. 4. Honor. Quod & Claudianus ita expressit:

Tu licet extremos latè dominere per Indos,
Te Medus, te mollis Arabs & Seres adorent,
Si metuis, si prava cupis si duceris ira,
Servitii patiere iugum, tolerabis iniquas
Interius leges.

Seleuci dictum. Vnde Seleucus dicere solebat, si multi vel id tantum nossent, quanta molestia esset tot epistolas scribere aut legere quot scribendæ & legendæ sint regibus, diadema humo non sublaturos si projectum alicubi esset, ut narrat Plutarchus libr. an seni gerenda sit respons. *Augustus Imperat.* Et Augustus imperator, *cui*, ut ait Seneca, *plura Dii quam ulli præstiterunt, non desiit quietem sibi precari, vocationem* *De brevit. vita, c. 5.*

nemà re petere. Quare etiam se imperio abdicare bis in animo habuit, ut testatur Suetonius in Augusto, cap. 28. *Ille scilicet qui omnia videbat* (ut or rursus verbis Romanorum sapientissimi) *ex se uno pendentia, qui hominibus gentibusque fortunam dabat, illum tum lætissimus cogitabat, quo magnitudinem suam exueret.*

Quod si autem ipsis principibus molesta est sua potentia, quàm à nullo alio recognoscunt, quanto plus molestiæ & malorum illa dignitas contineat, quæ magnis sudoribus paranda est primum, post ad alienum nutum semper comparenda. Prius horum præclarè exposuit S. Cyprianus lib. 2. epistol. 2. *Quibus hoc sordibus emit ut fulgeat?* inquit, *quos arrogantium fastus prius pertulit? quas superbas fores matutinus salutator obsedit? quot tumentium contumeliosa vestigia, stipatus clientium cuneis ante præcessit, ut ipsum etiam salutantem comes postmodum pompa præcederet, obnoxia non homini, sed potestati.* De posteriori ita Seneca de brevitat. vitæ cap. 19. *Omnium quidem occupatorum conditio misera est, eorum tamen miserrima, qui ne suis quidem occupationibus laborant, ad alienum ambulant gradum, ad alienum comedunt appetitum, amare & odisse, res omnium liberrimas, jubentur.* Et paulò post: *Cum videris itaque prætextam sæpè jam sumtam, cum celebre foro nomen, non invideris: ista vitæ damno parantur, ut unus ab illis numeretur annus, omnes annos suos conterent. Quosdam cum in summum ambitionis eniterentur, inter prima luctantes ætas reliquit. Quosdam cum in consummationem dignitatis per mille indignitates erepsissent, misera subiit cogitatio, ipsos laborasse in titulum*

XV. *Quanta contineat magna dignitates.*

Seneca.

sepulcri. Quorundam ultima senectus, dum in novas spes ut juventa disponitur, inter conatus magnos & improbos invalida defecit.

XVI. *Sitis earum est inexplebilis.* Et ut ista omnia absint, sola illa inexplebilis honorum sitis eis qui proram & puppim in his rebus collocarunt, excruciare abunde potest: nemo enim talium *quos vincat, sed à quibus vincatur aspicit, & illis non tantum jucundum est multos post se videre, quàm grave, aliquem ante se: habet hoc vitium omnis ambitio, non respicit*, ut rursus dicit Seneca epist. 73.

Iuven. Sat. 10.

Vnus Pellæo juveni non sufficit orbis,
Æstuat infelix angusto limite mundi
Vt Gyaræ clausus scopulis parvaque Seripho,

ait de Alexandro M. Satyricus: quod ita pluribus exponit Plutarchus lib. de tranquillit. animi: *Alexander*, inquit, *cum Anaxarchum de infinito numero mundorum disserentem audiret, illacrymavit: cumque amici interrogarent, ecquid passus esset: An non inquiebat, dignum est lacrymis, quod cum infiniti sint mundi, nondum unius sim Dominus.* Videlicet, qui regnum maximum & florentissimum à patre acceperat, lacrymabile esse censebat, si ex infinitis mundis unus restaret, quem non vinceret: & qui primùm Asiam Græciæ jungere præclarum putabat, pòst mundum mundo volebat addere. Vnde non immeritò ei Scytharum legati hæc ingerebant, teste Q. Curt. libro 7. *Si Dii habitum corporis tui aviditati animi parem esse voluissent; orbis te non caperet, altera manu orientem, altera occidentem contingeres. Et hoc assecutus scire velles, ubi tanti nominis fulgor conderetur. Ab Europa petis Asiam, ex Asia transis in Europam.*

Alexandri Magni cupiditas dominandi.

ropam. Deinde si humanum genus omne superaveris, cum silvis & nivibus & fluminibus ferisq; bestiis gesturus es bellum. Ita barbari illi, non sanè barbarè. Lucretius insatiabilem illam & in orbem semper recurrentem dominandi cupidinem Sisyphi Saxum vocat, & veros Sisyphos illos demum esse statuit, qui hoc Saxum volvunt.

Sisyphus in vita quoq; nobis ante oculos est, — *Lib. 3. Ambitionem esse Sisyphi Saxum.*
Qui petere à populo fasces sævasque secures
Imbibit & semper victus tristisque recedit:
Nam petere imperium, quod inane est, nec datur unquam,
Atq; in eo semper durum sufferre laborem,
Hoc est adverso nixantem trudere monte
Saxum, quod tamen à summo jam vertice rursum
Volvitur, & plani raptim petit æquora campi.

Porrò nulla res est inconstantior civili potentia, nec in ulla magis fortuna dominatur. *Quid tu?* inquiebant ad Alexandrum Scythæ, quorum supra meminimus, *ignoras arbores magnas diu crescere, una hora exterpari?* — *XVII. Civilis potentia est inconstans.*

Valet ima summis — *Hor. lib. 1. Ode 34.*
Mutare & insignem attenuat Deus,
Obscura premens. Hinc apicem rapax
Fortuna cum stridore acuto
Sustulit, hîc posuisse gaudet.

O præclara potentia, ait Boethius, *quæ nec ad conservationem quidem sui satis efficax invenitur?* Imò non solum fortuna *neminem eò provexit, ut non tantum illi minaretur, quantum permiserat,* ut Seneca dicit epist. 4 sed ideò sæpè eos tollit ut deijciat: unde Poeta: — *Pros. 5.*

Qui nimios optabat honores
Et nimias poscebat opes numerosa parabat
Excelsa turris tabulata, unde altior esset
Casus, & impulsa praecipi immane ruina.
Quid Crassos, quid Pompeios evertit, & illum
Ad sua qui domitos deduxit flagra Quirites?
Summus nempe locus nulla non arte petitus,
Magnaque numinibus vota exaudita malignis.

XVIII. *Et pessimis etiam obtingit.* Denique *si ipsis dignitatibus ac potestatibus inesset aliquid naturalis ac proprij boni, nunquam pessimis proveniat: neque enim sibi solent adversa sociari: natura respuit, ut contraria quaeque jungantur. Itaq; cum pessimos plerumque dignitatibus fungi dubium non sit, illud etiam liquet, natura sui bona non esse, quae se pessimis haerere patiantur*, ut rursus praeclarè admodum Philosophatus Boethius libr. 2. pros. 6. De duplici honorum genere sufficienter dictum est: restat tertium *gloria* & nominis celebritas.

XIX. *Gloria & nominis celebritas.* Haec etsi res mala non est, imò si aut ut stimulus aut ut praemium virtutis habeatur, & à viris optimis & praestantissimis bono & vero judicio cuiquam obtingat, bona est: summum tamen bonum & felicitas in ea poni nequit. Nam primò magnae angustię sunt, quibus etiam maxima nominis celebritas includitur. Docet hoc Africanus apud Ciceronem in somn. Scipion. *Ex his ipsis*, inquit, *cultis notisq; terris non aut tuum aut cujusquam nostrum nomen vel Caucasum quem cernis, transcendere potuit, vel illum Gangem transnare: quis in reliqua orientis aut obeuntis solis ultimis: aut aquilonis austrive partibus tuum nomen audiet? Quibus amputatis cernis profectò quantis in angustiis vestra gloria se dilatet.* Ita ille. Et fac ut to-

Quam angustiis locorum spaciis ea circumscripta sit Cic.

ut totam terram nominis cujusquam fama peragret; ipse ejus ambitus ecquis est si cum cœlo contendatur? Puncti sanè instar: & sic etiam ex illius partes demendæ, quas maria, solitudines, paludes occupant, ut qui toto orbe celebris sibi videatur, deprehendatur *in minimo hoc pœdi quodam puncto*, ut dicit Boethius *circumseptus & conclusus de pervulganda fama, deque proferendo nomine cogitare.* Nec locorum tantum, sed etiam temporis plerumque parva sunt spacia, quibus gloria circumscribitur. *Multos clarissimos suis temporibus viros scriptorum inops delevit oblivio. Quid de quid ipsa scripta proficiunt, quæ cum suis auctoribus premit longior atque obscura vetustas.* Denique *si ad æternitatis infinita spacia tempus pertractes, quid habes, quod de tui nominis diuturnitate læteris*, ut hæc omnia præclarè iterum Boethius: cujus, si nondum nobis assentiris, aureolos versus audi: *Lib. 2. Prof. 7.* *Quantis item angustiis temporis.* *Boethius.*

Quicunque solam mente præcipiti petit,
Summumque credit gloriam;
Latè patentes ætheris cernat plagas,
Arctumq; terrarum situm:
Brevem replere non valentis ambitum
Pudebit aucti nominis.
Quid ô superbi colla mortali jugo
Frustra levare gestiunt?
Licet remotos fama per populos means
Diffusa, linguas explicet,
Et magna titulus fulgeat claris domus,
Mors spernit altam gloriam,
Involuit humile pariter, & celsum caput

Æquatque

Æquatq; summis infima
Vbi nunc fidelis ossa Fabricii jacent?
Quid Brutus, aut rigidus Cato?
Signat superstes fama tenuis pauculis
Inane nomen litteris.
Sed quot decora novimus vocabula,
Num scire consumptos datur?
Iacetis ergo prorsus ignorabiles,
Nec fama notos efficit.
Quid si putabis longius vitam trahi
Mortalis aura nominis,
Cùm sera vobis rapit hoc etiam dies
Iam vos secunda mors manet.

XX. *Vanitas ejus. Boet. loc. citato.* Porrò verò nihil vanius est, quàm *nisi ad populares auras inanesq; rumores rectè facere nescire, & relicta conscientia virtutisq; præstantia de alienis præmia sermunculis postulare*; imò ut Seneca dicit epist. 57. *dementia est, si quem clamores imperitorum hilarem ex auditorio dimittant, aut si lateris, quod hominibus iis laudaris, quos ipse sæpè laudare non potes.* Vnde Agesilaus rex Lacedæmoniorum, quoties laudantes aut vituperantes audiret, censebat, *non minus dicentium mores cognoscendos esse, quam eorum de quibus dicerent*, ut refert Plutarch. in Apoph. Lacon. Quò accedit quod alii sæpè famam merentur, alii habent. Denique nihil gloria etiam maxima post mortem juvat eum quem sequitur: nam (uti libet iterum verbis Boethii:) *si, quod nostræ rationes credi vetant, toti moriuntur homines, nulla est omninò gloria, cum is cujus ea esse dicitur, non exstet omninò. Sin verò sibi mens benè conscia, terreno carcere resoluta, cœlum libera petit, nonne omne terrenum negotium spernet quæ se, cœlo fruens,*

fru[illegible]s,terrenis gaudet exemtam. Hæc ille, ſeu apud i-pſum potius Philoſophia προσωποποιηθεῖσα. Quin potius ergo virtutem ipſam ſectamur, quàm inanem iſtam ejus in hac vita umbram, præſertim cum illam æterna gloria tandem excipiat, vera illa demum & à Deo ipſo profecta: *gloria enim & honor & pax erit omni operanti bonum*, ut dicitur ad Rom.2.10. neque gloria terrena, *quæ eſt ut flos graminis*, 1. Pet 1 23. ſed *corona gloriæ immarceſsibilis*, 1. Pet.5.4. & *æternum gloriæ pondus*, 2. Cor.4.17. Hactenus de honore.

CAPVT VII.

Proponitur vera ſententia de ſummo Bono, & oſtenditur illud conſiſtere in virtute, ſeu potius virtutis actione. Exponitur etiam veterum cum hac ſententia conſenſus.

SUMMARIA.

1 *Quid ſit S bonum & quod ſit αὐτάρκης.*
2 *Conſiſtere id in proprio aliquo hominis munere.*
3 *Eſſe virtutem & ſecundum naturam vivere.*
4 *Quid ſit vivere ſecundum naturum communem.*
5 *Quid ſit ſecundum propriam.*
6 *Sitne poſſeſsio an uſus virtutis S.B.*

7 *Ariſto-*

7 *Aristotelis sententia probatur.*
8 *Et defenditur contra Plotinum.*
9 *Satis fit alii etiam obiectioni.*
10 *Adhuc alii.*
11 *Item porro alii.*
12 *Quare S.B. sit actio secundum virtutem.*
13 *Veterum cum hac sententia consensus.*
14 *De Platonis idéa boni.*
15 *Quomodo mentem eius exponant Platonici, & quid aliàs ipse Plato sentiat.*

1. *Quid sit S. bonum.*

DIctum est, quid non sit S. Bonum, deinceps quid sit ostendemus. Hic autem in mentem revocetur, quæri non simpliciter bonum aliquod hujus vitæ, sed summum bonum, idque hominis, sive tale quod homini proprium sit. Primo enim, si est summum bonum, erit aliquid perfectissimum, & propter se expetibile, ut & supra diximus: erit etiam αὐτάρκες & sibi sufficiens, id est, tale, ut si ipsum adsit, nihil porrò desiderari possit, licet præstabilius fortè reddatur, si cum bonis aliis conjungatur. Vbi notandum est ex B. Thoma 1 ethic. lect. 9. in fin. per se sufficiens dici aliquid ex eo, quod seorsim ab aliis acceptum est sufficiens: quod quidem dupliciter potest contingere: *uno modo sic, ut illud bonum perfectum quod dicitur per se sufficiens, non possit accipere augmentum bonitatis ex alio bono addito. Et hæc quidem cōditio est eius quod est totale bonum, scilicet Dei: sicut enim pars connumerata toti non facit aliquid maius quàm totum, quia ipsa pars in toto includitur: ita etiam quodcunque bonum connumeratum Deo, non facit aliquod*

Esse id per se sufficiens & quot modis tale aliquid dicatur.
Thom.

quod augmentum bonitatis, quia non est bonum nisi hoc, quia participat bonitatem divinam. Aliquid au- dicitur etiam solitarium, vel nullo alio connumerato ficiens, in quantum continet omne illud quo indiget ho- ex necessitate. Et *sic felicitas de qua nunc loqui- habet de se sufficientiam, quia in se continet omne il- , quod est in se necessarium, non autem omne illud, od potest homini advenire. Nec tamen manet desiderium inis inquietum, quia desiderium ratione regulatum, ale oportet esse felicis, non habet inquietudinem de quæ non sunt necessaria licet sint possibilia adipisci.* æc Thomas.

Deinde si id, de quo quærimus, est summum num hominis, sive homini proprium, situm utique erit in re tali, quæ homini competit, atenus homo est, cum enim rerum omnium rfectio consistat in certo aliquo munere, od naturæ ejus proprium est; (ita tibicen per- ctus est, cum perfectè canit tibia, statuarius m statuam optimam facit; ita etiam mem- um unumquodque tàm in animalibus aliis, àm in homine perfectum est tum demum, si unus id ritè obeat, cui à natura destinatum , puta si oculus clarè videat, auris accuratè au- at, &c.) fieri aliter nequit, quin etiam hominis rfectio sic posita sit, sicut præclarè hoc dedu- t Plato lib. 1. de rep. in fine, unde hoc desumsit ristoteles 1. ethic. c. 6. text. 54. Non potest au- m functio illa nisi animę quædam facultas esse, c viventis tamen, sine cujus beneficio homo vit tantum: ista enim animæ potentia est etiam plantis, quin nec sentientis, quatenus talis est: nam

II. Consistere in proprio aliquo hominis munere.

Plato. *Aristotel.*

Non autem animæ viventis aut sentientis.

Sed rationalis. est: nam hæc brutis communis est; sed rationalis: hæc enim animi facultas soli homini propria est. *Seneca.* Egregiè hoc explicat Seneca epist. 76. *Omnia*, inquit, *suo bono constant: vitem fertilitas commendat, sapor vinum, velocitas cervum. Quare fortia dorso jumenta sint, quæris? quia eorum hic unus est usus, sarcinam ferre. In cane sagacitas prima est, si investigare debet feras: cursus, si consequi: audacia, si mordere & invadere. Id in quoquo optimum est, cui nascitur, quo censetur. In homine optimum quid est? Ratio: hac antecedit animalia, deos sequitur. Ratio ergo perfecta, proprium hominis bonum est: cætera illi cum animalibus satuque communia sunt. Valet? & leones; formosus est? & pavones: velox est? & equi: non dico, in his omnibus vincitur. Non quæro quid in se maximum habeat, sed quid suum. Corpus habet? & arbores, habet impetum & motum voluntarium: & bestiæ & vermes: habet vocem? Sed quanto clariorem canes, acutiorem aquilæ, graviorem tauri, dulciorem nobilioremq; lusciniæ? Quid in homine proprium? Ratio, hæc recta & consummata felicitatem hominis implevit.* Ita Seneca.

III. Esse virtutem. Ex his itaque conficitur nullum aliud esse summum vitæ bonum, sive id ad quod omnia nostra studia omnesque actiones referre oportet, quàm *virtutem*: ea enim est animæ rationalis perfectio, & inter cætera bona omnia sola homini competit, quâ homo est, cum reliqua, quæ *Idem secundum rationem & naturam vivere.* pro bonis habentur, vel bona reverà non sunt, vel saltem non sunt propriè humana: nihil enim nisi quod ratione regitur, aut rationem habet, humanum est aut homini propriè convenit. Atque hoc est, quod Polemo academi- *Polemo.* cus

dicebat,& ab eo acceptum Zeno & Stoici o-
es passim inculcant, summum bonum esse *se-
lum naturam vivere*, ut testatur Cicero 4. de fi-
us. *In hoc sumus sapientes*, ait Cato apud eundem
Senectut. *quod naturam optimam ducem, tanquam
um, sequimur, eique paremus.* Idque ipse etiam *Plato.*
to docet 4. de republ. in fine, quum dicit; sic-
n Civitate omnia rectè se habeant; si omnes
m agant; ita etiam cujusque vitam optabilem
di, si unaquæque animæ facultas opus id fa-
, quod natura ei demandavit, & concentus a-
iis earum facultatum sit; ut & contra, o-
em pravitatem inde oriri, si in anima excite-
seditio & imperare ea animi potentia cupiat,
e servire nata erat: Item, justitiam esse secun-
n naturam animi vivere, sicut sanitas est,
dispositum secundum naturam corporis, i-
ut pulchritudo corporis consistat in bono
poris habitu, ita animi pulchritudinem po-
m esse in virtute. Denique sicut vita corpo-
non est vita, cum corpus præter naturam di-
situm est & ægrotat, ita nec animum revera
ectè vivere ubi præter aut contra naturam
n adfectus sit. Ita Plato. Nec aliud vult Ari-
: libr. 7. Politic. quum dicit: οὐδὲν τῶν παρὰ φύ- *Aristot.*
σιν : *Nihil, quod præter naturam sit, pulcrum*

Et consentit ex nostris etiam B. Ambro- *Ambros.*
libr. 1. Offic. cap. 19. *Naturam*, inquit, *imite-
r : ejus effigies formula disciplinæ forma honestatis*
Quod hoc ex B. Paulo quoque 1. Cor. 11. con-
nat lib. eod. cap. 46. *Adverte* ait, *quod & decorum
secundum naturam degere, & turpe est, quod fit con-*

tra naturam. At enim Apostolus quasi interrogans: Decet mulierem non invelatam orare Deum? nec ipsa natura nos docet, quod vir quidem si comam habet ignominia est illi, quoniam contra naturam est? Et iterum: Mulier verò si capillos habeat gloria est illi: est enim secundum naturam.

Const. M. Quin Constantinus M. Imperator, non tantum pulcrum esse statuebat secundum naturam vivere, sed ejusmodi vitam ipsius naturæ ornamentum esse ajebat: Κόσμος φύσεως, inquit, ἡ κατὰ φύσιν ζωή: *Natura decus est vita ex natura regula instituta*, orat. ad cœtum sanctor. c. 1.

IV. Quid sit vivere secundum naturam. Cæterum Stoici illud, secundum naturam vivere, dupliciter explicant, alii, ut intelligant *Communem* illam naturam ejusque auctorem sicut Cleanthes, alii ut accipiant de *propria* hominis, sicut Chrysippus. Sed res eôdem ferè cecidit: nā communi quidem naturæ convenienter vivit,

Communem. qui, ut Epictetus apud Arianum lib. 3. c. 12. id declarat, *mentem suam submittit summæ illi menti gubernatrici omnium sicut boni cives legi civitatis*, vel ut idem cap. 10. rotundius hoc complectitur, *qui Deum sequitur*. Quod Seneca insinuat epist. 107. *Optimum est pati, quod emendare non possis, & Deum quo auctore cuncta proveniunt sine murmuratione comitari. Malus miles est, qui imperatorem gemens sequitur.*

Cleanth. Vbi etiam versus Cleanthis in hanc sententiam refert, Latinè sic à se expressos:

Duc me Parens celsiq; dominator poli
Quocunq; placuit, nulla parendi mora est.
Assum impiger: fac nolle. comitabor gemens:
Ducunt volentem fata, nolentem trahunt,
Malusque patiatur, quod pati licuit bono.

Deni-

Denique ita epistolam claudit: *Hic est magnus nus, qui se Deo tradidit. At contra ille pusillus ac degequi obluctatur & de ordine malè existimat & emen: mavult Deos quam se.* Hoc est naturæ commuonvenienter vivere. Quid aliud autem illud m virtutem sectari? Deum enim sequi, ejusq; ui & arbitrio se componere, omnium virtuı apex est & summa, etsi Stoici hoc ad toleranı adversorum ferè tantum restringunt, nec ad cæteras virtutes semper extendunt.

Neque aliter res se habet de vita propriæ hoıis naturæ convenienti: neq; ei enim conveıter vivere *est id omne quod homines faciunt aut ad l natura proni sunt, sed quod εὐλόγιστον est, id est, rationg-uit, agere,* ait & multis ostendit Epictetus a- Arianum lib. 1. c. 11. Nec sanè per naturam ninis hic intelligi debet vel congenita, vel suetudine & malis morib. ultrò adscita pras, sed naturale judicium & instinctus, à crea: ipsi indita & post lapsum etiam relicta: quo u vocabulum hoc accipitur quum Theologi m naturæ vocant, quod B. Paulus ad Rom. appellat *jus Dei*, & cap. 2. 15 *opus legis* cordibus ninum à Deo inscriptum. Imò eo sensu ipse aulus ait ad Rom. 2. 14. *gentes qui legem scrinon habent naturâ quæ legis sunt facere* & 1. ad inth. 11. inquit: *Annon natura ipsa vos hoc docet*: aliter Ecclesia loquitur, quando contra Maıæos defendit peccatum non naturam alim sed naturæ corruptionem esse. Atq; hoc atura prava consuetudine corrupta (nā alteillam connatam corruptionem ignoravit)

Quid secundum proprium.

Epictet.

Quid per naturam hominis hic intelligendum.

Arist. ipse Aristoteles monet 1. Politic. cap. 5. *Oportet, ait, considerare naturam non in corruptis, sed in his quæ magis se habent secundum naturam: quocirca is homo qui & animo & corpore optimè dispositus sit inspiciendus, in quo certè id manifestum est: non pravorum quidem aut pravè dispositorum sæpe invenietur corpus imperare animo ex eo, quia perversè ac præter naturam se habet.* Secundum naturam itaque vivere est juxta legem naturæ, ut Theologi vocant; seu juxta rectam & veram rationem; ut nos aliâs hic loquimur, vitam instituere: hoc autem quid aliud est, quàm virtutem & honestatem sectari? Vtrumq; etiam ipsi Stoici disertè dicunt. Ita supra *Epictetus* Epictetus illud, secundum naturam, vocabat τὸ *Seneca.* εὔλογιστον. Seneca autem utrumque cõp'ectitur epist. 76. quum ait. *Hominis summum bonum est ratio: hanc si perficit laudabilis est, & finem naturæ suæ attigit. Hæc ratio perfecta virtus vocatur.* Et Philo Judæus *Philo Iud* plura adhuc paucis verbis comprehendit libr. de migrat. Abrahami. *Hic est, ait, ille finis summus, qui à præstantissimis Philosophis celebratur, iuxta naturam vivere, quod fit quando mens ingressa virtutis semitam incedit per rectæ rationis vestigia, & Deum sequitur, memor eius præceptorum & habens ea rata dictis factisq; omnibus.* Hæc ille, quæ summatim omnem felicitatem vitæ civilis explicant. Ita ergo patet summum bonum in sola virtute consistere.

VI. Sitne possessio virtutis summum bonum an eius usus?

Verùm hic jam id quæritur, an ea quæ diximus accipienda sint de virtutis actu, ut Philosophi vocant, primo, an secundo, seu sitne ipse *habitus* & possessio *virtutis* quæ felicem hominem reddat,

reddat, an ejus operatio potius & *usus*, seu actio *Arist. asfirmat posterius.* secundum virtutem? Aristot. 1. Ethic Nicom. cap. 1. t. 33. 1. magn. mor. cap. 4. & 2. Eudemior. cap. 1. docet non tàm habitum virtutis, quam ejus operationem, & vitam secundum virtutem, summum bonum esse. Vnde etiam in magnis moral. cap. 3. sic ait: *Ceterum non est simplex finis, sed duplex: horum alter est ipsa actio & visus. Atque est usus magis expetendus, quàm habitus; usus autem (huius) finis est: nemo enim velit visum habere si non sit visurus aliquando, sed occlusos oculos gestaturus. Eodem modo res de auditu se habet & similibus. Quorum ergo & habitus & usus est, semper melius quid & expetibilius est usus habitu: usus enim & actio sunt finis, habitus autem propter visum est.* Sic ille: estque ut videtur sententia hæc omnium veterum. At Zeno, ut refert Tullius in acad. q. sub fin. *non usum modo virtutis, ut superiores, sed ipsum habitum per se esse præclarum putavit.* *Zeno & Stoici primi.* Huic assentitur Plotinus ennead. 1. libro 4. q. 10. multis contendens felicitatem non in actionibus virtutis, sed ipso ejus habitu sitam esse. *Quibus & Plotinus accedit.* Cujus rei ille quidem tria argumenta dicit. Primum est, quia si felicitas collocetur in cumulo optimarum actionum, sit & aliquid constans ex multis, quæ jam transierint, & uno tantum, quod adhuc sit præsens. *Eius argumenta.* Secundum est, quia progressu temporis augeretur. 1. Tertium, quia non actiones ex se, sed habitus bonitatem largiantur, eamque ipsis etiam actionibus, seu, ut ipse loquitur, ὅτι αἱ πράξεις ὐκ ἐξ αὐτῶν τὸ εὖ διδόασιν, ἀλλ' αἱ διαθέσεις καὶ τὰς πράξεις καλὰς ποιοῦσι. 2. 3.

VII. *Aristot. defenditur.* Rectiùs autem sine dubio sentit Aristoteles, quanquam Zeno statim quod peccarat ex parte corrigit: etsi enim ipsum habitum per se praeclarum esse statuebat, addebat tamen, *habitum illum nemini inesse, quin eo semper uteretur*: quod etsi verum accuratè loquendo non est, id tamen inde patet, virtutem in se, & demto ejus usu, pro summo bono haberi non posse.

Ejus rationes. Et rationes Aristotelis firmae sunt: primo enim nihil manifestius est, quàm possessionem virtutis esse propter ejus usum, nec justum laudari, nisi quia justitiam exercet, nec fortem nisi quia fortiter, quum opus est, pugnat &c. Imò salus reipubl. in eo vertitur, non ut omnes sint justi, fortes, &c. nemo autem justa aut fortia faciat, sed ut justè quisque agat & fortiter patriā defendat. Quare actiones virtutis ipsa virtute in se spectatā potiores sunt. Summo autem bono nihil est potius: in virtute ergo in se spectata seu in nudo ejus habitu illud consistere nequit. Deinde quum quis dormit non differt felix ab infelici, unde vulgò dicitur, felices & infelices dimidia vitae suae parte nihil distare: & tamen etiam is qui dormit habitum virtutis possidet. In eo itaq; felicitas sita non est. Tertiò, ostendimus supra, perfectionē uniuscujusque rei in certa aliqua ejus functione consistere: sed virtus ipsa, sive habitus ejus, non est functio, verum actio secundum virtutem. Non ergo illa, sed ista erit summa hominis perfectio, & illa eatenus tantum hominem perficiet, quatenus actionum istarum fons & principium est. Denique potest is qui virtutem possidet in tantas ca-

tas calamitates incidere, ut felix amplius, nisi absurdè, dici nequeat, puta si omnibus penè sensibus orbetur & tota vita in lecto decumbat, &c. nec tamen tum habitu virtutis spoliatur. Non ergo felicitas in habitu propriè, sed actione virtutis posita est. Hæc sunt argumenta ipsius Philosophi: quibus adijci sequentia ex Alexandrino Aprodisæo possunt, qui peculiari libello sententiam illam Stoicorum inpungat. Primò si felicitas est aliquid vitę, est perfectio aliqua operationis seu in operatione consistens; vita enim operatio quædam est. At est aliquid vitæ. Ergo. Secundò non est felicitas juxta Stoicos, nisi penes illum qui rectè discernit visa, unde Epictetus Apud Arianum lib.1.cap.20. hoc *primum & maximum Philosophi munus* esse dicit. Alterum, habitu virtutis præditus si ægrotet, illud non facit. Ergo habitu virtutis præditum esse ad felicitatem non sufficit. Tertiò contra Zenonem; Qui lethargo, melancholia aut simili modo corripitur, virtutem retinet, nec agere tamen juxta eam potest. Non ergo statim qui virtutem habet actione etiam virtutis est prędituş. Longè plures rationes adfert Alexāder, sed nos paucas istas excerpsimus, quæ sufficiant *Alia ex Alex. Aphrod.*

Ad argumenta Plotini sic respondetur. Ad primum conceditur, felicitatem constare ex multis quæ praterierunt & uno præsenti, cum ipsa etiam vita ex talibus constet. Sanè vita ipsa est aliquid quod in perpetuo fluxu consistit, nec tantum plurima ejus non sunt præsentia, ut Plotinus dicit, sed nihil ejus est præsens, si *VIII. Solutio argumentorum Plotini. Primi.*

accuratè & physicè consideres, nisi vitæ punctum: neque enim vel dies, aut hora vitæ una, tota præsens est, nedum aut pueritia, aut juventa, aut senectus tota. Quin præsens tempus non tam est temporis pars, quàm momentum & terminus præteriti initiumque futuri, ut docet Aristotel. 4. Physic. capit. 10. & 11. & B. Augustinus libro 11. confess. cap. 13. & seqq. Quod si itaque vita ipsa non tàm ex præsenti aliquo, sed præteritis & futuris constat, nihil mirum est idem etiam felicitati ejus competere. Ad secundum respondetur, non sequi si felicitas consistat in actione virtutis, fore ut quò plures actiones, eò magis etiam augeatur felicitas: primò enim si vita ad plures annos duret, extendi ea & conservari dicitur, nec tamen augeri. Sic etiam quò diutius fiunt, quæ sunt virtutis, hoc diutius durat felicitas, nec augetur tamen. Deinde non ponit Aristotel. felicitatem in unaquaque actione seu in singulis actibus, sed in omnium collectione: quemadmodum enim senex nemo dicitur propter hunc aut istum, aut illum annum, quem vixit, si seorsim singulos sumas, sed propter illos omnes simul sumtos: ita etiam felix non est quis quòd tum rectè egit, aut quod illo tempore, sed quod illo & isto & totâ vitâ virtuti studuit. Quare etsi ultra unam actionem virtutis semper esse altera potest, quæ ei addatur, ultra ipsam tamen felicitatem nihil est, sicut etiam ultra unum annum senectutis esse potest aliud, nec tamen quidquam est ultra senectutem

Secundi.

ctutem ipsam. Ad tertium dicitur, habitum id largiri, ut promptè & constanter agas, ut benè autem, hoc ex fine objecto & intentione agentis propriè dependere, ut libro secundo pluribus ostendetur. Quin si omnis bonitas actus dependeat ab habitu, actus nulli boni sint, nisi à bono habitu profecti: quomodo ergo ipsi habitus boni producerentur? ij enim non nisi à bonis actibus qui habitum præcedunt, gigni possunt: ut infrà patebit. Hæc ad argumenta Plotini.

Dices, nihilominus felicitatem denotare qualitatem aliquam, non actionem, & felicem seu beatum esse, non agentem aliquid, sed qualitate præditum. Respondeo, fallaciam esse figuræ dictionis: sicut enim, valere, videtur dicere actionem cum tamen revera denotet qualitatem: ita contra hîc felicem esse videtur qualitatem significare, cum revera actionem denotet. Similiter vox perfecti qualitatis significationem præ se fert & sæpe substantiam significat, imò per omnia rerum genera vagatur; eadem ratio est de voce boni. Quid? quod felicitas aliter etiam exprimi potest, idque per voces quæ apertè actionem denotant: rectè enim vivere, rectè & optimè agere est felicem esse, nec tamen illa, ut hoc, ad modum qualitatis, sed actionis felicitatem significant. Quod si urgeas, felicitatem denotare aliquid permanens, actiones autem transire, respondeo felicitatem ideò significare aliquid permanens, quia collectionem actionum totius vitę denotat, & eodem IX. *Nova objectio.* *Respon.*

modo etiam actiones per manentiam habere, licet singulæ actiones & unaquæq; seorsim sumta transeant. Sic vita ipsa quoq; permanens aliquid apparet, etsi singulis momentis aliquid ejus perit; sic etiam annus, dies & hora denique.

X. *Alia.* Objicies porrò ex Stoicis, felicitatem debere esse in nostra potestate & extra arbitrium fortunæ, id autem non actionibus virtutis, sed ejus habitui competere: actus enim illi impediri possunt & planè etiam per calamitates tolli: manente tamen & non violata ipsa virtute. *Respon.* Respondeo primò, posse per morbos virtutem ipsam etiam tolli: secundò eam vel maximè impediri quum exercere se non potest, sicut homo impeditur, quando id agere nequit quod agere quàm maximè cupit & debet: tertiò dico, felicitatem nostram esse humanam & vitæ admodum fragilis perfectionem. Nihil itaque absurdum, si tanta non est ut nusquam & nulla calamitate turbari aut interdum etiam statu suo dejici queat, quod infrà pluribus ostendetur.

XI. *Adhuc alia.* Postremò, sicut nos suprà inde ostendimus virtutis habitum non esse S. Bonum, quia fit propter aliud, nempe actionem virtutis, ita ipsam etiam actionem virtutis propter aliud esse dicere possis, cum virtuti ideò studeamus ut affectus animi compescamus. Objectionem hanc proponit & solvit alexand. lib. 4. quæst. moral. cap. 24. Responsio autem facilis est: neq; enim actio virtutis expetitur proprie propter affectus moderandos, sed ipsæ actiones illæ sunt ista moderatio. Et abusus est voculæ *propter*, qualis etiam est, si di-

si dicas actiones virtutis suscipi propter felicitatem, seu agenda esse honesta, ut felix sis: nec enim eum sensum habet, finem illarum actionum esse felicitatem, sed ipsas illas actiones felicitatem formaliter constituere. Ex his ergo patet, rectè ab Aristotele asseri felicitatem non tam in habitu, quàm actione virtutis positam esse.

Cæterum cur non in quavis functione animæ rationalis, sed quę à virtute illius facultatis proficiscitur eam collocaverimus, ista caussa est, quod illa demum est perfectissima actio & operatio, quæ à facultatis alicujus optima & præstantissima virtute oritur: melior enim est virtus & habitus quàm potentia naturalis. Virtus autem ut adsit etiam vita perfecta requiritur, seu oportet ut quis tota vita rebus optimis studeat: sicut enim una hirundo, quod ajunt, non facit ver: ita nec una & altera actio bona virtutem gignit, multò minus felicem efficit. *Nihil magnum fit tam subitò*, ait Epictetus apud Arianum lib. 1. c. 15. *imò ne uva quidem & ficus. Si mihi nunc dicas, te velle ficum, respondebo, tempore esse opus sine primum ut floreat, pòst fructum producet, deniq; maturescet. Cum ergo ficuum fructus subitò & una hora non perficiatur, an animi fructum vis tam brevi tempore & tam levi negotio tibi parare?* Ita Epictetus. Et sanè *nulla res potest esse eadem festinata simul & examinata, nec esse quidquam omnium quod habeat & laudem diligentiæ simul & gratiam celeritatis*, ut rectè Apulejus ait lib. de Deo Socrat. Quibus ita explicatis facile jam est omnia uno quasi fasciculo colligere & verbo describere quid sit felicitas illa de qua hacten⁹ disseruimus. Est au-

XII. *Quare summum bonum sit actio secundum virtutem.*

Quare requirat vitam totam.

Epictet.

Est autem, ut docet Aristot. 1. Ethic. c. 7. t. 58. *functio animi, seu ejus facultatis in animo, quæ rationalis est, secundum virtutem optimam in vita perfecta.*

IX. *Veterum cum sententia hac consensus.* Hæc est vera sententia de vitę hujus civili bono: quam veterum quoque sapientissimi quique ante Aristotelem secuti sunt, vel certe non multum ab ea abluserunt, ut 1. Ethic. Nicom. cap. 8. ostenditur. Primò enim cum plærique bona omnia in tres classes distribuerent, in bona externa, bona animi, & bona corporis, intelligentissimi omnes in bonis animi palmarium collocarũt. Idem & nos facimus, quando summum bonum in animi aliqua functione consistere dicimus. Deinde felicitatem omnes dicũt esse nihil aliud quàm bene vivere, bene rem gerere: non tam ergò virtus ipsa, quàm ejus operatio, vel vita virtuti consentanea, intelligi debet. Tertò alii virtutem, alii prudentiam & sapientiam esse volunt: rectè item, modò per virtutem intelligas ejus actum potiùs secundum quàm primum, per prudentiam autem & sapientiam cognitionem non theoreticam, sed practicam: sine hac enim virtus esse nequit. Quartò, quidam virtutem sine voluptate, quidam cum voluptate rẽ conficere arbitrati sunt: utriq; rectè quadamtenus. Nam si voluptatẽ corporis intelligas, bene hinc sequestratur: in illa enim, ut suprà patuit, summum bonum situm esse non potest. Sin autem non tàm de corporis, quàm animi voluptate sermo fit, rectè cum summo bono ea conjungitur: omne enim id volupe est, quo quis delectatur; in actionib. autem virtutis maxima delectatio est, si quis virtutem

amet;

amet; imò non eſt quiſquam virtutis aut honeſtatis cupidus, niſi qui ex utraq; ſeriam voluptatem capiat. Nec profectò corporis tantùm eſt aliqua voluptas, ſed & animi, eaq; maxima & cum primis excellens. Pythagoras quidem cum quadratum hypotenuſæ trianguli orthogonii æquare quadrata duûm reliquorum laterum primum deprehendiſſet, præ gaudio bovem immolabat, ut Diog. Laërtius teſtatur in vitâ ejus, vel ut Athenæus lib 10. cap. 1. narrat, integram hecatomben. Archimedes item cùm furtum aurifabri commiſſum in aurea corona, quam Hieroni regi fabricârat, ut diis votiva eſſet, in balneo deprehendiſſet, non contineba t ſe, quin in publicum prorūpens, animi ſui lætitiā teſtaretur & clamaret illud, εὕρηκα, ut eſt apud Vitruvium lib. 9. c. 3. Vterq; ſeriò gaudebat, ſed nihil corpori obtigerat volupe. Epaminondam etiam dixiſſe ferunt, *iucundiſsimū quod ſibi in vitâ accidiſſet, id eſſe quòd parentes ipſius eouſq; ſupervixiſſent ut tropæū illud Leuctricæ pugnæ ſe imperatore viderint*, ut refert Plutar. adverſus Coloten, & lib. an ſeni gerendā ſit reſpubl. c. 11. Vnde patet etiam animo eſſe ſuam voluptatem: imò hæc ſola fortè vera voluptas eſt, & altera illa corporis ſpeciem tantùm ejus gerit: *ea enim, quib. delectatur vulgus tenuem tantùm & perfuſoriam voluptatem habent, eſtq; eorum invectitium gaudium ac fundamento caret*. dicente Seneca epiſt. 22. *Quin fluit voluptas corporis, & prima quaq; avolat, ut aiebat Ariſtoteles, ſæpiusq; relinquit cauſas pœnitendi quàm recordandi*, ut refert Cic. 2. de finib. *Imo voluptas nunc, cum maximè delectat, exſtinguitur, nec multū loci habet: itaq; citò*

Eſt animi etiam aliqua voluptas.

Pythag.

Archimedes.

Epaminondas.

Seneca.

Cic.

titò implet & tadio est, & post primum impetum marcet! Nec id unquam certum est, cujus in motu natura est, ut iterum dicit Seneca lib. de vit. beat. c. 7. Quare etiam Stoici, ut voluptatem animi ab hac distinguerent, gaudium illam potius quàm voluptatem dici voluerunt, ut patet ex eod. ep. 59. Postremò fuerunt ex veteribus, qui cum summo bono etiam conjungerent bona fortunę, fuerunt & qui ab eo illa planè segregarent. Sed quid hac de re sentiendum sit, quia acriter de eo inter Peripateticos & Stoicos contenditur, sequenti capite paulò fusius applicabimus.

Gaudium aliud à voluptate.

XIV. *De Platonis idea boni.*

Tantùm de sententiâ Platonis difficultas aliqua restat, qui felicitatem vitæ in *ideâ boni* collocat. Quid ille vocet ideas, explicant latè Franciscus Philelphus lib. 1. Philos. moral. & Franciscus Picolomineus gradu 9. c. 24. Non statuit autem in quavis earum situm esse summum bonum, sed in ipsius, ut diximus, boni idea: quam Aristoteles quidem accipit de communi natura boni, prout illa à rebus omnibus bonis participatur, eoque multis disputat tum 1. eth. Nicomach. c. 6. tum 1. M. M. cap. 1. neque unam talem dari, neque si detur, ad vitæ felicitatem pertinere posse; cum ex contemplatione naturæ boni nemo melior evadat. Et sanè vel accipitur natura illa communis boni præcisè, id est, ita ut explicetur, quid sit bonitas, abstrahendo eam ab omnibus quæ sunt bona: atque ea ratione ad vitam conferre ejus cognitio nihil potest, cum quis multa bona parare sibi queat, qui tamen de natura boni tàm accuratè disputare non possit, quàm faciunt metaphysi-

physici. Ita medicus bonam valetudinem procurare potest, si bonis medicamentis sit instructus & artem suam probè norit, licet nihil de natura boni fortè sciat, præterquam quod omnibus hominibus cognitum est. Vel accipitur sine præcisione, sive prout reperitur natura illa in rebus dispersa & tum non ad unam disciplinam sed ad omnes pertinet: cunctæ enim sibi bonum aliquod propositum habent, sive cognoscendum sive agendum & comparandum.

XV. Quomodo mentem ejus exponant Platonici.

Verùm Plato, si Philelpho cæterisque Platonicis credimus, per ideã illam nihil aliud intelligit, quàm Deum Opt. Max. quem propterea boni ideam passim facit, quia non tantùm bona omnia ab ipso proficiscuntur, sed ipsum etiam tanquàm archetypum referunt, imitantur & æmulantur. Qui si est sensus, jam rectè quidem dicitur, ideo illam esse summum bonum, sed non civile; sola enim contemplatione homo ejus particeps in hac vita fieri potest. At civile bonum est actionum civilium finis, non contemplationis: ergo ne sic quidem potest esse summum bonum quod hic quærimus, cum fieri possit, ut qui contemplationi boni illius deditus sit, tamen propterea rectè non vivat. Quemadmodum igitur differt, scire esse aliquod numen æternum, quod sit fons omnis boni, justitiæ & veritatis, quodque remuneretur virtutem & vindicet scelera, & amare illud, id est, id facere in vita, quod illud ipsum numen à nobis fieri vult, & se velle in natura nostra inscripsit; tantum etiam differt summum bonum civile à Platonis idea & bono con-

no contemplativo; quanquam id negari non potest, unum multum facere ad alterum, imò, ut supra diximus, unum sine altero subsistere non posse. Atque hoc vult Aristoteles, ut dicetur, quando Platonem impugnat, etsi alii eum non tam Platonis ipsius sententiam, quàm quæ vulgo pro Platonica habita fuerit, reprehendere reputant, ut acciaiolus h. loco; Picolomineus l. cit. cap. 26. & Camerarius ad 1. Polit: cap. ult. Sed quid hac de re (nec enim disputare nunc ea de re libet, quosque & qua de causa Platonem impugnet Aristoteles) in hoc loco sufficit; Platonem alioqui diversum ab ea sententia; quam Aristoteles de summo bono tenet, non statuere. Vnde Augustinus 8. de civit. Dei cap. 9. sic scribit: *Nunc satis sit commemorare Platonem determinasse, finem boni esse secundum virtutem vivere, & ei soli evenire posse, qui notitiam Dei habeat & imitationem; nec esse ob aliam caussam beatum: ideoque non dubitat hoc esse philosophari, amare Deum, cuius natura sit incorporalis. Vnde utique colligitur, tunc fore beatum studiosum sapientiæ (id enim est Philosophus) cum Deo frui cœperit.* Et paulo post: *Ipsum autem verum ac summum bonum Plato dicit Deum: unde vult esse Philosophum amatorem Dei, ut quoniam Philosophia ad beatam vitam tendit, fruens Deo sit beatus, qui Deum amaverit.* Idem de ipso testatur Clemens Alexandrinus lib. 2. Stromatum: Verba ejus sunt: *Plato Philosophus finem ponens beatitudinis, dicit eam esse Deo assimulari, quoad eius fieri potest, sive cum legis decreto quodam modo concurrens (magna enim natura ab animi perturbationibus, nescio*

Quid impugnet Arist. in Platone.

Plato aliàs & ipse de S. B. cum Arist. sentit.

Augustin.

Clem. Alex.

ſcio quomodo feruntur ad ſcopum veritatis,ut dicit Philo Pythagoreus Moſis res geſtas deſcribens) ſive etiam edoctus ab aliquibus,quæ tunc erant, divinis eloquiis, ut qui doctrina ſiti ſemper teneretur: dicit enim lex: Poſt Dominum Deum veſtrum ambulate,& mandata mea ſervate. Hæc Clemens.Et hucuſque etiam de Platonis ſententia.

CAPVT VIII.

Excutitur nobilis illa quæſtio, quæ agitata olim inter Peripateticos & Stoicos fuit,an & quatenus ad felicitatem civilem requirantur bona fortunæ. Oſtenditur etiam obiter,quomodo accipienda ſint Stoicorum nonnulla de viro ſapiente paradoxa.

SUMMARIA.

1 *Controverſia de bonis externis, quæ Ariſtot.neceſſaria facit ad S.B.*
2 *Stoici ab eodem ſummovent.*
3 *Quid rectè hic illi doceant.*
4 *S.B.non conſiſtere in bonis externis.*
5 *Nec carere tamen poſſe illis.*
6 *Quouſque virtus extra fortunæ regnum ſubducta ſit.*
7 *Quomodo illud intelligendum: ſolam actionem virtutis eſſe S.B.*

8 *Sententia Arist. ex ipsorum Stoic. hypothesibus deducitur.*
9 *Ipsos idem quod nos interdum fateri.*
10 *S.B. non requirere bona externa nisi necessaria.*
11 *Felicitatem nostram non esse divinam sed humanam.*
12 *Error Stoicorum, sapientem cum Deo ex pari vivere.*
13 *Alia causa, quare opus sit bonis fortunæ.*
14 *Sententiam Aristot. magis convenire cum fide quam Stoicam.*
15 *Quam necessaria ad vitam sit S.B. consideratio.*
16 *Quomodo paretur. & quod divinitus obtingat.*
17 *Accedente tamen disciplina & exercitatione.*

1. Controversia de bonis externis.

HACTENUS demonstravimus summum bonum civile nihil esse aliud, quam actionem virtutis, sive vitam honestam & virtuti consentaneam. Ostensum est etiam, idem planè, vel certè non multum quid absimile statuisse veteres Philosophos ante Aristotelem. Verum enimvero ut de actione & habitu virtutis dissentiunt Aristoteles & Stoici: ita etiam de bonis fortunæ diversa tradunt: cum enim habitus ille esse sine bonis istis possit, non actio, necessario fit, ut si de uno discrepetur, de altero etiam oriatur controversia. Aristoteles etsi summum bonum non constituit in bonis fortunæ, negat tamen id bonis externis carere posse: cum enim nihil præclari is agere in vita possit, qui vel nunquam sano corpore est, vel omnibus amicis destitutus, nullo loco in rep. nullo censu; non videtur fieri posse, ut quis felix sit, qui nihil istorum bonorum possideat, sicut traditur 1 Ethic. c.8. Idem repetitur

Aristoteles ea necessaria facit ad S. bonum.

ritur libr.ultim.cap.8.tom.75. *Commodis externis*, inquit de beato, *cum homo sit, indigebit*. Et rursus: *Certè, opus est valere & vigere, præsidiaque alimento necessaria reliquumque cultum suppetere*. Nec aliter sentit 7.Polit.cap.1. Verba sunt: *Hoc nunc supponatur, optimam vitam cum seorsim singulorum tum publicè ipsarum civitatum esse eam, quæ secundum virtutem instituitur, & eousque bonis fortunæ dotata est, ut actionum virtutis particeps sit*. Νῦν ὑποκείσθω, ὅτι βίος μὲν ἄριστος καὶ χωρὶς ἑκάστῳ, καὶ κοινῇ ταῖς πόλεσιν, ὁ μετ' ἀρετῆς κεχορηγημένης ἐπὶ τοσοῦτον, ὥστε μετέχειν τῶν κατ' ἀρετὴν πράξεων. Deinde quæ à fortuna homini accidunt, ea sunt vel magna vel parva: si parva, parum sane momenti ad hanc rem habent: sin magna & bona, augent felicitatem quatenus promovent actiones præclaras & honestas; sin mala, obnubilant eam, quia actiones pulcras impediunt, ut iterum docetur 1.ethic.cap.10. Tertiò, Aristot. etsi bona fortunæ, ut dixi, non facit summa in vita, statuit tamen ipsa quoque in suo genere bona esse, eorumq; accessione augeri summum bonum hoc pacto posse, quo omne maximum bonum accessione etiam minimi alicujus optabilius reddi supra dictum est. Vnde patet, si cum bona valetudine & sine dolore præclari quidquam quis gerere possit, melius id hactenus esse quàm si idem illud cum jactura valetudinis & inter maximos corporis cruciatus sit peragendum. Hinc Cato apud Ciceronem 3.de finibus: *Idem peripatetici non tenent, quibus dicendum est, quæ & honesta actio sit & sine dolore, eam magis esse expeten-*

dam, quam si esset eadem actio cum dolore. Hæc ita Aristoteles & omnes Academici.

II. *Stoici eadem ab hac re summovent.*

Stoici contrà virtutem & summum bonum non tantum carere posse bonis extremis docent, sed nec externa bona verè esse bona, aut contraria eorum mala, sed indifferentia, nec honestam actionem sine dolore esse meliorem, quàm si eadem cum dolore fit; ut autem bona sint, vel mala quę fortuna obtingunt, fieri id per accidens tantùm, & prout ea vel cum virtute vel turpitudine conjuncta sint, sive prout sit animus ejus qui utitur; per se autem ad beatè misereque vivendum nullum momentum habere. Hinc Cato pergit:

Cic. *Nobis aliter videtur, rectè secusne, postea: sed potestne esse rerum major dissensio? ut enim obscuratur & offunditur luce solis lumen lucernæ: & ut interit magnitudine maris Ægei stilla muriæ; & ut in divitiis Crœsi teruncii accessio, & gradus unus in ea via, quæ est hinc in Indiam; sic cum sit is bonorum finis, quem Stoici dicunt, omnis ista rerum in corpore sitarum æstimatio splendore virtutis & magnitudine obscuretur, & obruatur atque intereat, necesse est; & quemadmodum opportunitas (sic enim appellemus εὐκαιρίαν) non fit major productione temporis (habent enim suum modum quæcunque opportuna dicuntur) sic recta effectio, (κατόρθωσιν enim ita appello, quoniam rectum factum κατόρθωμα:) recta igitur affectio, item convenientia, denique ipsum bonum, quod in eo positum est, ut naturæ consentiat, crescendi accessionem illam habet.* Audi etiam Senecam

Senec. epist. 71 *Honestum*, inquit, *in omnibus par est. Quid ergo? nihil interest inter præturam Catonis & repulsam? nihil interest, utrum Pharsalica acie Cato vincatur*

catur an vincat? Hoc ejus bonum, quo victis partibus non potest vinci, par erat illi bono qui victor rediret in patriam & componeret pacem? Quidni par sit? eâdem enim virtute & mala fortuna vincitur & bona ordinatur. Virtus autem non potest major aut minor fieri. Et epist. 82. *Omnis res quod non habuit decus, virtute addita sumit. Cubiculum lucidum ducimus, hoc idem obscurissimum est nocte. Dies illi lucem infundit, non eripit. Sic istis quæ à nobis indifferentia ac media dicuntur, divitiis, viribus, forma, honoribus, regno, & contra morti, exilio, mala valetudini, doloribus, quæque alia aut minus aut magis pertimuimus, aut malitia aut virtus dat boni vel mali nomen.* Denique epist. 98. *Errant qui aut boni aliquid nobis, aut mali judicant tribuere fortunam. Materiam dat bonorum ac malorum & initia rerum apud nos in bonum malumve exiturarum.*

Causas, quare sic statuant, hasce afferunt. Primò, quòd in bonis fortunæ nihil stabile sit, nec ea in nostra potestate. Secundò, quod summi boni & felicitatis nulli sint gradus, ut accedere & decedere ei quippiam possit: totam enim adesse, vel totam tolli. Tertiò, quod qui bona fortunæ cum summo bono conjungunt, nunquam sine aliqua formidine esse possint, aut in tuto res suas collocare: timere enim semper, ne fortuna, quod dedit, aliquando repetat. Quartò sic argumentantur: Qui à cupiditate & ægritudine animi vacuus est, ille sine dubio feliciter vivit. Sed virtus etiam sine bonis externis id præstat. Ergo etiam sine illis beatos facit. Quintò ea non sunt bona, quibus etiam qui abundat, esse miserrimus potest. Sed multi abundan- *Rationes eorum.*

H 3 tes bo-

tes bonis fortunæ miserrimi sunt, puta si scelerati sint. Ergo illa quæ bona fortunæ vocantur, bona propriè non sunt. Hæc & similia Stoici: vide Cic. 5. Tuscul. & 3. de fin. Sen. de vit beat. & passim in epist.

III. *Quid rectè hic Stoici doceant.* Quidquid autem hac de re sit, nullum dubium est, quin Stoici rectè id doceant & urgeant, in sola virtute summum bonum positum esse, neque hoc fortunæ temeritati committi debere. Atque utinam omnibus id persuasum esset, bonum illud tantum esse maximè quod honestum est, & solum id malum quod turpe! *Sine caussa recedunt à veteribus.* interim tamen in hac quæstione sine caussa, ut videtur, recedunt ab Aristotele & Academicis, sicut rectè disputat Cicer. 4. de finibus: nam vel novi nihil docent præter vocabula quædam admodum obscura & minimè apta, vel ubi novi quidquam afferunt, magnificè id magis dicunt quam verè. Posterius horum in progressu manifestum erit: prius passim inculcat & olim accuratè disputabat Carneades. *Carneades.* Vnde Cato apud Cicer. 3. de fin. *Carneades tuus*, ait, *egregia quadam exercitatione in Dialecticis, summaque eloquentiâ rem in summum discrimen adduxit, propterea quod pugna non destitit in omni hac quæstione, quæ de bonis & malis appelletur, non esse rerum Stoicis cum Peripateticis controversiam sed nominum.* *Nova nomina afferunt.* Et Cicer. 1. de ll. ita scribit: *Marc. Ioculare istud quidem Pomponi & à multis sæpe derisum, sed ego vellem: me arbitrum inter antiquam academiam & Zenonem datum. Attic. Quo tandem isthoc modo? M. Quia de re unâ tantum dissident, de cæteris mirificè congruunt. Attic. Ain' tandem,*

dem, una de re est solùm dissensio? M. Quæ quidem ad rem pertinet una, quippe cum antiqui omnes, quod secundum naturam esset, quo juvaremur in vita, bonum esse decreverint, hic nisi quod honestum esset, nihil putaverit bonum. Et paulo post: *Si, ut Chius Aristo dixit, solum bonum esse diceret quod honestum esset, malumque quod turpe, cæteras res omnes planè pares, ac ne minimum quidem, utrum adessent an abessent, interesse, valde à Xenocrate & Aristotele & ab illa Platonis familia discreparet, essetque inter eos de re maxima & de omni vivendi ratione dissensio. Nunc verò cum decus, quod antiqui summum bonum esse dixerunt, hic solum bonum dicat, idem dedecus, quod illi summum malum, hic solum, divitias, valetudinem, pulchritudinem, commendas res appellet, non bonas, paupertatem, debilitatem, dolorem, incommodas non malas, sentit idem quod Xenocrates, quod Aristoteles, loquitur alio modo.* Hactenus Cicero.

Nos ut res tota intelligatur, paucis assertionibus eam complectemur. *Prima.* Summum bonum hominis non consistit in bonis externis aut fortunæ, sed in sola virtute, ut supra ostendimus. Ita sentiunt tàm Academici quàm Stoici, & sensit omnis in universum antiqua Philosophia, teste Cicerone Academ. quæst. 1. Aristot. autem id 1 ethic. cap. 10. expresse docet: *Cum*, inquit, *felicitas sit stabile quidquam, fortuna autem sæpe immutetur, necessum est, ut si fortunam sequamur, sæpenumero unus idemque homo dicendus sit felix & miser, atque statuendum, habere quasi naturam Chamæleontis, planeque in ludibrio positum esse eum qui felix sit.* Et libr. 7. Politic. cap. 1. ait: *Externorum*

IV. *Summũ bonum nõ consistit in bonis externis.*

Aristot.

quidem bonorum caussa est fortuna & casus, ac justus & temperans nemo à fortuna est neque per fortunam. Vnde & paulò superius de bonis fortunæ dicit,: *Animi gratia illa expeti nata sunt, & ita rectè sentientes expetere omnes oportet, non autem animum gratia illorum.* Sunt hæc omnia per se manifesta: præterquam enim quod bona ista semper admixtum aliquid mali habent, tanta est illorum inconstantia, ut nullius rei sit major. *Anxia res est humanorum conditio bonorum*, ut Boethius egregiè dicit lib. 2. prof. 4. *& quæ vel nunquam tota proveniat, vel nunquam perpetuo subsistat. Huic census exuberat, sed est pudori degener sanguis. Hunc nobilitas notum facit, sed angustiâ rei familiaris inclusus, esse mallet ignotus. Ille utroque circumfluus vitam cælibem deflet: ille nuptiis felix, orbus liberis, alieno censum nutrit hæredi. Alius prole lætatus filii filiævè delictis mœstus illacrymat. Inest singulis quod inexpertus ignoret, expertus horreat.* Et paullo post: *Quem caduca ista felicitas vehit, vel scit eam vel nescit esse mutabilem. Si nescit, quænam beata sors esse potest ignorantiæ cæcitate? Si scit, metuat necesse est ne amittat quod amitti posse non dubitat: quare continuus timor non sinit esse felicem.* Et sic plerumque fit, ubi fortuna maximè ridere videtur, magnum malum machinetur, quod rectè in Pompejo Magno notat Cicero Tusc. 1. *Pompeio nostro familiari*, inquit, *cum graviter ægrotaret, Neapoli melius est factum. Conati Neapolitani fuerunt. Nimirum etiam Puteolani vulgò ex oppidis publicè gratulabantur. Ineptum sanè negotium & Græculum, sed tamen fortunatum. Vtrum igitur si tumesset exstinctus, à bonis rebus an malis dis cessisset? certè à miseris: non enim cum socero bellum*

Boeth.

Bonorum externorum inconstantia.

Cic.

bellum gesſiſſet, non imparatus arma ſumpſiſſet, non domum reliquiſſet, non ex Italia fugiſſet, &c. De qua eadem re ſic & Juvenalis:

Provida Pompeio dederat Campania febres *Iuvenal.*
Optandas, ſed multæ urbes & publica vota
Vicerunt: Igitur fortuna ipſius & urbis
Servatum victo caput abſtulit. Hoc cruciatu
Lentulus, hac pœna caruit ceciditq; Cethegus
Integer, & jacuit Catilina cadavere toto.

Quod ſi itaque felicitatem in bonis fortunæ colloces, aliam eam non concinnabis, atque illa fuit, quam Thraciæ genus ita vocabat, *quæ* ut auctor eſt Plinius libr 7. cap. 40. *calculos colore diſtinctos pro experimento cujusq; diei in urnam condebat, at ſupremo die ſeparatos dinumerabat, atque ita de uniuscujusque felicitate aut miſeria pronunciabat.* Sed ſic felicitatem æſtimare ridiculum eſt. Rectè igitur hactenus Stoici. *Thracum ratio æſtimandi felicitatem.*

Secunda aſſertio. Quia autem per virtutem intelligi hîc non poteſt habitus ejus ſed actio, ut ſuprà probavimus, actio verò illa perfici nequit ſine aliquibus ſaltem fortunæ bonis, & impeditur ſæpe ab adverſitatibus; non poteſt ſummum bonum in univerſum carere fortunæ bonis, ut rectè Ariſtoteles docet. Vbi nota primò, aliud eſſe ſummum bonum non poſſe eſſe ſine bonis fortunæ, ut docet Philoſophus 1. ethic. Eudem. cap. 2. *Sicut unum & idem*, inquit, *non ſunt illa ſine quibus nemo ſanus eſſe poteſt, & ipſum illud eſſe ſanum, ita nec idem ſunt bene vivere & ea ſine quibus vivere non licet.* Ita homo ſine reſpiratione *V. S. B. non poteſt carere bonis fortunæ.* *Ariſtot.*

vivere nequit, nec tamen respiratio vita ipsa est. Similiter nec somno carere vita potest, licet ille vita ipsa non sit. Unde & Cicero de Senect. aliquid situm esse in bonis fortunæ dicit & exemplo Themistoclis Atheniensis & Scipionis Asiatici comprobat. Verba sunt: *Lal. Fortasse dixerit quispiam tibi (Cato) propter opes & copias & dignitatem tuam tolerabilem senectutem videri, id autem non posse multis contingere.* Cat. *Est istud quidem Læli, aliquid, sed in isto nequaquam sunt omnia, ut Themistoclem ferunt Seriphio cuidam in jurgio respondisse, cum ille dixisset, non illum sua sed patriæ gloria splendorem assecutum nec hercle, inquit, si ego Seriphius essem nobilis, nec si tu Atheniensis esses, clarus unquam fuisses.* Ita Cicero, qui istud totum & multa alia ex Platonis primo de rep. expressit. Idem ibid. *Quàm fuit imbecillis P. Africani filius is qui te adoptavit (Scipio)? quàm tenui aut nulla potius valetudine? quod nisi ita fuisset, alterum ille extitisset lumen civitatis: ad paternam enim magnitudinem animi doctrina uberior accesserat.* Et sanè si de patria præclarè mereri optimum quid est, id autem nec Cato nisi eo loco in republ. fuisset, facere poterat, nec Scipio ille alia de caussa minor fuit patre Africano, nisi quod cum adversa corporis valetudine perpetuo conflictaretur, ad summum utique bonum loci dignitas & corporis sanitas multum sæpe conferunt, etsi rem totam non conficiunt. Nec negari potest, hoc feliciorem fuisse Africanum filio, quò præclariora egit: eadem autem iste quoque & fortè majora designasset nisi valetudo obstitisset. Valetudinem itaque felicitati officere posse, si mala sit,

Cicero.

Scipionis Asiatici invaletudo.

subser-

ſubſervire ſi bona, manifeſtò hinc patet, etſi ipſa al as nec ſummum eſt bonum nec ſummum malum. Hoc primò notandum.

Secundò nota quod Stoici de virtute dicunt, ſubductam eam eſſe extra fortunæ regnum, nec ab illa loco moveri poſſe; id de habitu ejus vix verum eſſe, nedum de actione. Nulla adverſitas equidem ex liberali avarum facilè concinnabit, aut ex forti timidum, nec de ſtatu ſuo deturbabit eum qui ſemel arcem virtutis conſcenderit. *Fortuna opes auferre, animum non poteſt.* Quin *magnus gubernator etiam ſciſſo navigat velo, & ſi exarmaverit, reliquias navigii aptat ad curſum*, ait Seneca epiſt. 30. Et opt. Imperator *ſi non poteſt eo exercitu quo velit, ſaltem eo quem præſtò habet, bellicoſiſſimè pugnat; ſicut & ſutor bonus ex pellibus, quarumcunque copia fuerit, ſemper calceum pulcerrimum facit*, ut dicit Ariſt. 1. eth. Nicom. cap. 10. tom. 94. Quemadmodum item apes ex thymo aſpero & ſicciſſimo optimum mel conficiunt, ita homines eximii in rebus etiam aſperrimis inveniunt, quod præclarum ſit: *Non ex ebore tantum Phidias ſciebat facere ſimulacra, faciebat ex ære: ſi marmor illi, ſi adhuc viliorem materiam obtuliſſes, feciſſet quale ex illa fieri optimum poſſet: ſic ſapiens virtutem, ſi licebit, in divitiis explicabit, ſin minus, in paupertate, ſi poterit in patria, ſin minus in exilio: ſi poterit imperator, ſin minus miles: ſi poterit integer, ſin minus debilis. Quamcunque fortunam acceperit aliquid ex illa memorabile efficiet*, ut iterum ait Senec. epiſt. 85. Imò hoc nonnunquam viri præſtantes inſurgunt confidentius, quo adverſitate majore premuntur,

VI. Quonſq; virtus extra fortunæ regnum ſubducta ſit.

Senec. Act. 2. v. 147.

Duris

Duris ut ilex tonsa bipennibus,
Nigra feraci frondis in Algido,
Per damna per cades, ab ipso
Ducit opes animumq; ferro.

Hæc, inquam, ita se habent: sæpe tamen adversa fortuna actiones honestissimas impedit & beneficentiam ac liberalitatem etiam invitis extorquet: unus etiam morbus ita labefactare robur corporis & aciem mentis obtundere potest, ut nec fortis viri munus in acie nec prudentis in rep. tueri porrò queat.

VII. Quomodo illud intelligendum solum actionem virtutis esse S.B.

Tertiò observandum, cum dicitur solam virtutis actionem esse summum bonum, non excludi propterea illa quæ instrumenta quasi sunt & materia talium actionum. Ita cum dicis solus auditus percipit sonum, non excluditur auris, auditus percipit sonum, non excluditur auris, auditus enim fit per aurem. Nec si dicas solus oculus videt, excluditur lumen & proportio illa quæ esse inter oculum & rem videndam debet. Ad eundem modum si sola actio virtutis summum bonum est, non sequitur, ut bona fortunæ nulla requirantur, puta sine quibus actio illa esse nequit. Hæc de secunda assertione.

VIII. Sententia Aristot. ex multis ipsorum Stoic. hypothesibus deducitur.

Tertia assertio. Multæ sunt hypotheses ipsorum Stoicorum ex quibus sententia Aristotelica, si rectè considerentur, liquidò confirmari potest. Primò enim si felicitas est secundum naturam vivere, non tantum animi sed etiam corporis ratio aliqua habenda est, cum natura non tantùm animum homini sed etiam corpus dederit. Vtrique ergò sine dubio benè esse vult

quæ

quæ utrumque esse cupit. Secundò natura nos solum animo sed & corpori indidit, appetitum perfectionis: frustrà autem ea nihil facit. Quare etiam corporis quædam perfectio est. Tertiò si felicitas est bonum hominis, non animæ tantum sed etiam corporis bona includit: sicut enim anima etsi potior pars hominis est, totus tamen homo non est, ita virtus etiam primum est bonum hominis nec tamen omne. Vbi manifestò impingunt Stoici, quum hominem animum tantum esse dicunt, corpus autem non partem ejus, sed instrumentum, ut refert simplicius comm. in Epicteti Enchirid. præfatione. Vnde etiam Seneca ait, *naturam si posset per se nudos edere animos velle* epist. 66 quod quam vero absimile sit facilè intelligitur: nec enim homo esse potest, qui nil nisi animus sit, nec definitionem ejus tueri. Quare alibi ipse rectius duas hominis partes facit, etsi uni tantum omnem totius compositi perfectionem transcribit, epist. 71. Quartò si felicitas est bene vivere, jam ipsum saltem vivere ad felicitatem requiritur. At etiam vivere non est arbitrii nostri, sed, ut ipsi dicunt, fortunæ. Ergo aliquod saltem fortunæ bonum est, sine quo felicitas esse nequit. Quintò, Stoici corpus animi organum faciunt. Vel ideo igitur homini corporis bona necessaria sunt, ut organum rectè se habeat: si enim vel non sit organum, vel pravè dispositum, nulla res, quæ organo utitur, perfectionem suam consequi potest. Sic non sufficit imperatoria arte præditum esse, si arma desint aut

Seneca.

exer-

exercitus: similiter nec facultatem videndi vel audiendi habere refert, si oculus aut auris absit; vel aut hæc aut ille male habeat. Eadem ratione corpus valere & robustum esse debet ut uti eo animus possit.

IX. *Ipsi quoq; nonnunquam quod nos fatentur.*

Quarta assertio. Non tantum ex stoicorum fundamentis hæc efficiuntur, sed ipsi etiam interdum velint, nolint, concedere illa coguntur. Sic Chrysippus ajebat *sapientem quidem nulla re indigere sed tamen multis illi rebus opus esse*, ut testatur Senec. epist. 9. Et Zeno ipse *divitias pulchritudinem, valetudinem non quidem bonas res appellabat, sed commodas tamen, hisce contrarias, non malas sed incommodas*, sicut refert Cicer. 1. de leg. Vnde iterum Seneca ep. 74. *Non est summa felicitatis nostræ in carne ponenda. Bona illa sunt vera quæ ratio dat, solida ac sempiterna, quæ cadere non possunt, nec decrescere quidem aut minui. Cætera opinione bona sunt, & nomen quidem habent commune cum veris, proprietas in illis boni non est. Itaque commoda vocentur, utq; nostra lingua loquar, producta.* Ita ille. Sed quid hoc aliud est quam rem ipsam fateri & novã tantũ loquendi modum adferre? & quomodo aliquid commodum dicetur, quod nullo modo est bonum? Distinctio autem inter indigere & opus habere ne intelligi quidem potest. Quæ ut eò rectius percipiantur ex Cicerone 3. de finib. discatur, quomodo Stoici res distinguant, & quid nova illa quibus utuntur vocabula denotent. Verba ejus sunt. *Itaque cum esset satis constitutum, id solum esse bonum, quod esset honestum, & id malum solum quod turpe, tum inter hæc & illa, quæ nihil valerent ad beatè misereque vivendum,*

Bona externa non bona esse sed producta.

Quid vocent προηγμένα seu producta.

dum, aliquid tamen, quo differrent, esse voluerunt, ut essent eorum alia æstimabilia, alia contra, alia neutrum: Quæ autem æstimanda essent, eorum in aliis satis esse caussæ, quamobrem quibusdam anteponerentur; ut in valetudine, ut in integritate sensuum, ut in doloris vacuitate, ut gloria, divitiarum simi lium rerum: alia autem non esse ejusmodi, itemque eorum, quæ nulla æstimatione digna essent partim satis habere causa, quamobrem rejicerentur, ut dolorem, morbum, sensuum amissionem, paupertatem, ignominiam, similia horum: partim non. Itemque hinc esse illud exortum quod Zeno προηγμένον, *contraque quod* ἀποπροηγμένον *nominavit, cum uteretur, in lingua copiosa, factis tamen nominibus ac novis: quod nobis in hac inopi lingua non conceditur: quanquam tu hanc copiosiorem etiam dicere soles. Sed non alienum est, quo facilius vis verbi intelligatur, rationem hujus verbi faciendi Zenonis exponere. Vt enim,* inquit, *nemo dicit in regia regem ipsum quasi productum esse ad dignitatẽ (id enim est* προηγμένον*) sed eos qui in aliquo honore sint, quorum ordo proximè accedit, ut secundus sit ad regium principatum: sic in vita non ea, quæ primario loco sunt, sed ea quæ secundum locum obtinent* προηγμένα, *id est, producta nominentur. Quæ vel ita appellemus (id erit verbum è verbo) vel promota, vel, ut dudum diximus, præposita, vel præcipua, & illa rejecta.* Quid hic diversum à Peripateticorum & Academicorum doctrina audis præterquam vocem novam & obscuram? Si enim sanitas, sensuum integritas, vacuitas doloris, divitiæ, &c. sunt æstimabilia, si causam habent, quare malis antepo-nantur, sic licet non primarium locum in vita, at secundum tamen obtinent, quomodo non sunt

res in

res in suo genere bonæ? Si item dolor, morbus, amissio sensuum, paupertas, ignominia & similia causam habent quare rejiciantur, mala utique certâ ratione sunt. Tantum id relinquitur illa non esse primaria hominis bona, neque ista præcipua mala: quod ultrò ipsi etiam Academici & Peripaterici concedunt.

X. *S. B etsi requirit aliqua externa, non tamen nisi necessaria.*

Quinta assertio. Etsi actio virtutis & felicitas carere in universum non potest bonis fortunæ, carere tamen potest his aut illis, imò omnibus quæ ad vitam necessaria non sunt. Vnde etiam felicitas nostra non est quippiam simpliciter inconstans, cùm facilè non fiat, ut omnibus omnino ejusmodi bonis quis destituatur, præsertim necessariis, sed nec tamen tàm constans, ut labem nullam contrahere possit: neque enim id requiritur, ut infra dicemus. Hanc adsertionem ut intelligas, observandum est primò, aliud esse si nulla planè sit corpori sanitas; si nullum robur, aliud, non valere pancraticè aut robur Glyconis vel Milonis non habere: aliud etiam esse, non posse parare quibus vitam toleres, aliud Crœsum aut Crassum divitiis non æquare. Si posteriora illa non adsunt, at priora suppetunt; *quod* enim *necessitati sat est, fortuna etiam irata debet*, ait Seneca epist. 18. Idque præclarè ipse Aristoteles docuit libr. 10. ethic. cap. 8. tom. 76.

Aristot. *Non tamen*, inquit, *putandum est multis ac magnis*, (opibus fortunæ) *ei opus fore qui futurus est felix si fieri non potest, ut sit beatus sine bonis externis: neque enim sufficientia, neque judicium, neque actus in exuperatione consistit, sed fieri potest ut & nonprin-*

cipes

cipes terra & maris agant honesta. Etenim à mediocribus facultatibus instructus potest quispiam agere per virtutem. Atque id cla è cernere licet: privati namq; non minus agere videntur res bonas quàm qui sunt in potestatibus constituti, imò etiam magis. Vnde & Boethius *Boeth.* rectè dicit libr. 2. prof. 5. *Si, quod naturæ satis est, replere indigentiam velis, nihil est, quod fortuna affluentiam petas: paucis enim minimisque natura contenta est, cuius satietatem si superfluis urgere velis, aut iniucundum, quod infuderis, fiet, aut noxium.* Hoc *primò* notandum. *Secundò* multa sunt bona externa; ac proinde cui unum non est concessum is talia plerumq; habet. Robore corporis quis non valeat: at præstat ingenio; dives non est: at corporis robur habet: neutrum adest: tamen nobilis est & honesto in republ. loco natus, &c. Quòd si autem unum horum adest materia & instrumentum virtutis non deest. *Tertiò* summum bonum & felicitas quam hic quærimus est: ut toties diximus, humana tantum & vitæ hujus mortalis: quare illa inconstantiæ nonnihil habet, quid mirum? divina certè non est, ut rectissimè docet Aristot. 1. ethic. cap. 10. in fin. & ante eum docuerunt omnes antiqui, præsertim Pythagorei. Audiamus unum tantum Hyppodamum Thurium:

XI. Felicitas nostra est humana non divina.

Hyppodamus Thur. Pythagoreus.

Τῶν δὴ λόγον ἐχόντων ζώων τὰ μὲν ἐντὶ αὐτὸ τέλεα, ὅσα δὲ αὐτὰ τέλεα ἐντὶ καὶ οὐδενὸς ἐπιδέη τῶν ἔξωθεν, ὅτε ποτὶ τὸ ἦμεν, ὅτε ποτὶ τὸ καλῶς ἦμεν. Τοιοῦτος δ' ἔχεν εἴη ὁ θεός. Οὐκ αὐτοτελέα δὲ ὅσα μὴ δι' αὐτὰ τέλεά ἐστι, ποτιδέεται δὲ τᾶς ἔξωθεν αἰτίας. Τοιοῦτος δ' ἔχεν εἴη ὁ ἄνθρωπος. *Ratione prædita quadam ipsa perfecta sunt, quæ per se sunt perfecta,*

nec ulla re externa, vel ut sint, vel ut bene sint, indigent, qualis quidem sit Deus. Non ipsa perfecta sunt, quæ per se non sunt perfecta sed externas res requirunt: qualis quidem sit homo: Et paulo post: Κατ᾽ ὧν βίον δὲ τέλειοι τοὶ μὴ μόνον ἀγαθοὶ ἔντες, ἀλλὰ καὶ εὐδαίμονες. Α᾽ μὲν γὰρ εὐδαιμονία τελειότας ἐντὶ βίω ἀνθρωπίνω. Ὁ δὲ βίος ὁ ἀνθρώπινος σύστασις τῶν πράξεων, ἃ δὲ εὐδαιμονία συμπληροῖ, αἴνυσα τὰς πράξιας. Συμπράσσει δὲ τὰς πράξιας ἀρετὰ καὶ τύχα. Τὰ μὲν ἀρετὰ κατ᾽ τὰν χρῆσιν, τὰ δὲ εὐτυχία κατ᾽ τὰν κατόρθωσιν. Ὁ μὲν ὧν θεὸς οὔτε μαθὼν παράλαβε τὰν ἀρετὰν ἀγαθὸς ἐγένετο, οὔτε ἐπισωρευξάμενος αὐτῷ τὰς τύχας εὐδαίμων. Φύσει γὰρ ἦν ἀγαθὸς καὶ φύσει εὐδαίμων, καὶ ἀεὶ ἦν καὶ ἔσσεῖται, καὶ οὐδέποκα ἀπολείψει τοιοῦτος ἐὼν, ἄφθαρτος ἐὼν, καὶ φύσει ἀγαθός. Ὁ δὲ ἄνθρωπος οὔτε τᾷ φύσει εὐδαίμων, ἀλλὰ μαθήσιος καὶ προνοίας ποτιδέεται, πὸτ τὶ μὲν τὸ γένεσθαι ἀγαθὸς ταῖς ἀρεταῖς, πὸτ τὶ δὲ γένεσθαι εὐδαίμων ταῖς εὐτυχίαις. *Vita perfecti sunt qui non boni tantum sed etiam beati sunt. Quum enim beatitudo sit humana vita perfectio: vita quidem est actionum compositio, eas autem ad finem deducit beatitudo: id quod per virtutem fit & felicitatem: illam, propter usum: hanc propter successum. Ac Deus quidem nec virtute ab aliquo præcepta, bonus, nec felicitate comitante, beatus est redditus. Etenim natura tum bonus tum beatus erat semperque & fuit & erit, nec unquam talis esse desinet, quum interire non possit. Homo vero nec bonus natura nec beatus est, verum disciplinam & naturam requirit: virtutis quidem ut bonus, felicitatis autem, vel beatus evadat, indigens* Hæc Hippodamus. Vide etiam Euryphemum & Archidemum Tarentinum in fragment. Pythagoricis.

Atque

Atque hac in re manifestò rursus peccant Stoici, qui volunt sapientem suum, vel cum Deo ex pari vivere, quod præcipuum hic erroris fundamentum est. *Multis*, inquit Senec. epist. 71. *videmur maiora permittere, quàm recipit humana conditio; non immerito, ad corpus enim respiciunt. Revertantur ad animum iam hominem Deo metientur.* Et ep. 48. *Hoc est quod Philosophia mihi promittit, ut me parem Deo faciat.* Rursus epist. 73. *Solebat Sextius dicere, Iovem plus non posse quem bonum virum. Plura Iupiter habet quæ præstat hominibus: sed inter duos bonos non est melior, qui locupletior, non magis quam inter duos quibus par scientia regendi gubernaculum est, meliorem dixeris cui maius speciosiusque navigium est. Iupiter quo antecedit virum bonum? diutius bonus est: Sapiens nihilo se minorem æstimat, quod virtutes ejus spatio breviore clauduntur. Quemadmodum ex duobus sapientibus qui senior decessit, non est beatior eo cuius intra pauciores annos terminata virtus est: sic Deus non vincit sapientem felicitate etiamsi vincit ætate. Non est virtus maior quæ longior: Iupiter omnia habet: sed nempe alius tradidit habenda. Ad ipsum hic unus usus pertinet quod utendi etiam omnibus causa est. Sapiens tam æquo animo omnia apud alios videt, contemnitque, quam Iupiter: & hoc se magis suspicit, quod Iupiter uti illis nō potest, sapiens nō vult.* Hæc Seneca. Vnde etiam Simplicius præf. comm. in Ench. Epicteti: *Sapiens, ait, vitâ rationi consentaneâ non contentus, quantus quantus est, Deorum collega esse studet.* Quæ omnia quam à verò distent, imò quam absurda & impia, atq; tam sapientibus hominibus indigna sint nihil attinet dicere, cum res ipsa id loquatur.

XII. Error Stoicorũ sapientem cũ Deo ex pari vivere.

Senec.

XIII. *Alia causa quare opus sit bonis fortunæ.* *Sexta assertio.* Etiam bona externa in suo genere revera bona sunt, nec tantum requiruntur ad felicitatem vitæ ideò ut instrumenta sint virtutis; sed etiam ut ipsa corpus perficiant ejusque indigentiam sublevent, cujusmodi sunt sanitas, sensuum integritas, divitiæ naturales, & similia. Hæc assertio ex superioribus dictis facilè probatur. Tantum hic discrimen aliquod notandū inter S. Bonum & felicitatem: S. Bonum enim est primum inter bona omnia quæ homini obtingere possunt, felicitas autem non tam unum bonorum dicit, quam ut Cic. ait 5. Tuscul. *secretis malis omnibus cumulatam bonorum complexionem.* *S. B & felicitatē nonnihil differre.* Vnde fit ut animi perfectio maxima rectè dicatur summum bonum; felicitas autem non item, nisi etiam corpus sua perfectione gaudeat. Hæc autem perfectio non in superfluis sed necessariis corpori bonis consistit: quæ planè desint, licet honestas non pereat, atque adeò primum inter omnia bona adsit, beatitudo tamen & felicitas deest. Atque hæc causa est quare Aristoteles & Academici negent Stoicis, sapientem in tauro Phalaridis, aut perpetuis vitæ tormentis beatum esse, quod immeritò exagitant Stoici. Primò enim si homo non est animus tantum sed corpus etiam est, perfectionem plenam non possidet cum corpori malè est. Secundò si natura indidit inst[in]ctum pro vitentur mala corporis & appetantur quæ id conservant, contra naturam est torqueri. Nihil autem quod contra naturam est felicitati conjunctum esse potest. Tertiò ipsa etiam ratio non potest tormenta & cruciatus dicere

cere res bonas in se, sed malas potius, nisi per accidens id fiat, puta si perferantur propter virtutem Ergo nec ratione judice bonum sed malum est in ærumnis illis esse, nisi per ea quæ mala alioqui sunt, obtingat aliquid aliud bonum & præclarum.

Septima assertio Postremò sententia Aristotelica magis convenit cum veritate fidei Christianæ quam Stoicorum doctrina. Hoc etiam facilime probatur. Primo enim perfectionem & felicitatem hominis non tantum in animi sed etiam in corporis bonis consistere inde sufficienter patet quod cum utrisque est conditus. Deinde ærumnæ omnes quibus premimur, morbi, inopia rerum necessariarum, & mors ipsa denique, pœnæ peccati sunt. Non igitur indifferentia sunt sed mala. Tertio ipsa scriptura passim etiam bona corporis appellat benedictionem divinam & Dei dona, ut Genes. 24. 35. & cap. 32. 10. & 39. 5. Deut. 28. Job. ult. 12. 1. Reg. cap. 3. 13 & aliis locis infinitis. Quartò etiam æterna vita corporis perfectionem promittit. Quod si autem illud bonum absolutè summum & inenarrabilis felicitas bona corporis continet, nec corpus ignobilius est quam ut in partem illius beatitudinis veniat, multò minus quantulacunque ista hujus vitæ felicitas corporis bona fastidiri potest. Quintò hypotheses illæ Stoicorum, corpus in pœnam homini concessum, & carcerem animi esse, sapientem cum Deo ex pari vivere, corpus non partem sed instrumentum hominis esse, nec hominem corpus anima præditum, sed

XIV. Sententia Aristot. magis convenit cum Fide quam Stoica.

Hypotheses Stoicorum qua cum fide pugnant.

animum: disertè cum fide & Theologicis principiis pugnant. Quare etiam sententiam de summo bono, quæ iis innititur, fidei refragari necesse est. Et hæc de ista quæstione hactenus. Unde primò facilè intelligitur quid ad argumenta tum quæ suprà numero 2. pro Stoicis illata sunt, tum quæ præterea fieri possunt, respondendum sit: deinde etiam quid de paradoxis, quæ iidem de suo sapiente tradunt, sentiendum. Sunt autem hæc primò, sapientes omnes pares esse, secundò esse semper in gaudio, & in tormentis etiam felices, tertiò nihil ijs præter opinionem evenire, quartò, solos contentos, solos liberos, solos divites, imò reges esse: ἀκυρολόγως enim pleraque sunt dicta & ità explicanda, ut ea explicat Cato extremo libr. 3. de finibus. Abusivè sanè dici ea necesse est cùm ipse Seneca epist. 42. talem sapientem, qualem ipsi describunt, *tanquam phœnicem. vix semel anno quingentesimo nasci* fateatur.

Paradoxa eorundē.

XV. *Quam necessaria ad vitam sit S.B. consideratio.*

Quod igitur sit summum hujus vitæ bonum, quæ beatitudo, quid item sit extremum illud & ultimum, quò, qui sapit, omnia vivendi consilia confert, ita expositum est. Quæ consideratio quam præclara est & ad omnem vitam rectè instituendam necessaria, ita ex animo dimitti nunquam sanè debebat, planè ut jaculator scopum quo collimat in conspectu perpetuò habet. Unde optimè Seneca ep. 71. *Quotiens quid fugiendum sit aut petendum voles scire, ad summum bonum & propositum totius vitæ respice: illi enim consentire debet quicquid agimus. Non disponet singula, nisi cum jam vitæ*

Seneca.

summa

summa proposita est. Nemo quamvis paratos habeat colores similitudinem reddet, nisi jam constet quid velit pingere. IDEO PECCAMUS QUIA DE PARTIBUS VITÆ OMNES DELIBERAMUS, DE TOTA NEMO DELIBERAT. Ita Seneca. Nihil verius, nihil certius. Sed cui hæc hodie apud nos persuadeas? Nunc pueritiam aut primam adolescentiam huic considerationi alligamus: viri facti talia ne aspiciamus quidem. Nempe de virtute & honestate identidem cogitare, adeoque de totius vitæ scopo rectè statuere, nec eum ex oculis dimittere prætextatorum est & puerilis exercitationis; severior opera & curæ, ac ætas virilis, avaritiæ & ambitionis instrumentis conquirendis reservantur. Ecquid mirum igitur est, si tàm beatè vivitur ut hodie?

Sed hodiè pueris relinquitur.

XVI. Quomodo S. B comparetur.

Claudam hunc librum, si unum adhuc verbo monuero. Quid sit Summum Bonum, dictum est. Restat ut ostendatur, quomodo illud comparetur. Dicimus autem cum Platone in Menone & Aristot. 1. ethic. cap. 9. primam quidem ejus caussam esse Deum Optim. Maxim. donum enim illius est, ut bona cætera omnia: proximam autem adsuefactionem & disciplinam: hoc pacto enim virtus paratur, ut suo loco pluribus dicetur. Quapropter à Deo hæc res petenda est: imò nihil æquè petendum post æternam salutem, atque hæc ipsa: *nulla enim sine Deo bona mens est*, ait Seneca epist. 72. Et Epictetus indignatur, *quod pro bonis cæteris homines Deo sacrificent, pro bona mente nemo. Contingit alicui tribunatus*, in-

A Deo concedi si ab eo id petatur.

quit lib. 1. Arian. cap. 19. *omnes obvii ei gratulantur, alius oculos eius deosculatur, alius collum, servi manus. Domum venit, lucernas ardentes invenit, ascendit in Capitolium, victimas immolat. Quis autem unquam sacrificavit propter rectum appetitum, propter id ut naturæ congruentem cupiditatem habeas?* Et Juvenal. cum tota sat. 10. ostendisset, ea homines plærunque a Deo petere, quæ ipsis in malum cedant, tandem concludit, cætera bona Dei arbitrio committenda:

Iuvenal.

Si consilium vis
Permittes ipsis expendere numinibus, quid
Conveniat nobis rebusque sit utile nostris:
Nam pro iucundis aptissima quæq; dabunt Dii:
Carior est illis homo quam sibi---

& sanam potius mentem ac virtutem flagitandam:

Fontem posce animum & mortis terrore carentem,
Qui spacium vitæ extremum inter munera ponat
Naturæ, qui ferre queat quoscunque labores,
Nesciat irasci, cupiat nihil, & potiores
Herculis ærumnas credat savosq; labores
Et Venere & canis & plumis Sardanapali.

Salomo Deo placet sapientiam petens.


Quin & scriptura testatur Deo placuisse cum Salomo non divitias aut gloriam sed sapientiam & *animum intelligentem ad iudicandum populum Dei, & discernendum inter bonum & malum* precibus suis postulasset 1. Reg. 3. 10. Faciendum autem hoc eo magis, quod, ut Philo Judæus libr. de migrat. Abraham dicit, *si quid anima ex se ipsa parturit, plerumque abortivum & immaturum gignitur, contra integrum absolutumq; quidquid in eam divinitus impluit.*

Vota

Vota postmodum excipiet conatus & labor, qui partim disciplinâ, partim exercitatione perficitur: *nulli enim sapere casu obtigit. Pecunia veniet ultrò, honor offeretur, gratia ac dignitas fortè ingeretur tibi: virtus in te non incidet, ne levi quidem opera aut labore*, ut ait Seneca epist. 76. *Pars autem ejus*, aut idem rursus dicit epist. 94. *disciplina constat, pars exercitatione. Et discas oportet, & quod didicisti agendo confirmes.* Ad disciplinam autem pertinet, ut quid bonum aut malum, quid sequendum in vita, quid fugiendum sit cognoscatur, nec perfunctoriè illud sed accuratè: *multa enim etiam hic involuta sunt, ut vix summa diligentia ac subtilitate aperiantur.* Nec sine istis tamen recti quidquam agetur: *actio enim recta non erit* (utor iterum verbis Romani sapientis) *nisi recta fuerit voluntas: ab hac enim est actio. Rursus voluntas non erit recta nisi habitus animi rectus fuerit: ab hoc enim est voluntas. Habitus porro animi non erit in optimo, nisi totius vitæ leges perceperit, & quid de quoq; judicandum sit exegerit, nisi res ad verum redegerit.* Sed nec scientia virtutis & præclara dogmata sufficient, nisi exercitatio accesserit eaque diuturna, imò perpetua. Audiamus hic semel adhuc magnum illum è porticu doctorem. *Quemadmodum lana* (inquit) *quosdam colores semel ducit, quosdam nisi sæpius macerata & percocta, non peribit: sic alias disciplinas ingenia cum accipere protinus præstant; hæc nisi altè descendit & diu sedit, animum non coloravit, sed infecit, nihil ex his quæ promiserit præstat.*

XVIII. Votis accedat disciplina & exercitatio.

I 5 PHI-



PHILOSOPHIÆ MORALIS SEV. CIVILIS DOCTRINÆ DE MORIBUS.

LIBER SECUNDUS.

DE HOMINE QVATENVS FELICITAtis civilis capax est, sive de animo & actionibus humanis, quatenus honestate imbui possunt.

CAPVT I.

De animi partibus & facultatibus, ubi ostenditur qui & quousque de ijs hic tractetur.

SUMMARIA.

1 *Quatenus disciplinæ practicæ considerent obiectum.*
2 *Tres animæ nostræ facultates esse.*
3 4 *De facultate vegetante & intelligente.*
5 *Vegetantem hinc ablegandam esse, & quid in cæteris considerandum sit.*
6 *Quid differat appetitus rationis ab appetitu sensitivo.*

POST-

POSTQUAM superiori libro expositum est de fine hujus Philosophiæ, quantum sufficere putavimus, proximum est, ut nunc de objecto ejus consideremus; tribus enim istis omnem disciplinam practicam absolvi, fine, inquam, objecto, & mediis, quibus finem assequimur, jam initio ex Averroe docuimus. Res autem manifesta est: etsi namque proprium est hujusmodi disciplinis non tàm objectum suum contemplari, quàm certum finem in illud introducere, aut certa aliqua ratione perficere; tamen sicut corpus curare nequitis, qui ejus naturæ & partium cognitione destituitur, ita nemo etiam animo hominis medicinam parare potest, nisi illum ejusque naturam, quantum ad hanc rem necessum est, perspectam habeat. Quod quomodo fiat ita expendendum est. Diximus suo loco objectum Philosophiæ moralis esse hominem, quatenus felicitatis civilis capax est: felicitas autem illa, ut ostendimus, posita in nulla re alia est quàm in vita virtuti dedita, sive in eo, ut actiones omnes, quæ in vita suscipiuntur, quàm honestissimæ sint, & quantum fieri potest, rectæ rationi consentaneæ. Cum ergo virtus illa non corpori, sed animo nostro inhæreat, actiones etiam omnes, in quibus est aliqua ratio honesti, ab eo proficiscantur, de animo hominis utique hic videndum est, qui & quatenus ille aptus sit, ut virtute informetur. Explicandum quoque, quid actio humana sit, & quo usque civiliter aut moraliter bona vel mala esse possit. Quibus

1. Quatenus disciplinæ practicæ considerent objectum.

lib. 1. c. n. 7.

De quibus deinceps agendum sit.

bus pertractatis proclive magis postmodum erit de mediis prospicere, quibus partes illæ animi, quæ virtute imbui possunt & debent, perfectionem suam adipiscantur, cumq; constiterit quid sit actio moraliter bona vel mala, sive quid vita honesta, quid inhonesta vocetur, facilius etiam liquebit, quænam sint illa principia, à quibus proximè honestas omnis profluit, & promanat. Vt autem eò rectius & distinctè magis omnia explicentur, in duas partes hanc tractationem objecti dispescere libet. Primò quidem indicabimus, quæ sint animi nostri partes & facultates, qui ejus appetitus; deinde ostendemus, quomodo idem ille ejusque appetitus, tàm qui in facultate intelligente sedem habet, quàm qui in sensitiva, rationem bonitatis aut malitiæ moralis habeant, & per & propter eos homo benè vel malè agat, sive, ut supra loquebamur, feliciter aut miserè vivat.

PI. Tres animæ nostræ partes. Principio autem ex physicis hic supponendum est, aliam esse in nobis animæ partem, cujus beneficio vivimus tantùm, aliam quâ sentimus, & aliam denique quâ intelligimus. Distinctas sanè illas esse nullum est dubium, cum tàm distinctæ sint illarum functiones, etsi Stoici eas confuderunt, ut ex Plutarch. libro de virt. morali constat, & notant Lipsius libro 3. Physiolog. Stoic. dissert. 18. ac Joachimus Camerarius præfat. Comm. in ethic. ad Nicomach. An autem sint diversæ unius & ejusdem animæ facultates & potentiæ, an tres distinctæ animæ in homine, disputari solet. Vnius animæ tres di-

scretas

scretas potentias tantùm esse statuunt Thomas p.p.quæst.76.art.3.& 2.cont.gent.cap.58.& passim, Scotus 4.d.11.quæst.3. Cajet p.p.loc.citat. Socinas 8.Meth.quæst.32. Javellus ibid.quæst.4. Ferrariensis cont.gent. loc. citat Fonseca 5.Metaph.cap.1.sect.1.Suarez. disput. 15. Metaphys. sect.10.num.62. Tres animas esse vult Jandunus 2.Metaphys. quæst. 10. & Averroistæ omnes: quæ quidem disputatio cum Physica potius & Metaphysica sit, eò nunc remittatur, cum ad nostrum institutum perinde sit, utram sententiam quis amplectatur. Tantum id hic sciendum & accuratè observandum, ex tribus illis animæ potentiis & facultatibus in homine unam quidem esse rationis plane expertem, alteram ratione præditam, ac tertiam secundum quid ejus expertem, ac secundum quid compotem, ut docet Aristot.1.eth.cap.ult.

Rationis omninò expers est anima vegetatis; sive ea animæ facultas, qua vivimus tantum: neque enim vel ipsa rationem habet, vel ejus Imperio patet, nisi per accidens. Liquet hoc facile: neque enim ut rectè aut pravè nutriaris in potestate tua est aut prudentia & consilio efficitur nostro: quod si enim organa, quæ in corpore destinata isti functioni sunt, rectè se habeant, ita ut eorum beneficio anima alimentum, quod in corpus ingestum fuerit, ritè concoquat, nutritio bona sequatur necesse est: sin contra res se habeat, velis, nolis, malè nutrieris. Docet hoc Aristot.libr.1.m. m. cap. *Similis*, inquit, *esse videtur hæc animæ pars igni; in hunc enim si quid*

III. De facultate vegetante.

Aristot.

si quid projeceris consumet ille : quod si autem non injiceris, non habet impetum ad accipiendum. Ita etiam hæc pars animæ se habet : si ingresseris nutrimentum, nutrit: quod si alimenta non ingresseris, non habet propensionem ad nutriendum. Eadem ratio est de augmentatione & generatione. Per accidens autem fit, ut quandoque etiam hic rationi & consilio locus aliquis sit: si enim morbus corrupuerit viscus aut membrum aliquod, arte is tolli potest, atque ita mala nutritio in bonam verti. Nec tamen propterea illa rationis ductu peragi dici potest: non tàm enim id est nutritionem bonam procurare, quàm ejus impedimentum removere. Sicut ergò cum corpus grave, quod propter impedimentum forte in aere aut loco sublimi detinebatur, remoto impedimento fertur naturæ suæ instinctu, non ad arbitrium ejus, qui impedimentum illud removit; ita etiam ut anima vegetans sublato impedimento rectiùs exequatur munus suum quàm antè, non tamen propterea ipsa illa functio ejus propriè & per se consilio aliquo regitur. Anima itaque vegetans cum ratione nihil, ut diximus, commune habet.

IV. De intelligente. Compos autem rationis est facultas intelligens; imò hæc est ipsa ratio sive anima rationalis: ejus enim beneficio non tantum rerum naturalium caussas investigamus, sed de omni etiam vita & actionibus consultamus & deliberamus.

De sentiente. Denique rationis partim compos partim expers est anima nostra sentiens: expers quidem, quia ipsa nihil intelligit & imperationi sæpè repugnat:

gnat:compos autem, quia appetitus ejus rationis nutui parere potest, & parere natus est. Ubi nota, dupliciter quid dici posse rationale, ut docet Arist. 1. eth. Nic. cap. ult. t. 116. uno modo per essentiam, ita ut ipsa essentia ejus sit ratio, altero per participationem, quo pacto rationale dicitur omne quod ratione regitur. Priori modo sola anima intelligens est rationalis, posteriori etiam sentiens, non quidem ut in brutis est, sed tamen prout in homine.

V. Vegetans hinc ableganda.

Cæterum anima vegetans, quia neutro modorum illorum cum ratione quicquam adfine habet, id est, nec per essentiam, nec per participationem rationalis dici potest, ab hac consideratione nunc dimittetur: cum enim objectum ethicæ hic consideremus, id autem homo sit, nihil nisi quod in nobis humanum est huc pertinere potest: tale autem non est, quod rationis nihil habet sive rationem nullo modo participat. De anima ergo intelligente & sentiente porrò dicamus. Sunt autem duo in utraque quæ considerari cum primis hic debent, cognitio & appetitus. Habent quidem omnia corpora etiam inanimata, ut formam suam per quam sunt quod sunt, ita etiam appetitum aliquem per quem conservantur: (sic omne corpus grave & leve appetit locum suum, quod in eo cum primis & quàm rectissimè conservetur) maximè tamen id evidens est in animatis, & præsertim in cognitione præditis. In animatis quidem omnibus est appetitus nutrimenti: cum enim sine nutrimento vivere nullum corpus pos-

In cæteris facultatibus consideranda cognitio & appetitus.

pus possit, sine appetitu quoque ejus naturali conservari viventia non poterant. Vt ergo non tantùm essent, sed & conservarentur, natura talem instinctum omnibus illis indidit. In iis autem quæ ratione prædita sunt duplex potest esse appetitus, sicut & ipsa cognitio ejusque principium duplex est: cognitio enim alia est sensitiva, sive quæ sensus beneficio fit, alia intellectiva, sive quæ ab intellectu est. Sicut ergò diversa sunt principia cognoscendi, ita etiam diversi sunt appetitus. Sensus quidem principium est anima sentiens, intellectus autem anima rationalis. Vnde duplex etiam appetitus est in talibus, unus sensuum; sive is quo anima sentiens appetit quod ipsi bonum est; alter rationalis, quo anima intelligens fertur in bonum suum, sive in id, quod ipsa bonum esse judicat. Prior simpliciter vocatur appetitus sensitivus, posterior peculiare nomen nactus est, & voluntas dicitur.

Duplex cognitio in homine & totuplex appetitus.

VI.

Quid differat appetitus rationis ab appetitu sensuum.

Magna autem inter utrumque est differentia, cum non tantum subjectis, sed etiam objectis discrepent. Subjectis quidem distinguuntur, quia voluntas, ut est appetitus animæ rationalis, ita etiam ad eam tantum pertinet; & in ea sedem suam habet; appetitus autem sensitivus in anima sentiente est. Objectis verò, quia voluntas propriè in id bonum fertur, quod intelligibile est; appetitus autem sensitivus in illud tantum, quod sub sensus cadit: appetitus enim omnis in iis, quæ cognitionem habent, cognitionem sequitur, ita ut id appetat voluntas, libere

berè tamen, quod ratio judicat bonum, appetitus autem ſenſitivus illud quod ſenſus judicio tale eſt: quæ duo quantum ſæpè diſtent, omnibus notum eſt. Sanè ratio ſi recte ſe habeat, id bonum judicat, quod honeſtum, ſenſus autem quod jucundum & ſuave: quæ etſi coire interdum in unum poſſunt, rarò tamen id fit (niſi habitus aliquis accedat) & infida ſocietas eſt. Hæc ergò ita ſe habent, ex quibus jam liquere exiſtimamus, non tantum quæ & quot ſint animi noſtri partes & facultates, ſed etiam quænam ex iis & quatenus huc pertineant. Nunc miſſis iis, quæ generatim hactenus dicta ſunt, de anima intelligente & ſentiente ſigillatim tractemus, primò autem de intelligente.

CAPVT II.

De Intellectu & recta ratione, deq; certitudine hujus doctrinæ.

SUMMARIA.

1 *Quænam de anima intelligente Phyſicus tradat.*
2 *Intellectus theoricus & practicus.*
3 *Quare principia dicantur eſſe natura nota.*
4.5. *De habitu principiorum, ſynteresi, lege natura & recta ratione.*
6 *Quantum errent qui rectam rationem negant.*
7 *Ipſam Script. voce rationis uti in bonam partem.*
8 *Item Eccleſia Dd.*

K 9.10. *Quid*

9.10. *Quid sit recta ratio, quodq; alia tam in theoricis quam practicis superfit.*
11 *Certitudo luminis naturæ & totius Philosophiæ.*
12 *Nihil posse vera ratione statui quod falsum est.*
13 *Quidnam sit dicendum ethicum aut politicum.*
14 *Contradictiones eorum qui errores Ethici ethicæ tribuunt.*
15 *Quomodo iidem cum Paulo pugnent.*
16.17. *Lumen naturæ etiam in peccatoribus bonum esse nec Philosophiam pugnare cum Theologia.*
18.19.20. *Obiectiones solvuntur.*

1\. *Quænam tradi de anima intelligente soleant.*

NOBILISSIMA omnium in Physicis doctrina est, quæ agit de anima, præsertim intelligente sive rationali: hæc enim fortuna hominis est, homo autem totius mundi compendium, & quasi θεῖγκος quidam. Accuratè ergo Physicus & quam diligenter fieri potest illius naturam indagat. Inprimis autem ostendit, etiamsi anima illa sit in corpore, & vera hominis forma, incorpoream tamen esse & immortalem: cognoscere enim & appetere res sine instrumentis corporis, præditam esse potentiis duabus nobilissimis, intellectu passibili & agente, quorum hic species intelligibiles fabricet, ille recipiat: non intelligere tamen sine phantasmatis, quia ex iis species intelligibiles beneficio intellectus agentis fiant, & quæ sunt alia his similia. Disputat porrò de appetitu istius animæ sive de voluntate, quid sit, realiterne seu ex natura rei an ratione tantum ab intellectu distinguatur, quodnam sit ejus objectum, qui actus & quotuplices, quid & quæ libertas ejus, & primone libertas arbitrii intelle-

ctui competat, an voluntati, an cogi possit, &c. Hæc ita, inquam, Physicus. Nos ex omnibus illis pauca tantum excerpemus: cuncta enim instituto nostro non quadrant. Et quia duæ istæ sunt animæ intelligentis præcipuæ potentiæ, intellectus & voluntas, de utraque aliquid dicemus, & primò de intellectu, deinde de voluntate, & quæ cum hac vel idem, vel conjunctissimum quid est, arbitrii libertate.

II. Intellectus theoricus & practicus.

De intellectu igitur scire hic primò oportet, & si ille simplex quiddam est & reapse una potentia tantùm, ratione tamen finis eum distingui solere in theoricum & practicum; ut est apud Aristotel. 3. de anim. cap. 9. text. 49. Theoricus dicitur qui res eo solum fine cognoscit, ut veritatem earum perspectam habeat, practicus, qui ideo aliquid cognoscit, non ut sciat tantum, sed ut quod scit agendum esse id agatur. Differunt igitur in eo, quod theoretica rei intellectio subsistat in nuda ejus cognitione, practica autem ordinetur ad motum; non quidem, ut ipsa impellat ad agendum, (hoc enim ad appetitum spectat, cui primò & propriè competit movere & ad aliquid impellere,) sed ut dirigat appetitum, & quid appetendum sit ostendat. Vide hic Thom. p. 1. quæst. 79. art. 11. Deinde notandum est, omne quod cognoscitur, tam à theoretico intellectu, quàm à practico, illud in duplici differentia esse, vel enim sunt principia vel conclusiones. Principia vocamus omnes propositiones per se notas seu quarum veritatem homo naturâ, id est, per se seu ex ipsorum ter-

Omne, quod cognoscitur sunt principia aut conclusiones.

minorum perceptione intelligit. Talia sunt ex theoreticis quidem: *Omne totum esse majus sua parte. Si aequalib. addantur aequalia, erunt aequalia. Quod dicitur de omni subiecto, id etiam dici de omni, quod sub illo subiecto subsumitur*, & contra: *Quod negatur de omni subiecto, id negandum etiam esse de omni quod sub illo subsumi potest. Idem non posse simul esse & non esse. &c.* Ex practicis verò hæc: *Deum colendum esse, Parentes honorandos, Honestè vivendum, Neminem lædendum ; Ius suum unicuique tribuendum, Quod tibi fieri non velis nec alteri faciendum, &c.* Hæc & talia, inquam, vocantur principia: ex iis enim & similibus omnis cognitio nostra, quæ per intellectum paratur, primò originem suam dicit.

III. Quare principia dicantur natura nota esse.

Dicuntur autem natura nota, quia sine præceptore ac demonstratione ac disciplina homines hæc cognoscunt, sive quia ista quisque nostrum ita novit, non quod aliunde sive ex re aliqua antea sibi nota eruerit, vel à quoquam edoctus sit, sed quod animis nostris naturæ auctor cognitionem eorum ipse quasi inseverit: id enim est naturâ notum aliquid esse. Quomodo autem natura illa doceat, id ita considerandum est. Equidem non debet hoc sic intelligi, quasi statim simulac in lucem edimur ista omnia actu cognoscamus: id enim fieri nullo pacto potest. Et notum est, quod ex Aristot. de anima loc. citat. cap. 4. text. 15. adferri solet, intellectum nostrum, cum primò nascimur, *rasæ tabulæ similem esse, in qua scriptum nihil dum est, etsi inscribi quidvis potest*: cum enim ante usum rationis mens hominis nullas omninò propositiones, imò

imò nec ſimplices earum terminos apprehendat (mente enim aliquid apprehendere, & nondum tamen ratione uti, contradictoria ſunt) fieri quoque nequit, ut tum veritatem ullius propoſitionis cognoſcat. Sic cũ infans non norit, qui dicantur parentes, quid ſit honorare aliquem, utique nec propoſitionem hanc: *Parentes ſunt honorandi*, intelligit. Certè componere conceptus nequit, & multo adhuc minus de compoſitione eorum judicare, rectène illa an ſecus fiat, qui nullos dum conceptus mente format. Quare hoc non eſt naturâ notum quid eſſe, ſtatim atque in lucem prodeas, actu id apprehendere aut cognoſcere, ut Plato notitiam omnium rerum innaſci nobis cenſuit, qua de re alibi; ſed illud, ſi, ut diximus, ſine præceptore & labore aliquid cognoſcas, aut veritatem rei percipias. Quod quidem in principiis illis ſtatim fit, atque ratio in homine ſe exerit, & ſenſuum ope ſimplices terminos apprehendere incipit: quamprimum enim cognovimus quid eſſent parentes, quid honorare aliquem & obſervare, actutum quoque, id eſt, ſine omni inquiſitione, ſine præceptore & diſciplina ſcivimus, parentes venerandos eſſe. Vnde liquet id natura notum dici, ſi veritas propoſitionis alicujus cognoſcatur ſtatim cum menti obijcitur, id eſt, ſtatim atque ejus termini ſimplides apprehenduntur & componuntur, qua de re pluribus in Metaph. & Logicis tractatur. Atque hæc ſunt principia & ita cognoſcuntur. Concluſiones autem vocantur propoſitiones illæ, qua-

Infantes non habent actualem notitiam principiorum.

Quæ dicitur Conclusiones.

rum veritas nota non est nisi aliunde eruatur, & vel inductione vel syllogismo innotescat. Talia sunt omnia theoremata in sententiis & omnia præcepta in disciplinis practicis, tàm quæ ad vitam rectè instituendam, quàm quæ ad opus mechanicum efficiendum pertinent; imò omnes & totæ disciplinæ, saltem lumine naturæ acquisitæ nihil aliud sunt, quàm habitus in animo sive intellectu nostro ex ejusmodi conclusionum congerie nati, principia enim ipsa nulla disciplina considerat, sed supponit, (loquor enim nunc de principiis cognoscendi,) nisi sola Metaphysica, quæ propterea etiam sapientia appellatur. Et hoc alterum est, quod de intellectu notari debet.

IV. Habitus principiorum.

Tertiò observandum est, etsi principia illa, sicut diximus, naturâ sint nota & investigatione opus non habeant, esse nihilominus habitum eorum quoque aliquem, quem Aristotel. cum alia voce destitueretur, nomine ipsius potentiæ intelligentiæ insignivit, & νοῦν seu mentem vocavit 6. eth. cap. 6. etsi enim sine discursu veritatis cognitio in hisce comparatur, opus tamen est aliquo exercitio, ut eò promptius veritatem illem apprehendas. Et ratio hæc est: nam nisi saltem simplices terminos, ex quibus principia cōstant, paulò sæpius consideraris, fit ut non animadvertas interdum id naturam docere, quod tamen revera docet. Cum igitur crebra cogitatio de principiis illis omninò faciat, ut facilius sit de ijs judicium, promptitudo ista certè ab habitu est, licet judicium ipsum immediatè à natura

profluat,

profluat, quod rectiùs intelligetur infrà, ubi de natura & numero habituum agetur.

Cæterum hic habitus, quatenus quidem circa practica versatur, alio nomine vocari solet *συντήρησις*, vulgò, etsi barbarè, *Synderesin* dicunt. Dicunt etiam *lex naturæ*, quæ appellatio ex epist. ad Roman. cap. 2. 14. primùm desumpta est. Quicquid autem ex principiis istis & lege innata ritè deducitur Philosophi *rectam rationem*, B. Paulus nunc justitiam Dei vocat, ut Roman. 1. ult. nunc opus legis cordibus etiam ethnicorum inscriptum, ut cap. 2. 15. Talia autem sunt omnia præcepta de virtute & honestate, quæ vi luminis naturæ cognosci ab homine possunt, & uno verbo, tota doctrina ethica, tota prudentia civilis & omnes optimæ & naturæ congruentes leges: nihil enim horum est, quin ex isto fonte profluat & recto luminis naturæ judicio, & naturalibus principiis innitatur, certè inde profluere & illi inniti debeat, si verum sit & rectè tradatur. Quod hîc ante omnia & eò diligentius observandum est, quia ab hoc fundamento tota doctrina civilis, tam hæc, quæ est de moribus, quàm quæ de repub. agit, excitari debet: quo ignorato, aut non rectè perspecto, vel in dubium etiam, ut à nonnullis hodiè fit, vocato, de omni virtutis atque honestatis studio perperam te sentire, adeoque in crassissimos errores incidere necessum est: quod si enim post lapsum nulla superest recta ratio seu nullum rectum judicium in nobis, ne de civilibus quidem & vitæ hujus honestate, (de rebus enim fidei, &

V. *Synderesis.* *Lex naturæ.*

Recta ratio.

quæ ad æternam vitam pertinent è sola revelatione sive verbo divino nos edoceri, extra controversiam est) jam non discrimen honestorum & turpium homo scire citra revelationem potest, nec in universum ulla esse, vel ethica, vel Politica, vel Iurisprudentia, cùm omnes illæ disciplinæ super recta ratione exstructæ sint.

VI. *Quantū errent qui eam negant.* Sed qui sic statuunt ipsi, quid dicāt, nesciunt, & non tantùm omnem Philosophiam evertunt, sed etiam Sanct. Paulo, velint, nolint, disertè contradicunt, præsertim si non solum affirment, notitias illas naturales veras non esse, sed etiam, ut nuper non nemo scripsit, *cum fide pugnare idque non per accidens,* aut quatenus homo malè sæpè iis utitur (quod fieri utique potest) *sed per se & quatenus sunt notitiæ tales*, sive conclusiones legitimè ex illis reductæ. Quod omne proclive erit intelligere, si tantùm consideres, quidnam vocetur recta ratio. *Quid ita vocetur.* Non appellatur autem ita ipsa anima rationalis, sive ipse hominis intellectus: hunc enim errare & decipi posse, atque adeò sæpè decipi vel in sapientissimo mortalium, nullum unquam fuit dubium. Nec verò ille errat tantùm in rebus fidei (in quibus profectò nisi Spiritu sancto duce, & facem prælucente S. Scriptura, perpetuò eum cespitare necessum est) sed sæpenumero etiam in civilibus, & iis quæ ad vitæ hujus rationes pertinent. Non ergò id vocatur recta ratio hominis intellectus, qui nulla in re erret, nulla in re impingat, sed rectum tantùm ejus judicium de re, quæ sive naturaliter nota est, sive potius ex principiis naturali-

turaliter notis legitimè sequitur. Hoc, inquam, judicium intellectus recta ratio appellatur, *theoretica* quidem, cum de rebus theoreticis judicat, *practica*, quando de practicis. Quotiescunque itaque dicitur rectam rationem hoc vel illud docere, aut rectæ ratione aliquid consentaneum esse, id intelligitur, verum illud & certum esse, vel quia sit principium natura notum, vel potiùs, quia ex ejusmodi aliquo principio per bonam consequentiam deduci possit.

Ratio theoretica & practica.

VII. *Ipsa scriptura voce rationis utitur in bonam partem.*

Et verò rectè ita appellari naturale illud, seu ex naturaliter notis principiis extructum de honestate & rebus civilibus judicium, ex ipsa scriptura ostendi potest. Vbi primo noto, vocem rationis perperam hodie à multis vix aliter, quàm in malam partem, & pro ipsa corruptione hominis usurpari, cùm contrà scriptura in bonam partem eâ utatur. Sic B. Paulus Roman. 12. 1. *Obsecro itaque vos, fratres, per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem,* RATIONALE *obsequium vestrum.* Ecce cultum illum, quem sancti Deo præstant, cultum rationalem vocat, non facturus utique, si ratio & rationale non perfectionem aut rem bonam, sed per se malam denotent. Simili voce utitur S. Petrus 1. cap. 2. 1. *Deponite*, inquit, *omnem malitiam & omnem dolum & simulationes & invidias & omnes detrectationes. Sicut modo geniti infantes* λογικὸν, ἄδολον, γάλα, RATIONALE, *sine dolo, lac concupiscite, ut in eo crescatis in salutem.* Deinde dico, judicium naturale, aut naturalibus principiis consentaneum, ab eodem Paulo

Et Paulus judicium naturale vocat rationem. rectam rationem appellari: ecquid enim aliud est ille λογισμὸς κατηγορῶν καὶ ἀπολογούμενος ratiocinatio accusans & defendens, in ethnicis, *ostendens opus legis divinæ in corde scriptum*, Roman. 2.15. quàm ratio recta? Certè λογισμὸς ratio est, seu rationis judicium; judicium autem seu λογισμὸς accusans improbitatem & defendens atque approbans honestatem, rectum utique judicium & recta ratio est. At talis erat ille λογισμὸς, de quo Paulus loquitur: nec enim ostendere poterat opus legis in corde eorum scriptum esse, nisi quod vitia accusabat & virtutem laudabat. Non ergo alia, de qua loquitur, ratio est, quàm recta illa, & rectum aliquod etiam in pessima vita judicium, quod etsi sectari ethnici illi nollent, ex animo tamen penitus delere non poterant.

IX. *Nec aliud etiam Ecclesiæ Doctores faciunt. Gregor. Nazian.* Vnde tertiò etiam Ecclesiæ Doctores semper ita locuti sunt. Ejus rei testes do duos insignes inprimis & omni exceptione majores, ex Græcis B. Grægorium Nazianzenum, ex Latinis B. Augustinum. Et Gregorius quidem orat. 2. de ratione theorica ita ait: RATIO *nobis à Deo data, innata universis, primaque in nobis adeò lex, omnibus inhærens, per eorumque quæ sub aspectum cadunt contemplationem ad* Deum *deducit.* Et notitiam Dei naturalem & per lumen naturæ acquisitam vocat rationem, & quidem quæ suo modo ad Deum ducat. Idem orat. 7. de ratione practica dicit, *generosas naturas, si* RATIO *eas castiget, magnum ad virtutem adiumentum adferre.* Rursus orat. 9. *Omne bonum à tempore ac* RATIONE *stabilitum in naturam*

ram vertitur. B. autem Augustinus utramque con- *S. Aug.*
jungit & planè loquitur ut nos hodie, lib. 2. de *gust.*
arbitr. cap. 18. *intueris*, inquit, *iustitiam quâ nemo*
malè utitur. Hæc inter summa bona, quæ in ipso sunt ho- *Imò Aug.*
mine, numeratur, omnesque virtutes animi quibus ipsa re- *rectam &*
cta vita & honesta constat: nam neque prudentia, neque *veram*
fortitudine, neque temperantia male quis utitur: in his *rationem*
enim omnibus, sicut in ipsa etiam, quam tu commemora- *appellat,*
sti, iustitia RECTA RATIO *viget, sine qua* *ut*
virtutes esse non possunt: RECTA *autem* RATI-
ONE *malè uti nemo potest*. Et libro tertio ca-
pit. 5. de ratione theorica sic ait: *Quicquid ti-*
bi VERA RATIONE *melius occurrerit, scias fe-*
cisse Deum tanquam bonorum omnium conditorem: non
est autem VERA RATIO, *sed invidia infirmitas,*
cum aliquid melius faciendum fuisse cogitaveris, iam nihil
aliud inferius velle fieri, &c. Item: *Potest esse ali-*
quid in rerum natura quod tua ratione non cogitas, non
esse autem quod VERA RATIONE *cogitas non po-*
test. Et rursus: *Credat ergo Deum fecisse quod* VERA
RATIONE *ab eo faciendum fuisse cognovit, etiamsi hoc*
in rebus factis non videt. Et paullò post: *Ita quidam,*
cum RATIONE VERISSIMA *videant melio-*
rem esse creaturam quæ quamvis habeat liberam volun-
tatem, Deo tamen semper infixa, nunquam peccaverit,
intuentes peccata hominum, non ut peccare desinant, sed
quia facti sunt, dolent. Denique opponit ratio-
nem usui & consuetudini: RATIO *æstimat luce ve-*
ritatis, ut recto iudicio subdat minora maioribus: usus
autem consuetudine commoditatis plerumque inclinatur
ut ea pluris æstimet quæ veritas minora esse convincit:
cum enim corpora cœlestia corporibus terrestribus magna
diffe-

differentia RATIO *præponat, qui tamen carnalium hominum non malet vel plura adesse in cœlo sidera, quàm unam arbusculam in agro suo, aut vaccam in armento?* Ita ille.

IX. *Recta ratio nihil aliud quã verum judicium de rebus quæ ex naturalibus principiis cognoscuntur.*

Ex his igitur constat rectam rationem appellari nihil aliud quàm notitiam rerum quæ per lumen naturæ parari à nobis potest, sive contemplationi eæ sub jaceant tantum sive praxi; seu rectum & verum judicium de istis rebus ex naturalibus principiis & lumine ac lege naturæ depromtum, atque ita vocem eam tum Scripturam ipsam tum Ecclesiæ etiam Doctores usurpare. Et verò negari nequit, rationem ejusmodi seu notitiam etiam post lapsum homini competere, nisi simul ipsas notitias innatas & legem naturæ quis velit inficiari. Nam si recta ratio est notitia seu judicium ex naturali lumine profluens, vel nullum post lapsum est naturale lumen vel est in talibus etiam recta aliqua ratio. Consequentia per se clara est. Antecedens autem negari nequit, nisi ipsi scripturæ contradicas: nam hæc tam in theoricis quam practicis lumen aliquod tale passim agnoscit. In theoricis quidem naturale aliquod lumen & notitiam superesse eousq; confirmat, ut quod primum in genere est naturaliter quadamtenus notum esse dicat, nempe Deum esse, eumque rerum omnium causam, justum, vindicem scelerum, &c. *Cœli enarrant gloriam Dei & opera manuum ejus annunciat firmamentum. Dies diei eructat verbum & nox nocti indicat scientiam*, inquit David. Psal. 18. 1. 2. Liber Sapientiæ cap. 13. 2. *Solem & Lunam rectores orbis terrarum Deos putaverunt. Quorum si*

Eam etiam post lapsum in nobis esse.

Probatur ex script. superesse nobis lumen naturale in theoricis.

rum si specie delectati Deos putaverunt, sciant quantò his Dominator eorum speciosior est: speciei enim generator hæc omnia constituit. Aut si virtutes & opera eorum mirati sunt, intelligant ab illis, quoniam qui hæc fecit fortior est illis: à magnitudine enim & specie & creatura ἀναλόγως (proportione aut convenienter) *poterit creator horum videri.* Sanctus Paulus Actor.14.16. *Deus in præteritis generationibus dimisit omnes gentes ingredi vias suas. Et quidem* (καί τοι γε quamvis) *non sine testimonio semetipsum reliquit, benefaciens de cœlo, dans pluvias; &c.* Idem rursus, capit.17.26. *Deus fecit ex uno omne genus hominum, inhabitare* (ut inhabitaret) *super universam faciem terræ, definiens statuta tempora & terminos habitationis eorum, quærere* Deum *si fortè attractent eum aut inveniant* (palpando inveniant) *quamvis non longè sit ab unoquoque nostrum.* Evidentissimè autem omnium idem docetur ad Roman. 1. τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ *quod notum est Dei* (seu cognosci de Deo potest) *manifestum est in ipsis. Deus enim illis manifestavit*, versic.19. *Invisibilia enim ipsius à creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus & divinitas, ut sint inexcusabiles* vers.20. *Quia enim cognovissent Deum, &c.* vers.21. *Et sicut non probaverunt* (οὐκ ἐδοκίμασαν, non visum fuit) *Deum habere in notitia &c.* Quî poterat clariùs dici, lumen quoddam naturale unicuique homini suppetere, non dico ad cognoscendam veritatem tantum rerum creatarum, sed ad agnoscendum etiam Deum ipsum & creatorem ex creaturis istis, nempe quod æternus sit, justus, sapiens, bonus, omni-

potens,&c. Imò hæc naturâ tam manifesta esse dicuntur, ut pœnè palpando etiam inveniri queant. Quin hæc naturalis notitia manifestatio quædam divina appellatur. Et verò ista non tantum evincunt naturale aliquod lumen etiam post lapsum restare in homine ad veritatem in his quodam modo cognoscendam, sed simul etiam rectam ex isto lumine & naturalibus istis principiis ratiocinationem, seu facultatem rectè ex iis aliquid deducendi: Si enim illa omnia de DEO ex creaturis discere, si invisibilia DEI ex visibilibus, ex ornatu creaturarum creatoris sapientiam & majestatem intelligere ethnici potuerunt, imò etiam inde intellexerunt, jam utiq; recta de his ratio seu ratiocinatio & rectum judicium in iis esse poterat & erat etiam, nisi quod ipsi illud sequi nolebant & extinctum etiam ibant, quantum poterant. Quod si autem suppetebat recta ratio de divinis quadantenus, multò magis ea erat de naturalibus & in naturalium scientia.

X. *Item in practicis.* Porrò verò extare etiam naturale lumen in practicis æquè manifestò sacræ literæ docent. Sic ad Roman. 1. ultim. dicitur, ethnicos novisse *malitiam, fornicationem, avaritiam, nequitiam, invidiam, homicidia contentiones, dolos, &c. talia esse peccata morte digna*; item novisse *justitiam seu ius Dei*. Et cap. 2. 14. dicuntur ijdem *naturâ* interdum *quæ legis sunt facere* & v. 15. *opus legis cordi inscriptum* gestare & *à suis ipsorum cogitationibus* interdum *accusari*. Vnde etiam 1. ad Corinth. 11. 14. idem Paulus ad naturale judicium provocat: *Annon*

natura

natura ipsa vos hoc docet, inquit, *quod vir quidem si comam nutriat ignominia est ei*, &c. Hæc scriptura. Quod si autem naturaliter nota ex parte sunt quæ lex Dei scripta docet, nota item justitia seu jus Dei, & etiam impii sæpè ita judicant & ratiocinantur, ut flagitiosæ eorum vitæ judicium illud & cognitio repugnet; si porrò etiam ethnici pessimè viventes norunt malitiam, fornicationem, avaritiam; nequitiam & similia morte digna esse, & denique etiam illi opus legis in corde scriptum habent, nihil manifestius est quàm ipsa scriptura attestante naturalia aliqua principia ad discernendam honestatem à turpitudine; & vitia à virtute, nobis etiam post lapsum superesse; atque adeò etiam rectam de talibus rationem, præsertim cum hanc nihil aliud appellamus, quàm notitiam & judicium ex naturalibus illis principiis profectum.

Cæterum sicut naturalia illa ad has res cognoscendas principia & ex istis profluens judicium; vera & certa sunt atque à Deo ipso per naturam omnibus manifestata, ita etiam quidquid de rebus talibus Philosophia, quæ partim ex his principiis constat, partim ijs, ut unicis fundamentis innititur, docet, veritati & divinæ illi manifestationi congruere necessum est. Quod ut intelligas sciendum primò est Philosophiam nos *non dicere hîc*, ut rectè ait Clemens Alexandrinus libro 1. Stromat. *Stoicam nec Platonicam, aut Epicuream & Aristotelicam, sed quæcunque ab his sectis rectè dicta sunt, quæ docent justitiam* cum

XI. Certitudo utriusque luminis & totius Philosophiæ.

Quia vocemus Philosophiam.

cum pia scientia, hoc totum selectum dicimus Philosophiam. Sivè ergò rectè censeant Pythagoras, Socrates, Plato, Aristoteles, Seneca, Epictetus, cum de virtute & honestate disputant; sive errent alicubi; nihil hoc aut rectæ rationi aut Philosophiæ præjudicat: quod si enim rectè disputant, ideò amplectenda ea sunt, quod ex principiis naturalibus & lege naturæ rectè ab iis deducuntur: sin impingunt eò sequendi non sunt, quod quæ asserunt iisdem illis honestatis & virtutis fontibus repugnant; etiamsi illa cum iis consentire ipsis visum fuerit. Vnde scriptura, etiamsi damnet nonnunquam Philosophiam Epicureorum, & sapientiam hujus mundi, nusquam tamen Philosophiam, aut sapientiam ipsam per se reijcit: quâ de re Sanct. Augustinum audi libro 1. de ord. cap. 11. *Hoc Græcum verbum, inquit, quod Philosophia nominatur amor sapientiæ dicitur. Vnde etiam divinæ scripturæ, quas vehementer amplecteris, non omninò Philosophos, sed Philosophos hujus mundi evitandos atque irridendos esse præcipiunt &c. Nam quisquis omnem Philosophiam fugiendam putat, nihil nos vult aliud quàm non amare sapientiam.*

Scriptura damnat Philosophos hujus mundi, non omnem Philosophiam. August.

XXII. *Nihil potest verâ ratione statui quod falsum sit.*

Deinde aperta contradictio est, ex veris principiis aliquid rectè sequi, item rectâ & vera ratione aliquid statui, & falsum tamen esse, cum perinde hoc sit atque si dicas veritati aliquid omnino congruere & rectè adseri, nec verum tamen esse. Vt ut ergò errare & falli possit intellectus & ratio nostra, etiam in civilibus, & sæpe quoque fallatur, quia malè ex principiis naturali-

talibus ratiocinatur, malè philosophatur, ipsum tamen lumen naturæ & recta ratio, seu quod ex principiis illis rectè & legitimè extruitur, fallere non potest; multò minus fidei repugnare, si faciat, utiq; fallaciam, cum fallere prorsùs necessum sit, quicquid ei refragatur.

XII. *Quidnam dicendum sit Ethicũ aut Politicum.*

Ex quibus omnibus non solum certitudo & veritas totius Philosophiæ practicæ; (nam de theoretica hic non agimus; etsi eadem hac in re utriusq; ratio est) evincitur, sed error etiam eorum liquet, qui contrarium opinantur: cum enim ipsa, quanta quanta est, nihil sit aliud quam habitus & facultas juxta rectam rationem & naturale illud lumen judicandi & statuendi de iis, quæ ad vitam hanc honestè, justè & prudenter instituendam pertinent, & ethicum & politicum illud est, quicquid lumini illi & rectæ rationi consentaneum est & examussim respondet: quicquid autem ab iis quoquo modo dissentit, non Philosophicum, seu Ethicum aut Politicum est, sed error in utraque doctrina, à quocunque profectum fuerit. Quemadmodum igitur fieri potest, ut jurisperitus erret, nonnunquam etiam in quæstione juris, medicus in cognitione aut curatione morbi, nec tamen, accuratè loquendo, errat unquam ipsa jurisprudentia, aut jurisconsultus per jurisprudentiam, vel medicina aut medicus per medicinam, (habitum enim illum qui docet cognoscere jus aut cognoscere morbum, docere etiam errare in jure aut in morbo cognoscendo contradictio est) ita impossibile quoque est & inauditum ipsam philo-

Philosophus potest errare, at non Philosophia aut quisquam per eam.

philosophiam practicam aut hominem per illam errare in practicis: cum enim ista ejus natura sit, & finis unicus, ut verum nos de talibus cognoscere, & rectè statuere faciat, non magis errandi principium illa per se quidem esse potest: quam aqua exsiccandi, aut ignis frigefaciendi: nam verum cognoscendo falsitatem quenquam discere, perinde utique est, atque rem humectando exsiccare, vel calefaciendo frigefacere.

August. Ioan. Damascenus. Unde B. Augustinus libro 2. soliloq. cap. 11. *disciplina*, ait, *nisi vera doceat, disciplina esse non potest.* Et Joan. Damascenus Dialect. cap. 1. *cognitionem voco, veram earum rerum quæ sunt, apprehensionem: nam falsa cognitio, quæ non entia ceu sint, apprehendit, ignoratio potius est quàm cognitio.* Vbi nota, longè aliud esse, habitum aliquem, quo quicquam cognoscimus, non assequi omnia, quæ poterat, si perfectior esset, & habitum illum errare, aut pravè rem edocere, cum aliud etiam sit, aliquid non docere, & errorem docere. *Multa non assequitur Ethica & Politica, nec errat tamen.* Quod quidem de recta ratione & Philosophia hac liquidò patet: multa enim fortè non attingit etiam in civilibus recta ratio & habitus ethicæ aut politicæ, licet insignes sint: at non propterea de iis, quæ attingunt, errant. Ita lumen lunæ non sanè illustrat omnia ut Sol, sed nec tamen ea, ad quæ pertingit, obscurat, aut tenebris involuit: lumine enim obscurare quicquam, vel cogitatu ridiculum est.

XIV. Contradictiones eo. Cæterum quàm hæc sunt dilucida, & aptissimè omnia inter se cohærent, tam fortiter ipsi secum pugnant, imò in perpetuis contradictionibus

nibus hærent, qui certitudinem illam in dubium vocant, & errores ethici aut Philosophi non ethico aut intellectui ejus errantis, sed ipsi ethicæ & rectæ rationi, quæ est aut esse in ethico poterat, imò ipsi lumini naturæ impingunt, ut rectè dixerit Aristot. 1. ethic. Nicom. cap. 8. *vero omnia consentire, à falso autem verum statim discrepare.* Et sanè aut nemo hominum sibi contradixit unquam, aut istæ sunt manifestæ contradictiones, statuere, ut quidam facit, ipsam veritatis cognitionem errare aut falsum continere, ipsam *sapientiam*, (puta quæ verè talis est, non quæ non est, sed eo loco habetur) *pravam esse*, cùm omne errare & falsum amplecti sit verum non cognoscere; & omnia pravè sapere idem ac desipere. Quibus similia adeoque gemella sunt & ista quum idem dicit, principia natura nota sive *notitias naturales per se veras & bonas imò Philosophiam per se respectu sui & in seipsa, aut in abstracto, semper aliquod bonum esse, & Deo non repugnare*, & tamen, *aliquando illas ipsas notitias, illam ipsam Philosophiam sive in abstracto consideres, sive in concreto, vanitatem, stultitiam, ac mendacium esse, ac Deo repugnare*: Item, *Principiorum illorum veritatem per se consideratam, etiam, ut detinetur in injustitia, commendabilem esse, & à B. Paulo commendari*, neque minus tamen, *eam ipsam in nescio quâ applicatione & praxi per se esse reprehensibilem*, vel: Principiorum istorum veritatem *commendari sine discrimine hominum, & differentias fidei ac infidelitatis nihil pertinere ad ipsam Philosophiam respectu sui*, adeoque esse *unam atque eandem veritatem, quam justè possideat fidelis, & in injustitia*

rum qui errores Ethici ipsi Ethicæ tribuuntur.

justitia gentilis detineat,&c. & tamen,*illas ipsas notitias & Philosophiam quatenus sunt in homine per peccatum corrupto,errare & fidei repugnare* : item : Notitias illas *per se bonas esse*: etiam *cum malè usurpantur, nec* tamen ipsas *à malo distinguendas esse*,aut *usurpationem earum tantùm damnari posse*. Hæc,inquam, omnia superioribus illis sunt similia, id est,frontibus adversis pugnant, pugnabuntque tamdiu, quàm lux tenebræ non erunt,aut non dies: ut enim veritas mendacium fit, aut verum falsum, bonum malum,&c. fieri nullo pacto potest,non tantùm si *Metaphysicè*,ut ait;*rem consideres*,sed etiam & maximè *si Theologicè* : nam tale quid Theologiam aut sacram scripturam docere si quis dixerit,ea certe absurditatis & impietatis extrema sit linea.

XV. *Quomodo eidem repugnent Paulo.* Verum enimvero non solum sibi ipsis identidem contradicunt,qui sic disputant,sed expressè etiam,neque semel B. Paulo. Certè hic quidem disertis verbis ipsos gentiles ait *justitiam Dei* in his,de quibus nobis sermo est,*cognovisse*, id est,ut ipse Apostolus hoc explicat, scivisse omnem injustitiam,scortationem,animum malitiosum, avaritiam,invidiam,homicidia,contentiones,dolum,sycophantias,contumelias, superbiam,jactantiam,inobedientiam erga parentes, imprudentiam,vitam incompositam, animum immūdum,implacabilem, immisericordem, *hæc*, inquam,*omnia mala esse & pœnis quin & morte digna*.Imò hanc justitiam, sive justitiæ Dei cognitionem in gentilibus,etiam qui in injustitia eam detinent, & corruptissimè vivunt, docet *opus legis esse in-*

esse inscriptum cordibus eorum, cui, si congruenter eorum quispiam interdum quid agat, *naturâ eam facere* dixit, *quæ legis divinæ sunt*. Unde etiam *inexcusabiles* esse affirmat, quod *quæ maximopere fugienda esse sciebant*, fecerint, aut facientibus talia consenserint. Quæ omnia tam sunt manifesta, ut tergiversationi locum nullum relinquant: si enim scientia illa de discrimine honestorum & turpium in civilibus, quæ per lumen naturæ acquiritur, etiam prout est in hominibus impiissimis, justitia Dei & opus legis est, imò ista cognitio ethnicos inexcusabiles reddit, jam utique ea per se vera est, nec fidei repugnat etiam post lapsum, cùm justitia Dei, & opus legis divinæ, mentiri aut fidei repugnare nullo modo possit.

Deinde potest idem sic quoque ostendi. Cognitio illa veritatis de discrimine honestorum & turpium in vita civili, etiam ut ea erat in Ethnicis seu peccatoribus, aut erat à Deo aut à Diabolo. Non à diabolo, nisi eum veritatis magistrum facere velis, quem ipsa scriptura sacra patrem mendacii vocat. Ergò ipsa illa cognitio veritatis, etiam prout erat in hominibus peccatoribus, à Deo fuit. Quod si autem à Deo erat aut est, non fallit profectò nec decipit: quicquid enim Deus docet id fallere, aut erroris principium esse sine blasphemia dici nequit, in quacunque re aut subjecto reperiatur. Quemadmodum igitur notitia S. Scripturæ etiam in hæretico & impio homine, qui contra conscientiam suam veritatem oppugnat, mala non

XVI. Lumen naturæ etiam in peccatoribus non est à Diabolo.

est aut fallit, & per se in errorem inducit: ita nec cognitio veritatis naturâ notæ in animo peccatoris fallit aut errat, licet homo erret, qui cognitione illa præditus est: omnis enim veritatis auctor unus est, & eam etiam, quæ natura nota est, sive ex natura notis eruitur, Deus manifestavit, ut Paulus dicit. Vnde rectè Beatus Augustinus epist. 18. ait: *A quocunque verum dicitur, illo donante dicitur, qui est ipsa veritas*, & Beatus Ambrosius, sive quisquis auctor est commentariorum illius, in epistol. 1. ad Corinth. cap. 12. *Quicquid verum à quocunque dicitur, à sancto dicitur Spiritu.* Et rursus Augustinus de vit. beator. disp. 3. in fine: *Dei verum omne quod loquimur, etiam quando adhuc vel minus sanis vel repentè apertis oculis audacter converti, & totum intueri trepidamus.* Nec obstat, si dixeris, posse aliquid, etiam quod à Deo profectum est, cum fide pugnare; dona enim Dei depravari posse, & à sua integritate deficere: nam quanquam nemo ignorat, certa illud ratione contingere posse, tamen id omne per accidens est, nec donis illis ullatenus competit per se, aut quâ sunt talia. At cognitio veritatis etiam qua talis, est à Deo & donum Dei: Ergo nulla cognitio veritatis, quâ talis est, pugnare cum fide potest. Quod si *depravatam cognitionem* intelligere dicas, iterum inscius te intricasti, atque cum supra *pravam sapientiam* diceres; pravè enim quicquam cognoscere non potes, nisi veritatem non apprehendas. *Tertiò* ipsi qui sic disputant, fatentur, ut diximus cognitionem illam veritatis, quæ naturâ duce acquiritur, etiam prout detinetur in injustitia, esse bonam

Omne verum à Deo est.
August.
Ambros.
Objectio.
Solutio.

nam ac veram. At detineri illa in injustitia non potest, nisi à peccatore. & prout in peccatore est. Ergo ipsi concedunt, cognitionem illam veritatis, etiam cum est in peccatoribus, bonam ac veram esse.

Quæ cum ita se habeant, falsum est, *Philosophiam*, (hæc enim est cognitio illa veritatis naturâ notæ, aut è natura erutæ,) *post hominis lapsum sive cum est in anima hominis peccato depravati, pugnare cum theologia per se, & quatenus est philosophia*: falsissimum quoque est dicere, si quis id neget, *eum peccatum originis tollere*: quod si enim id est peccatum originis tollere, jam & Paulus illud tollit. Sanè peccatum originis totam naturam hominis infedit, id est, non tantum intellectum, planè cæcum reddidit in iis, quæ fides docet, sed etiam voluntatem & appetitum sic à Deo avertit, ut nec legi divinæ obedientiam, quam Deus in sacra scriptura requirit præstare, nec in universum quicquam sine gratia Spiritus sancti agere possit, quod ad æternam salutem nos perducat. Quare in talibus recta ratio, sive rectum aliquod judicium naturale, & è principiis naturâ notis erutum omnino nullum est. Sed per Deum immortalem quænam est consequentia? Homo totus est cæcus, & errat in rebus fidei extra verbum & gratiam Spiritus sancti: Ergò cæcus est etiam in rebus civilibus. Quibus argumentationibus similis illa quoque est: *Qualis natura, talis ratio, qualis ratio, talis sapientia. Atqui natura per peccatum est corrupta. Ergò & corrupta ratio, Ergò & corrupta sapientia*. Quid si enim de ijs, quæ

XVII. Philosophia non pugnat cũ Theologia.

Alia objectio.

ad fidem & salutem æternam attinent, loquatur: conceditur, nihil in iis nos intelligere naturâ duce, sed si quis hic extra verbum divinum definire quid velit, omninò eam esse *corruptissimam sapientiam*, ut ipse loquitur, id est, meram stultitiam. Sed quomodo hæc ad res civiles transfertur? nisi fortè & hæ sunt res fidei, atque illa, quæ de discrimine honestorum & turpium etiam ethnici sciebant, fide tenentur. Sit ergò, ut dicit, Plotinianus, sit Pelagianus, si quis docet, natura duce, aut naturæ viribus vel tantillum cognoscere nos, aut etiam agere posse in rebus ad fidem pertinentibus sine lumine gratiæ. At non ideò nec in civilibus naturale aliquod judicium nobis suppetit: contrarium enim expressè docet Augustana confessio articul. 18. Non inficiamur equidem ut supra diximus, cognitionem illam imperfectiorem esse in nobis atque in Adamo erat ante lapsum: sed erronea, ut diximus, propterea tamen non est, nî & mysteriorum divinorum cognitionem, quæ ex ipso verbo revelato hauritur, erroris aut facultatis insimulare velis, cum & hæc in viatore perfecta non sit: *ex parte enim cognoscimus, ex parte prophetamus, & videmus nunc per speculum in ænigmate*, ut est 1. Cor. 13. 11. & 12.

Naturale judicium non est de rebus fidei sed tamen de civilibus.

XVIII. Manet ergò, quod initio diximus, Philosophiam omnem, & quicquid ex principiis naturâ notis rectè ac legitimè deduci potest, certum ac per se bonum esse etiam post lapsum. Manet etiam, si quid ex illa aut istis depromat vel hæreticus ad hæresin, vel homo nequam ad vitam turpi-

turpitudinem defendendam, purum abusum esse, non per se ipsi Philosophiæ competere: quicquid enim donum DEI est, aut à DEO, id per se, sive ut est tale, principium falsitatis aut erroris dici non potest, nisi eâ culpa simul DEUM involuere velis. Quod si autem *propter malam applicationem*, ut dicitur, ea quæ vera & bona per se sunt, falsa aut mala fieri possunt, jam nihil per se verum, nihil per se bonum erit: imo ipsa sacra scriptura falsitatis rea peragetur, cum nullus in ea sit locus, quin ex illo malè intellecto & applicato telum aliquod contra veritatem depromserit hæreticus aliquis. Si enim, exempli gratiâ, hoc principium naturâ notum: *Deus est glorificandus*, falsum est, *cum applicatur ab ethnico*, id est, cum Deitas creaturæ tribuitur, & ita subsumitur: *Apis est Deus*, falsum utique & hoc principium esse potest: *Quod sacra scriptura docet, illud est infallibiliter verum.* Subsumat enim Arianus; *Sacra scriptura docet, Christum esse purum hominem.* Quid videtur? falsane est major, quia minor falsa est, aut quia terminus unus majoris conjungitur in minore cum illo, quicum non debebat? *An propter malam applicationem aliquid fiat per se malum.*

XIX. *Nova objectio.* Nec ad rem facit, si dixeris, *non esse accidentarium homini corrupto peccatis, ut scientiam suam malè collocet, & quæ in se vera sunt, malè applicet*: primò enim falsum id est in rebus civilibus, & ut Augustana confessio vocat, *rationi subiectis*, in quibus benè eam collocare, & benè quod scit, applicare potest, cum ad hanc rem habeat reliquum aliquod naturale judicium & liberum *Respon.*

 arbi-


arbitrium. Per accidens ergò fit, si illud non faciat, haud per se. Deinde est aliud, hominem prout corruptus est, non posse non malè, quæ scit, applicare, adeoque hoc sequi per se ad illam corruptionem; & aliud per se id esse rei illi aut scientiæ, quæ est in homine corrupto, quod ita applicetur. Sic non potest Arianus, ut est Arianus, loca illa sacræ scripturæ; *Pater major me est*, &: *Diem judicii extremi ne filius quidem hominis scit*, aliter explicare, quam ad divinitatem filii Dei oppugnandam; an autem illis hoc per se competit, ut ita explicentur, aut eorum hîc aliqua culpa est?

XX. *Philosophiam omnem tollunt, qui errata philosophi ipsi disciplinæ tribuunt.*

Vt finem tandem faciam, constat ita de veritate intellectus practici, deque doctrinæ Ethicæ, & universæ adeo Philosophiæ certitudine, quam cum Philosophia ipsa penitus tollunt omnes, qui errata, quæ tribuere Philosophis debebant, ipsi Philosophiæ impingunt, cum nauci non sit ulla rei cognitio, aut ulla disciplina, quæ certitudinem nullam habeat, aut tam falsum, quam verum doceat: nam quod ajunt, ne sic quidem Philosophiam totam everti, quia *limari & castigari per verbum divinum possit*, id nihil est: etsi enim nullum est dubium, quin si quid in scriptis philosophorum, præsertim ethnicorum, occurrat, quod verbo divino repugnet, id inde omninò emendandum sit, suppleri etiam, præsertim in Ethicis & Politicis è scriptura aliquid potest; attamen inde totius philosophiæ certitudinem accessere velle, id profectò nimis mirum est, cum de plerisque his scriptura non agit.

Effugium quoddam refellitur.

agat. Cohortatur equidem ea ad continentiam & temperantiam, ad justitiam, omnemque virtutem etiam civilem, & absterret à vitijs, jubet quoque prudenter ambulare, &c. at quid sit virtus moralis aut intellectualis, quid temperantia, quid justitia, & quod ejus species, quid prudentia & quotuplex, quid actio moralis, aut quæ ejus principia, quid sit spontaneum, quid invitum, qui & quot sint affectus, quid ira, voluptas, odium &c. inde non disces, non magis certe, quam peti indidem potest doctrina triangulorum, numerorum, motuum cœlestium aut doctrina actus & potentiæ, necessitatis aut contingentiæ, &c. aut doctrina de mutationibus & motibus rerum naturalium in Physicis. Quod si ergò in illis nulla certitudo est, nisi prout ex scripturis theoremata, & præcepta illa limata & castigata fuerint, tota Philosophia nobis perijt, ut omittam nunc, quòd scientiæ non manent scientiæ, si credantur & conclusiones earum non demonstrentur; scientia enim evidentium est, & quorum causas adsignare licet, fides autem eorum, quæ non videntur, est *enim substantia rerum sperandarum & argumentum non apparentium*, ut dicitur ad Hebr, 11. 1.



CAPUT

CAPUT III.

De rationis in cæteras animi facultates imperio.

SUMMARIA.

1 *Rationem cæteris animi facultatibus imperare.*
2 *Non imperio externo, sed interno, & an illud voluntati competat.*
3 *An intellectui.*
4.5.6. *Quæ sit difficultas de illo imperio.*
7 *Quale illud revera sit in intellectu.*
8 *Objectio quædam solvitur.*
9 *Quomodo imperium illud etiam voluntati competat.*

1. *Rationem cæteris facultatibus imperare.*

QUemadmodum ratio & intellectus sunt id quo homo est, quod est, & à brutis animantibus segregatur, ita etiam ex ejus lumine naturali omnes doctrinæ, quas discere homo extra revelationem potest, dependent. Vnde fit, ut nõ tantum disciplinæ omnes sedem suam in ea habeant, sed certitudinem & veritatem quoque à lumine intellectus illæ quidem omnem nanciscantur. Vt itaque fundamentum totius hujus disciplinæ intelligeretur, ostendimus hactenus non tantùm, quæ facultas sit intellectus, sed etiam, unde omnis ejus perfectio & veritas, præsertim in rebus philosophicis & inprimis in practicis, originem ducat. Nunc cum cõstet de certitudine & veritate intellectus practici in se, id proximum est, ut explicetur, quomodo ille cæteris facultatibus imperet: cũ enim munus ejus sit in-

sit invenire & ostendere veritatem practicam, seu quid in vita sequendum sit; quid fugiendum, in sciendum nunc est, quomodo ergo iste vitæ mortalium dux & imperator cæteras facultates regat & gubernet. Et verò, nullum planè dubium est, animum rationalem, sicut prima & princeps facultas est in homine; ita reliquis omnibus præesse, & certo modo imperare. Idque disertè & multis locis docet Aristoteles. Sic 1. Politic. c. 3. dicit νοῦν seu *mentem appetitui ut regem aut magistratum imperare.* Et 1. Ethic. Nicomach. cap. ul. t. 113. facultatem appetitivam ait *parere & obedire rationi*, item rationale aliud dici, *quod rationem habet*, aliud, *quod eam audit, ut filius patrem.* Rursus 6. ethic. cap. 10. dicit prudentiam hoc differre ab intelligentia seu σύνεσις, quod *hac judicet, illa præcipiat & imperet*, & eod. libr. cap. ultim. in fine inquit, *civilem facultatem de omnibus præcipere, quæ in civitate fiunt.* Unde B. Augustinus libr. 1. de libero arbitrio cap. 8. negat hominem ordinatum esse posse, nisi mens imperet. Verba ejus sunt: *Illud est, quod volo dicere, hoc quidquid est, quo pecoribus homo præponitur, sive mens, sive spiritus, sive utrumque rectius appellatur: (nam utrumque in divinis libris invenimus) si dominetur, atque imperet cæteris, quibuscunque homo constat, tunc esse hominem ordinatissimum.* Et rursus: *Ratio ista vel mens vel spiritus cùm irrationales animi motus regit, id scilicet dominatur in homine, cui dominatio lege debetur eâ, quam æternam esse comperimus.* Hinc Thomas 1. 2. tota q. 17. de imperio hoc tractat, eumque actum intellectus facit, præsupposito tamen alio aliquo voluntatis, & ad eum locum

Aristotel.

August.

Thomas.

cum

cum multis tam Ethici quam Theologi Schola-
stici hac de re agunt. Quidam autiores etiam i
Physicis & metaph. doctrinā hanc prosequūtu

II. *Non tam imperio externo sed interno.* Vt autem natura hujus imperii breviter expl-
cetur, id initiō faci è intelligi putamus; quod no-
tat Fonseca libr. 9. metaph. cap 2. q. 2. sect. 1. vo-
cem imperii nonnunquam pro potestate, non-
nunquam pro actu imperandi venire, & rursu
interdum pro actu externo accipi, interdum pr
interno, item; duo priora significata aliò perti-
nere, & tertium tantum hujus loci esse: nec non
de imperio hîc loquimur, ut potestate neque i
actu externo, quæ magistratui in subditos, &
homini in hominem competunt, sed de actu ali-
quo interno, qui in uno eodemque supposito
ab una & suprema animi facultate in cæteras fa-
cultates exercetur. Imò sicut infra dicemus, ju-
stitiam non esse propriè inter diversas animi fa-
cultates unius personæ, sed inter diversas perso-
nas; ita contra hoc imperium non inter divers
supposita & personas, sed inter diversas anim
facultates unius personæ intercedit, atque ade
non in commercio plurium hominum inter se
sed in harmonia & concordia distinctarum ani-
mi facultatum consistit. Ejusmodi igitur ali-

Annon imperium illud cōpetat voluntati. Sunt qui id voluntati tribuant. quid hic imperium appellatur. Vbi tamen i
controversum est, annon illud voluntati potius
quam intellectui competat? Equidem Jacobu
Almainus tract. 3. moral. cap. 2. statuit, sine caus
illud imperium à Thoma poni, vel certè ad vo-
luntatem potius, quam ad intellectum pertine-
re. Argumenta ejus hæc sunt; ut à Barth: Me-
dina

dina; 1.2.q.17.art.1 proponuntur. Primò in intellectu nihil est, nisi simplicium apprehensio, compositio & divisio, & discursus. Sed imperium nullum est horum. Ergò non est in intellectu tale aliquod imperium. Secundò, posito judicio intellectus possumus habere electionem, & operis executionem. Ergò actus ille præcipiendi seu imperandi supervacaneus est. Tertiò; voluntas regina est cæterarum facultatum, respicit ultimum finem; estque primum movens ac impellens in regno animæ. Ergò si quod est tale imperium, illud ipsi voluntati potius, quàm intellectui competit. Henricus Gandavens. quodl.9. quæst.6. non dubitat, an sit ejusmodi aliquod imperium; sed in voluntate ponendum esse acriter contendit. Probat autem id tripliciter: primò ex conditione imperantis ita: Quicquid alteri imperat, hoc oportet dominium habere in illud, eoque superius esse. Sed voluntas, non intellectus, dominium obtinet in regno animæ: omnia enim movet, & ipsum etiam intellectum, ut infra dicetur, imò facultas superior est intellectu: posterius enim hoc supponit, ut à se quodl.1. quæstion.14. ostensum. Secundò ex natura ejus cui imperatur: Cui imperatur, illud tale esse debet, ut necessariò pareat, & exsequatur quod præscribitur. Sed voluntas non est talis: naturâ etenim est libera, imò libertatem arbitrii formaliter & sola habet, nec alia facultas nisi per ipsam. Non ergò ei imperatur: quod enim sui arbitrii est, ad imperandnm potius, quàm obediendum factum est. Ter-

Almain.

Henricus Candavensis.

est. Tertiò ex natura rerum, quæ imperantur. Si intellectus imperat voluntati, præscribit ei actum aliquem, seu aliquid, quod exequatur. At voluntas ipsa nihil exequitur, sed cæteræ potentiæ per eam. Ergo intellectus voluntati non imperat.

Bonaven. *Scotus.* Hæc Henricus: Eadem sententia videtur fuisse Bonaventuræ 3. sent. d. 17. q. 1. etsi obiter, rem attingit potius quam explicat. Cui Scotum quoq; 2. sent. d. 6. q. 1. & quod l. q. 17. favere dicunt Cajetanus, Medina, Fonseca. Quin ipse Thomas

Thomas. diserte, & multis locis, ut Medina annotat, imperium voluntati transcribit. Sic 1. 2. q. 71. art. 6. ad 2. *prima causa*, inquit; *est in voluntate, qua imperat omnes actus voluntarios*. Et 2. 2. q. art. 2. ad 2. ait: *Fides pertinet ad intellectum, secundum quod operatur à voluntate*. Vide & q. 10. art. 2. in corp. & inscriptionem art. 1. ipsius q. 17. in prima secundæ.

III. *Alii intellectui transcribunt.* Contrarium sensit Thomas non tantùm loco citato, sed etiam q. 57. art. 6: ubi tres actus intellectus facit in rebus practicis, inquirere, judicare, præcipere, & ultimum hunc dicit non tantum proprium sed etiam præcipuum intellectu practico esse. Thomam operosè propugnat Cajetanus 1. 2. q. 17. artic. 1. & quæst. 58. artic. 4. Domin. Soto de justitia libr. 1. q. 1. art. 1. & Medina & hic quidem adeo usque, ut eos qui contra sentiant, *Aristotelem vel non legisse vel non intellexisse scribat*. His accedunt Fonseca 6. metaph. cap. 2. quæst. 7. sect. 2. & Gregorius de Valentia, ad 1. 2. tom. 2. quæst. 12. disputat. 2. punct. 5. Argumenta hæc sunt. Primò, imperare est loqui & denunciare aliquid, puta, fac hoc, ne facias. At loqui non est volun-

Thomas. *Caietan.* *Soto.* *Medina.* *Fonseca.* *Gregor. de Valent.*

tatis,

tatis,sed intellectus. Secundò imperare est regere:regere autem est sapientiæ, atque adeò intellectus. Ergò etiã imperare intellectus est. Tertiò, ordinare & disponere est intellectus. Sed imperare est ordinare aliquid & disponere. Ergò. Quartò sæpè magistratus imperat ; quod ipse tamen non vult,& rursus nonnunquam aliquid vult,quod non imperat. Imò nec tenetur quis vivere juxta id, quod magistratum velle scimus, sed juxta id quod præcipit. Ergò velle & præcipere unum & idem non sunt. Quintò regere & imperare est munus ejus quod alterum illuminat,& ei quid facto opus sit ostendit. Sed hoc est munus intellectus,non voluntatis : voluntas enim potentia per se cæca est: Ita probant imperium non esse actum voluntatis , sed intellectus: Porrò autem non esse apprehensionem intellectus , nec judicium simplex aut discursu comparatum hoc pacto confirmant. De apprehensione res per se clara est.De judicio probatur argumento ex jam allatis quarto : magistratus enim sæpè judicat aliquid bonum esse, nec illud imperat tamen , neque tenetur subditus facere tam secundum judicium ejus, quàm præscriptum.Ergo judicare non est imperare. Probant etiam sic : apprehendere & judicare est etiam in intellectu speculativo : præcipere autem soli practico competit.Ergò judicare & præcipere unum non sunt.Item multi rectè judicant, & hoc vel illud faciendum sibi esse statuunt, nec imperant sibi tamen,ut faciant. Ergo imperare & judicare differunt.Hæc ita utrinque disceptantur.

IV. *Tertia sententia & vera, Vasquez.* Cæterum utraque pars nimis late imperiu hoc videtur extendere, & plus justo altera intu lectui, altera voluntati tribuere. Vnde ex rec tioribus Gabriel Vasquez in 1. 2. disput. 49. c 4. ejusmodi imperium hominis ad se ipsum à judicio intellectus; & electione volunta distinctum, *nec necessarium in vita, nec utile esse* c set, & idem sentire ait Adrianum quod l. 4. ar

Suarez. litt. A. Nec aliud statuit Suarez in metaph. sput. 19. sectio 6. numero sexto, cum *imperi practicum intellectus, quo quis intelligitur sibi ipsi vel voluntati imperare*, dicit, non esse aliud à *jud perfecte practico & omnino definito cum omnibus c cumstantiis.* Quibus ut & nos assentiamur, h

Imperium illud esse impropriè dictum. nobis persuadent. *Primò* nullum est dubiu quin sicut justitia & jus proprie est inter plu personas, & secundum similitudinem tantu quandam inter diversas partes animæ in uno e demque homine, ut expresse docet Aristotel. Ethic. capit. undecimo, ita etiam imperium tionis in cæteras facultates non propriè, sed cundum quid tantum imperium sit, nec ex om parte illud repræsentet. Probatur conseque tia: si enim jus proprie non est inter partes c versas animæ, nec imperium & obedientia pr prie inter eas erit, cum imperare sit jus quo dam in alterum exercere, & parere, jure alte obstringi. *Secundò* imperium proprie dictum ostendere alteri, quid facere eum velis, cum quadam cogendi, ni pareat: quia enim ejusm di est natura legis, ut docetur 10. ethic. cap. 9. e dem erit imperii, cum magistratus sit lex qu

da

dam animata. At hæc competere possunt toti homini, qui intellectu simul & voluntate præditus, intellectui autem & voluntati in se non possunt: nec enim intellectus ostendere potest, quid velit, quia ipse nihil vult, nec voluntas, quia ipsa nihil ostendit.

Tertiò ipse Thomas & ejus discipuli fatentur imperium illud in illo intellectu quidem esse, sed ita, ut voluntatis tamen aliqua motio concurrat: imperium enim hoc non tãtum denunciatione, sed etiam motione aliqua definiunt: primum autem movens est voluntas, ut ipsi rursus concedunt. Vel ergo imperium illud nõ est intellectus in voluntatem, vel voluntas sibi ipsi imperat. At hoc absurdum est. Ergo nullũ est tale imperium. *V. Non facultati uni in alteram.*

Quartò si imperium illud movet voluntatem vel movet ut ostendit & proponit objectum vel ut impellit & incitat. At non ut proponit objectum tantum: eo enim proposito & sufficienter quidem, nihilominus voluntas non determinatur ad agendum, quod libera alias ex se non esset. Sed nec quatenus impellit: nam hic est actus voluntatis, non intellectus. Si regeras, intellectum hoc facere virtute aliqua sibi à voluntate impressa, ut ajunt Cajetan. & Valentia, id non tantum frustra dicitur, sed si paullum consideres, *commentitium plane est*, ut ait Vasquez, imo *vix mente concipi potest*, ut Suarez dicit. Ratio est, quia idem se prius & posterius esse ponitur: intellectus enim, ajunt, imperat ut voluntas velit: imperium ergo procedit voluntatis illud velle. Quod si ergo etiam imperare illud est velle, & à volun- *Intellectus non movetur virtute à vol. impressa.*

tate in intellectum imperium illud derivatu
jam velle illud seipso prius est & posterius; priu
quia in ipso imperio includitur, posterius qu
est post imperium & ab imperio.

VI. Si tale est imperium vel est in solo intellectu, vel in sola voluntate.

Quinto si est imperium ejusmodi propriè d
ctum, & par illi externo inter plures homine
jam illud est vel in solo intellectu, vel in sola vo
luntate: imperans enim & id cui imperatur d
stingui debent: unde Aristot. 5. Ethic. loc. c
concedit aliquod & metaphoricum jus int
duas distinctas partes seu potentias animæ, s
non totius hominis ad seipsum: ibi enim nul
distinctio est. At non est in solo intellectu,
partim ipse Thomas concedit, partim rectè pr
bat Henricus eo argumento, quod voluntas n
est ad parendum intellectui alligata. Nec in s
la voluntate, ut rectè probant Thomistæ: imp
rium enim propriè non est sine judicio & d
nunciatione. Voluntas autem nec judicat n
denunciat quidquam, sed appetit tantum & in
pellit. Ergo nullum est tale imperium. *Sexti*

Non esse necessarium ad movendas facultates.

necessarium est tale imperium, necessarium
vel idcò ut moveat cæteras facultates, quo
exercitium, vel quoad specificationem actus. S
non quoad exercitium: primum enim move
in eo genere est voluntas, ut ipse Thom. dicit
9. artic. 3. Nec quoad specificationem: hæc eni
propositione objecti, & directione continet
& consultatione perficitur, ut enim scias hoc
an illud sequendum an fugiendum sit, ejus
ostendere, hæc autem est specificatio actus. E
go tale imperium necessarium non est. *Septi*
si

si est tale imperium, est illud post electionem non ante, ut dicit Soto. Sed non est post electionem, ubi enim electio rei semel facta est plenè & absolutè, & homo eam jam seriò appetit, frustra est imperare ut faciat, cum ad executionem sufficiat, si in electione persistatur, & media an finem consequendum idonea parentur: *electio enim est appetitio ejus, quod bonum esse in consultatione iudicatum fuit*, ut habetur 3. ethic. c. 3. Ad id autem quod jam appetitur incitatione nulla opus est; sicut nec in brutis aliud quid ad executionem operis requiritur, quàm affectus & appetitus. Postremò innititur sententia ista Thomistarum falso fundamento, nempe voluntatem ab intellectu practico ita determinari, ut discedere ab ejus determinatione nequeat. Vnde Cajetan. & ipse Thomas dicunt, *si plenum & perfectum sit imperium, non posse voluntatem refragari.* At hoc pugnat cum libertate arbitrii in voluntate, ut infra statim ostenditur.

Sententiam illam falso fundamento inniti.

Quibus ita disputatis, aliquot adsertationibus ostendemus, quale sit imperium rationis in cæteras animæ facultates, & quodnam officium intellectus practici in vita rectè instituenda. Primò autem certum est, intellectum nostrum rectorem, & magistrum totius vitæ esse & cæteris animi potentiis præesse, nam non tantum Aristot. & Aug. ita disertè docent, sed idem res ipsa & experientia comprobant. Non est autem, secundò, hoc imperium aliquod propriè dictum, & ex omni parte respondens imperio externo, quod magistratus exercet in subditum,

VII. *Quale revera sit illud imperium inter facultates.*

 ut su-

ut supra ostendimus, sed secundum quid
tum: cumq; duo alias imperium contineat,
scribere seu ostendere quid fieri debeat, &
pellere ad agendum, intellectui prius tãtum
prie competit; quemadmodum enim ipse
tialiter & adæquatè est potenita cognoscitiva & ju
tiva (verba sunt Suarez) *ita non potest actum*
nisi per modum apprehensionis aut judicii, cæteri ex
ius rationem sunt. Munus itaque ipsius est ill
nare & dirigere voluntatem, seu normam a
gulam ejus actibus præscribere. Impellere
tem non potest, nisi quatenus objectum pr
nit tantum & ejus bonitatem explicat, quæ
prie impulsus non est, sicut nec quæ pomi pu
tudinem nude ostendit proprie ad appre
dendum illud impellit. Cumque tertio, rat
intellectus non præscribat quidquam rem
prehendendo, restat ut id faciat judicando,
simpliciter quidem, ut fit in theoricis quo
aut ita ut in cõmuni tantum dicat aliquid f
dum esse, sed ita, ut judicium illud sit perf
practicum, & omnibus circumstantiis de
tum, id est, ut ostendat, hoc isto tempore &
co ea ratione fieri omnino debere. Idq; est i
ἐπιτακτικὸν seu ordinate, quod Aristot. prude
tribuit, nec opus est ut latius extendatur; sic
Quid hic sit ἐπιτακτικὸν apud Arist. præscribere is aliquid dicitur, qui dirigit p
ultro aliquid agentes, & quid quomodo fac
dum sit præmonstrat, quam qui simul ad a
dum eos impellit.
XVIII. Obiect. Dices Arist. tamen judicium à præcepto di
guere, quando illud tribuit syneſi, cui præce

vam vim competere negat. Respond. synesin seu intelligentiam hoc distinguere Arist. à prudentia, quod prudens præscribat alteri & monstret, quid facto sit opus, synesis autem in eo consistat, ut quæ ostensa sunt ab alio recte assequaris & percipias. Unde postea ait, *ejus officium esse judicare eo modo quo discipulus judicat & percipit quæ à præceptore proponũtur & συνετὸς dici, qui feliciter discant.* Differt ergo intelligentia à prudentia, quod illa judicio valet ad percipienda quæ alius invenit, hæc ipsa invenit & judicium suum alii exponit: id enim est præscribere. Quare nec Arist. dicit, intelligentiæ esse judicare, prudentiæ præscribere, sed hujus esse *præscribere, illius judicare tantũ.* Hic est loci illius sensus, quem ita etiam Vasquez accipit. *Respon.*

IX. *Quomodo etiam voluntati imperium competat.*

Denique cum imperium alias non tantum ordinationem sed etiam vim impellendi involvat, fit voluntati quoque nonnunquam imperium aliquod tribuatur, idq; recte, sed iterum secundum quid tantum & alio sensu atq; intellectui: etsi enim ipsa non imperat præscribendo & præmonstrando, imperat tamen movendo. Unde etiã actus voluntarii alii dicuntur eliciti à voluntate, alii ab ea imperati, qua de re infra. Atq; hoc sensu Thomas ut supra patuit, toties etiam voluntati imperium tribuit. Si quæras, utra ergo facultas plus de imperio nanciscatur, dicam, imperium illud intellectus vero imperio similius videri: denunciare enim, præscribere, & ostendere quid facto sit opus, regimen magis repræsentant, quam incitare & ad agendum impellere. Ut concludam, summa rei est, cum imperium

propriè competat toti supposito intelle
voluntate prædito, nec intellectui, nec vo
ti sigillatim id convenire posse nisi secund
militudinem, & ita solùm, ut unum illor
quibus imperium propriè constat uni fac
alterum alteri, neutri utrumque verum
num in alteram imperium, tribuatur. Ta
de intellectu & ratione.

CAPUT IV,

De Voluntate.

SUMMARIA.

1 *Scholastici abutuntur voce voluntarii.*
2 *Dupliciter aliquid à voluntate dependet direc*
indirectè.
3 *Actus voluntatis duplex: elicitus & imperatus*
4 *Quando pareant ei actus intellect us.*
5 *Quomodo appetitus sensitivus.*
6 *An etiam anima vegetantis actus ei subjacean*
7 *Quomodo pareant externa membra.*
8 *Quarum rerum sit voluntas, & an etiam n*
subratione mali appetatur.
9 *Scotus & Occamus refutatur.*
10 *Sitne voluntas finium an mediorum.*
11 *A quibus moveatur.*
12 *An cogi posit.*

VOluntas nihil est aliud, quàm animæ r
nalis appetitus, multumque differt ab
petitu sensitivo, ut suo loco exposuimus. V
id constare hic initio potest, eam in nullo an
li, p

li, preterquàm homine esse & reperiri: nam quod Scholastici etiam brutis aliquid voluntarium tribuunt, inde tantùm est, quod vocabulo abutantur. Quo pacto etiam ex recentioribus Joan. Azarius libr.1.moral.cap.3.dicit, voluntarium in omnibus reperiri, quæ cognitione sensus aut intellectus prædita sunt, idque etiam Arist. Nyssenum ac Damascenum sentire tradit. Vocant autem voluntarium illi omne quod spontaneum alias dicimus, Græcè ἑκούσιον, ut ex descriptione voluntarii liquet, quam ex libr.3.eth.cap.1.t.20. petunt: cùm enim isticloci Aristoteles definiat spontaneum tantùm, (nam de voluntario, quod βουλητὸν est Græcè, cap. demum 4.t.62. agit) illi à malo interprete seducti descriptionem spontanei pro descriptione voluntarii arripuerunt. Idque hic in primis observandum est, ne quis turbetur, cùm eorum scripta lectitat, & voluntarium tribui etiam brutis videt. Thom. 1.2.q.6. art.2. voluntarium distinguit in aliud, quod perfectè tale est, & aliud, quod imperfectè tantum, & hoc discriminis arcessit à cognitione finis, propter quem quid agitur. Priori modo soli homini voluntarium competere dicit, posteriori etiam in bruta cadere. Sed ipsa ejus verba adscribemus. *Ad rationem voluntarii*, inquit, *requiritur, ut principium actus sit intra cum aliqua cognitione finis. Est autem duplex cognitio finis, perfecta scilicet & imperfecta: Perfecta quidem finis cognitio est, quando non solùm apprehenditur res, quæ est finis, sed etiam cognoscitur ratio finis, & proportio ejus, quod ordinatur ad finem ipsum, & talis cognitio finis competit soli rationali*

Scholastici abutuntur vocabuli voluntarii.

Thomas.

tionali naturæ. Imperfecta autem cognitio finis est sola finis apprehensione consistit, sine hoc quod co tur ratio finis & proportio actus ad finem; talis tio finis reperitur in brutis animalibus per sensu stimationem naturalem. Perfectam igitur cogni finis sequitur voluntarium secundum rationem ctam, prout scilicet apprehenso fine aliquis delibe fine, & de his, quæ sunt ad finem, potest move nem vel non moveri. Imperfectam autem cognition nis sequitur voluntarium secundum rationem in ctam, prout scilicet apprehendens finem non deliber subito movetur in ipsum. Unde soli rationali natur petit voluntarium secundum rationem perfecta secundum rationem imperfectam competit etiam

Hæc Thomas: qui idem illud paucis 3. ethi 1. exprimit; *Voluntarium dicitur omne quod sp*

Quidnã propriè dicatur voluntarium. Etsi autem idem nobiscum sentit, inco de tamen nonnihil loquitur: quod enim ip cat voluntarium secundum rationem imp ctam, id rectius spontaneum dicatur, ut Acciaiolus notat ad 3. ethic. loco cit. Und 4. ipse Thomas abusum hunc vocabuli scit, quum ait, *bruta & pueros voluntarie age non quia ex voluntate, sed quia proprie sponte ag ut nullo exteriori moveantur.* Voluntarium ut diximus, proprie loquendo in & à sola intelligente est, sive inter animalia omnia i homine.

II. Vt vero eo rectius intelligatur, quæn natura voluntatis, explicanda hic ordine paucis, sunt ista quinque I. quomodo al dependeat à voluntate, sive quotupliciter

tu

tur voluntarium prout est in homine II. quotuplex sit actus voluntatis III. quarum rerum sit voluntas IV. quid moveat eam ad volendum, & V. denique, an vis fieri ei possit. Principio igitur dependere quicquam potest à voluntate duplici modo, directe & indirecte, ut docet Thom. loco cit. artic. 3. *Directè* quod ab ea procedit, prout agit, sive cujus voluntas principium est positive, & ita, ut illud efficiat, *indirectè*, quod ab ea est, prout non agit, sive quod eatenus à voluntate pendet, quatenus voluntas, cum posset & deberet quid impedire, non impedit. Priori modo voluntarium est, quicquid volumus simpliciter, puta si comedere velis, prode ambulare, &c. posteriori illud, quod permittimus. Ita gubernator submersionem navis voluisse dicitur, qui eam, cum servare posset & deberet, perire sivit. Dico, *cum posset & deberet*: neque enim omnis qui permittit quicquam, vult illud aut voluit, sed is demum, qui cum & posset impedire & teneretur, non impediit aut impedire voluit. Vnde patet, ipsum etiam non velle certa ratione voluntarium dici posse: non velle enim id, quod velle debebas, æque voluntati tribuitur, ac si voluisses, quod non debebas. Equidem si physice aut metaphysice rem consideres, multum discrepant hæc duo, non velle servare & velle perdere, cum unum ponat actum, alterum neget: quo ad moralem tamen rationem coincidunt. Sicut ergo apud Logicos propositio infinita negans sæpè æquipollet finitæ affirmanti, nec tamen aliàs unum & idem sunt: ita etiam æquipollent

Dupliciter aliquid dependet à voluntate.

Directè.

Indirectè.

pollent

pollent ista duo, neque minus tamen unum illorum positum est, alterum privativum. Causa est, quod sicut in propositionibus illis tantum veritatis & falsitatis ratio attenditur, sive id, ut quoties una vera aut falsa est, toties vera aut falsa sit & altera: ita hic tantum spectatur una & eadem ratio ejus quod in positivo & privativo illo morale est. Hoc pacto res dependent à voluntate.

III. Actus voluntatis duplex. Actus autem voluntatis duplex est, ut docet Thom. artic. 4. Vnus quem immediatè producit, sicut est velle, nolle eligere &c. alter quem mediante aliâ potentiâ, ut loqui, ambulare, &c. Prior dicitur elicitus, posterior imperatus.

Elicitus. *Elicitus* inde nomen accepit, quòd eum ipsa voluntas ex se elicit, quodque in voluntate est, cum cæteri sint in aliis potentiis, & ab aliis etiam potentiis eliciantur.

Imperatus. *Imperatus* autem dicitur alter ille, quia licet eum ex seipsa non eliciat voluntas, excitat tamen illa potentiam aliam, à quâ elicitur. Est ergò & ipse à voluntate, sed eatenus tantùm, quatenus à voluntatis imperio est. Ita ambulare voluntarium est: non tamen actus est è voluntate elicitus: sive qui proximè ex ipsa voluntate emergat, (non enim est in voluntate, aut per eã primò homini competit) sed per facultatem locomotivam producitur: nam hæc principium istius actus est proximum.

De imperio voluntatis. Voluntarium ergo est ambulare, sed ideò tantùm, quia locomotiva in producendâ ambulatione voluntati paret. Verùm ut hæc res plenius intelligatur, recolendum hic est ex

est ex iis,quæ superiùs de imperio rationis in actus humanos dicta sunt, quatenus cæteris facultatibus voluntas imperet, easque moveat: quanquam enim in imperio rationis,quod exercet in actus hominis, ordinare & præscribere quid fieri oporteat, proprium est intellectus,ut ostendimus,impellere tamen cæteras facultates ad id agendum est voluntatis, cum primum movens inter omnes vires animæ, quod ad exercitium actus alicujus attinet,sit voluntas,ut dicit Thom.quæst 9.artic.1. & posteà à nobis ostendetur.

in cæteras facultates & actus hominis.

Primò autem ipsi actus intellectus voluntati subiacent,& duplici quidem modo,uno, quoad ipsum eorum exercitium, altero quoad specificationem. Quoad exercitium omnes voluntarii sunt:ut enim rem consideres, aut non consideres, quæcunque tandem fuerit, voluntatis tuæ est, licetque de eo tibi pro arbitrio tuo constituere. Quoad specificationem autem,id est,ut actus ille intellectus sit assensus vel dissensus, subjacent voluntarii tantum, qui causas necessarias, ac intellectum convincentes, vel non habent,vel non habere saltem nobis videntur: in cæteris nullum est imperium. Sic quamdiu intellectus de re quapiam convictus non est, aut saltem non videtur sibi convictus, tàm dissentire quàm assentiri potest, imò etiam assensum & dissensum suspendere, prout voluerit.Sin verò convictus sit, vel certò statuat,se convictum esse, non potest non assentiri; nec enim sententiam, quam veram esse videt, aut talem

IV. Quomodo pareant ei actus intellectus.

talem esse persuasum habet, repudiare aut ab
cere potest, certe animo non potest licet ver
forte faciat: multa enim sunt quibus licet
contradicas, mente tamen non potes, ut dici
1.poster.cap.8.t.25. Ita primis principiis non p
sumus non assentiri, ut & conclusionibus c
demonstratę nobis sunt; veritatem enim evid
tem habent & intellectum assentiri cogunt.
dem ratio est de iis, quæ vere quidem eum n
convincunt, sed talia esse tantum putantur;
ror enim iste obstat, ut dissentire intellectus n
possit. Verum in conclusionibus quæ in utra
que partem æque probabiles sunt sequimur
trum nobis libuerit, & utrum pro tempore p
cuerit; nisi plane suspendere assensum vel disse
sum malimus.

V. *Quomodo appetitus sensitivus.* Porro patent eidem etiam actus appetitus se
sitivi, & cæterarum potentiarum apprehensiv
rum animæ sentientis, puta imaginationis, r
miniscentiæ &c. sed non ex omni parte. P
rere notum est, & jam ante sæpe dictum; qu
enim voluntas imaginationem, quæ motus ex
tat, avertere alio potest, reprimere etiam utiq
surgentes animi motus potest, si placuerit. N
que tamen ex omni parte patent; sæpe eni
fit, ut impetus illi à sensu aut imaginatione sus
tentur, non advertente intellectu, atque ita v
luntatem etiam antevertunt. Sæpe quoque v
luntas, etiam cum advertit intellectus, non pe
fecte sed languide in contrarium impellit, la
guidius certe, quam ut violentiæ motuum ill

su

rium cohibendæ id sufficiat. Atque hoc est, quod Aristot. 1. politic. cap. 3. dicit, *mentem imperare appetitui non herili sed civili & regio imperio*, id est, non ut heri servis imperant, qui resistere imperio eorum nullatenus audent, sed ut ex subditis aut magistratus civibus, qui etsi omnes alias illi parent, interdum tamen jussa detrectant. Hinc idem 1. ethic. cap. ultim. t. 112. appetitum sensitivum comparat membro alicui corporis resoluto, quod sæpe cum à paralytico dextrorsum impellitur, sinistrorsum tamen fertur. D. Augustinus libr. 8. confess. cap. 9. multis hoc exponit: *Vnde hoc monstrum, inquit, & quare istud? imperat animus corpori & paretur statim, imperat animus sibi, & resistitur. Imperat animus, ut moveatur manus, & tanta est facilitas, ut vix à servitio discernatur imperium: & animus animus est, manus autem corpus est. Imperat animus, ut velit animus, nec alter est, nec facit tamen. Vnde hoc monstrum & quare istud? Imperat, inquam, ut velit, qui non imperaret nisi vellet, & non fit quod imperat. Sed non ex toto vult, non ergo ex toto imperat: nam in tantum imperat, in quantum non vult, &c. Non igitur monstrum velle, partim nolle sed ægritudo animi est, quia non totus assurgit veritate sublevatus, consuetudine prægravatus.* Hæc de appetitu sensitivo.

Actus vero animæ vegetantis voluntati non subjacere jam suo loco ostendimus: etsi enim applicatio agentis ad patiens etiam in iis, quæ ad hanc animæ partem pertinent, ei subijciunt, ipse tamen actus, quoad vim & efficaciam agentis, aut VI. *An etiam animæ vegetantis actus ei subjaceant.*

tis, aut paſſionem patientis, naturalis e
cibum parare & in corpus ingerere pot
placuerit, cibum, inquam, in quem aga
vegetans; quemque in alimentum & ſ
tiam corporis commutet; at ipſum act
triendi moderare nequit. Neque hî
quicquam fit, præterquam quod in om
te & patiente naturali uſu venire pote
plicari enim invicem illa ſibi ab homi
ſunt, prout ipſi viſum fuerit, & actio
quæ applicationem ſequitur, non vol
ſed naturalis eſt. Sic cum chalybe ign
cutimus è ſilice, colliſio quidem illa co
fit pro noſtro lubitu, ſed quod applicata
colliſa aërem, qui intercedit, in ignem c
tant, non nobis ſed illorum naturæ d
Plura vide apud Cajet. ad Thom. loc. c
artic. 3.

VII. Quomodo ei parent actus externorum membrorum.

Poſtremò membra corporis ſicut orga
animæ, ita prout ea huic aut illi facult
ſerviunt, etiam voluntatis imperium c
accipiunt aut detrectant. Motus ergò me
rum, qui ab anima vegetante ſunt, ei n
duntur, ſed illi tantùm qui à ſentiente.
rò uſque adeo obnoxii ſunt imperio illi
appetitus ſenſitivus cum ratione & vo
conſpiret, refragari non poſſint: planè e
ſpoticum regimen eſt imperium illud po
rum animæ in corporis membra, ut loc
in Politicis docet Ariſtotel. niſi ipſæ p
ſibi inter ſe adverſentur, & una alteram
diat. Et cauſa hæc eſt, quod inſtrumenta

ſint potentiarum, nec peculiares motus habeant, præter eos, quos ab anima ſortiuntur. Ita ergo movet voluntas cæteras facultates, & actibus noſtris imperat. Nunc ad inſtitutum revertamur, & poſtquam explicatum eſt, quotuplices ſint actus ejus, dicamus deinceps, quarum rerum ſit voluntas.

Quod ut intelligas, conſiderandũ eſt, omnem appetitum, prę ſertim in cognitione prędi is, duo involvere, & vel perſequi quicquam vel fugere. Quanquam autem ſi vocabuli uſum ſpectes, id tantum appetimus proprie, quod perſequimur, utrumque tamen ad appetitum pertinet. Ita appetitus ſenſitivus non tantum jucunda perſequitur, ſed etiam, quantum poteſt, injucunda declinat. Cum igitur voluntas appetitus ſit, & quidem præſtantiſſimæ facultatis, illa in tota latitudine ſua conſiderata pro objecto habet tam bonum quam malum, illud, ut perſequatur, hoc ut avertat. Sed iſtud magnam difficultatem non habet. Hoc tantum quæri poteſt, an voluntas etiam malum perſequatur & fugiat bonum; id eſt, an velle poſſit malum ſub ratione mali, & nolle bonum ſub ratione boni? Dico *ſub ratione mali & ſub ratione boni*: nam velle poſſe voluntatem etiam quod malum eſt, & nolle quod bonum, dubio caret, puta ſi id quod malum eſt, bonum eſſe nobis appareat, vel quod bonum malum. At longe aliud eſt velle bonum, & velle quicquam ſub ratione boni; velle malum, & velle quicquam ſub ratione mali: ſub ratione enim boni etiam

VIII. Quarum rerum ſit voluntas.

An etiam appetat malum qua malum & vitet bonum qua tale.

tate in intellectum imperium illud d
jam velle illud seipso prius est & posteri
quia in ipso imperio includitur, poste
est post imperium & ab imperio.

VI. Si tale est imperium vel est in solo intellectu, vel in sola voluntate.

Quinto si est imperium ejusmodi pro
ctum, & par illi externo inter plures h
jam illud est vel in solo intellectu, vel in
luntate: imperans enim & id cui impe
stingui debent: unde Aristot. 5. Ethic
concedit aliquod & metaphoricum
duas distinctas partes seu potentias ani
non totius hominis ad seipsum: ibi en
distinctio est. At non est in solo intel
partim ipse Thomas concedit, partim re
bat Henricus eo argumento, quod volu
est ad parendum intellectui alligata. N
la voluntate, ut rectè probant Thomist
rium enim propriè non est sine judic
nunciatione. Voluntas autem nec ju
denunciat quidquam, sed appetit tantu
pellit. Ergo nullum est tale imperium

Non esse necessarium ad movendas facultates.

necessarium est tale imperium, neces
vel ideò ut moveat cæteras facultates
exercitium, vel quoad specificationem a
non quoad exercitium; primum enim
in eo genere est voluntas, ut ipse Thom
9. artic. 3. Nec quo ad specificationem: h
propositione objecti, & directione co
& consultatione perficitur, ut enim sci
an illud sequendum an fugiendum sit,
ostendere, hæc autem est specificatio ac
go tale imperium necessarium non est.

si est tale imperium, est illud post electionem non ante, ut dicit Soto. Sed non est post electionem, ubi enim electio rei semel facta est plenè & absolutè, & homo eam jam seriò appetit, frustra est imperare ut faciat, cum ad executionem sufficiat, si in electione persistatur, & media an finem consequendum idonea parentur: *electio enim est appetitio ejus, quod bonum esse in consultatione iudicatum fuit*, ut habetur 3. ethic. c. 3. Ad id autem quod jam appetitur incitatione nulla opus est; sicut nec in brutis aliud quid ad executionem operis requiritur, quàm affectus & appetitus. Postremò innititur sententia ista Thomistarum falso fundamento, nempe voluntatem ab intellectu practico ita determinari, ut discedere ab ejus determinatione nequeat. Vnde Cajetan. & ipse Thomas dicunt, *si plenum & perfectum sit imperium, non posse voluntatem refragari*. At hoc pugnat cum libertate arbitrii in voluntate, ut infra statim ostenditur. *Sententiam illam falso fundamento inniti.*

VII. *Quale revera sit illud imperium inter facultates.*

Quibus ita disputatis, aliquot adsertationibus ostendemus, quale sit imperium rationis in cæteras animæ facultates, & quodnam officium intellectus practici in vita rectè instituenda. Primò autem certum est, intellectum nostrum rectorem, & magistrum totius vitæ esse & cæteris animi potentiis præesse, nam non tantum Aristot. & Aug. ita disertè docent, sed idem res ipsa & experientia comprobant. Non est autem, secundò, hoc imperium aliquod propriè dictum, & ex omni parte respondens imperio externo, quod magistratus exercet in subditum, ut su-

ut ſupra oſtendimus, ſed ſecundum quid tantum: cumq; duo alias imperium contineat, præſcribere ſeu oſtendere quid fieri debeat, & impellere ad agendum, intellectui prius tãtum proprie competit; quemadmodum enim ipſe *eſſentialiter & adæquatè eſt potenita cognoſcitiva & judicativa* (verba ſunt ſuarez) *ita non poteſt actum habere niſi per modum apprehenſionis aut iudicii, cæteri extra eius rationem ſunt.* Munus itaque ipſius eſt illuminare & dirigere voluntatem, ſeu normam ac regulam ejus actibus præſcribere. Impellere autem non poteſt, niſi quatenus objectum proponit tantum & ejus bonitatem explicat, quæ proprie impulſus non eſt, ſicut nec quæ pomi pulcritudinem nude oſtendit proprie ad apprehendendum illud impellit. Cumque tertio, ratio & intellectus non præſcribat quidquam rem apprehendendo, reſtat ut id faciat judicando, non ſimpliciter quidem, ut fit in theoricis quoque, aut itaut in cõmuni tantum dicat aliquid faciẽdum eſſe, ſed ita, ut judicium illud ſit perfecte practicum, & omnibus circumſtantiis definitum, id eſt, ut oſtendat, hoc iſto tempore & loco ea ratione fieri omnino debere. Idq; eſt illud ἐπιτάττειν ſeu ordinate, quod Ariſtot. prudentiæ tribuit, nec opus eſt ut latius extendatur; ſicut & præſcribere is aliquid dicitur, qui dirigit potius ultro aliquid agentes, & quid quomodo faciendum ſit præmonſtrat, quam qui ſimul ad agendum eos impellit.

Quid hic ſit ἐπιτάττειν apud Ariſt.

XVIII. Obiect.

Dices Ariſt. tamen judicium à precepto diſtinguere, quando illud tribuit ſyneſi, cui præceptivam

vam vim competere negat. Respond. synesin seu intelligentiam hoc distinguere Arist. à prudentia, quod prudens præscribat alteri & monstret, quid facto sit opus, sinesis autem in eo consistat, ut quæ ostensa sunt ab alio recte assequaris & percipias. Vnde postea ait, *ejus officium esse judicare eo modo quo discipulus judicat & percipit quæ à præceptore proponũtur & συνετοὺς dici, qui feliciter discant*. Differt ergo intelligentia à prudentia, quod illa judicio valet ad percipienda quæ alius invenit, hæc ipsa invenit & judicium suum alii exponit: id enim est præscribere. Quare nec Arist. dicit, intelligentiæ esse judicare, prudentiæ præscribere, sed hujus esse *præscribere, illius judicare tantũ*. Hic est loci illius sensus, quem ita etiam Vasquez accipit. Respon.

IX. *Quomodo etiam voluntati imperium competat.*

Denique cum imperium alias non tantum ordinationem sed etiam vim impellendi involvat, fit voluntati quoque nonnunquam imperium aliquod tribuatur, idq; recte, sed iterum secundum quid tantum & alio sensu atq; intellectui: etsi enim ipsa non imperat præscribendo & præmonstrando, imperat tamen movendo. Vnde etiã actus voluntarii alii dicuntur eliciti à voluntate, alii ab ea imperati, qua de re infra. Atq; hoc sensu Thomas ut supra patuit, toties etiam voluntati imperium tribuit. Si quæras, utra ergo facultas plus de imperio nanciscatur, dicam, imperium illud intellectus vero imperio similius videri: denunciare enim, præscribere, & ostendere quid facto sit opus, regimen magis repræsentant, quam incitare & ad agendum impellere. Vt concludam, summa rei est, cum imperium

propriè competat toti ſuppoſito intelle
voluntate prædito, nec intellectui, nec vo
ti ſigillatim id convenire poſſe niſi ſecund
militudinem, & ita ſolùm, ut unum illor
quibus imperium propriè conſtat uni fac
alterum alteri, neutri utrumque verum
num in alteram imperium, tribuatur. Ta
de intellectu & ratione.

CAPVT IV.

De Voluntate.

SUMMARIA.

1 *Scholaſtici abutuntur voce voluntarii.*
2 *Dupliciter aliquid à voluntate dependet direc indirectè.*
3 *Actus voluntatis duplex: elicitus & imperatus.*
4 *Quando pareant ei actus intellectus.*
5 *Quomodo appetitus ſenſitivus.*
6 *An etiam animæ vegetantis actus ei ſubjacean*
7 *Quomodo pareant externa membra.*
8 *Quarum rerum ſit voluntas, & an etiam n ſubratione mali appetatur.*
9 *Scotus & Occamus refutatur.*
10 *Sitne voluntas finium an mediorum.*
11 *A quibus moveatur.*
12 *An cogi poſſit.*

VOluntas nihil eſt aliud, quàm animæ r
nalis appetitus, multumque differt al
petitu ſenſitivo, ut ſuo loco expoſuimus. V
id conſtare hic initio poteſt, eam in nullo an
li,

li, preterquàm homine esse & reperiri: nam quod Scholastici etiam brutis aliquid voluntarium tribuunt, inde tantùm est, quod vocabulo abutantur. Quo pacto etiam ex recentioribus Joan. Azarius libr. 1. moral. cap. 3. dicit, voluntarium in omnibus reperiri, quæ cognitione sensus aut intellectus prædita sunt, idque etiam Arist. Nyssenum ac Damascenum sentire tradit. Vocant autem voluntarium illi omne quod spontaneum alias dicimus, Græcè ἑκούσιον, ut ex descriptione voluntarii liquet, quam ex libr. 3. eth. cap. 1. t. 20. petunt; cùm enim istic loci Aristoteles definiat spontaneum tantùm, (nam de voluntario, quod βουλητὸν est Græcè, cap. demum 4. t. 62. agit) illi à malo interprete seducti descriptionem spontanei pro descriptione voluntarii arripuerunt. Idque hic in primis observandum est, ne quis turbetur, cùm eorum scripta lectitat, & voluntarium tribui etiam brutis videt. Thom. 1. 2. q. 6. art. 2. voluntarium distinguit in aliud, quod perfectè tale est, & aliud, quod imperfectè tantum, & hoc discriminis arcessit à cognitione finis, propter quem quid agitur. Priori modo soli homini voluntarium competere dicit, posteriori etiam in bruta cadere. Sed ipsa ejus verba adscribemus. *Ad rationem voluntarii*, inquit, *requiritur, ut principium actus sit intra cum aliqua cognitione finis. Est autem duplex cognitio finis, perfecta scilicet & imperfecta: Perfecta quidem finis cognitio est, quando non solùm apprehenditur res, quæ est finis, sed etiam cognoscitur ratio finis, & proportio ejus, quod ordinatur ad finem ipsum, & talis cognitio finis competit soli rationali*

Scholastici abuntuntur vocabuli voluntarii.

Thomas.

tionali naturæ. Imperfecta autem cognitio finis e… sola finis apprehensione consistit, sine hoc quod … tur ratio finis & proportio actus ad finem: ta… tio finis reperitur in brutis animalibus per sens… stimationem naturalem. Perfectam igitur cog… finis sequitur voluntarium secundum ratione… ctam, prout scilicet apprehenso fine aliquis deli… fine, & de his, quæ sunt ad finem, potest mov… nem vel non moveri. Imperfectam autem cogniti… nis sequitur voluntarium secundum rationem … ctam, prout scilicet apprehendens finem non delib… subito movetur in ipsum. Vnde soli rationali natu… petit voluntarium secundum rationem perfect… secundum rationem imperfectam competit etia…
Hæc Thomas: qui idem illud paucis 3. eth… 1. exprimit; *Voluntarium dicitur omne quod s…*

Quidnã propriè dicatur voluntarium. Etsi autem idem nobiscum sentit, inco… de tamen nonnihil loquitur: quod enim i… cat voluntarium secundum rationem in… ctam, id rectius spontaneum dicatur, u… Acciaiolus notat ad 3. ethic. loco cit. Vn… 4. ipse Thomas abusum hunc vocabuli … scit, quum ait, *bruta & pueros voluntarie ag… non quia ex voluntate, sed quia proprie sponte ag… ut nullo exteriori moveantur.* Voluntariun… ut diximus, proprie loquendo in & à sola … intelligente est, sive inter animalia omnia … homine.

II. Vt vero eo rectius intelligatur, quæ… natura voluntatis, explicanda hic ordine … paucis, sunt ista quinque I. quomodo a… dependeat à voluntate, sive quotuplicite…

tur voluntarium prout est in homine II. quotuplex sit actus voluntatis III. quarum rerum sit voluntas IV. quid moveat eam ad volendum, & V. denique, an vis fieri ei possit. Principio igitur dependere quicquam potest à voluntate duplici modo, directe & indirecte, ut docet Thom. loco cit. artic. 3. *Directè* quod ab ea procedit, prout agit, sive cujus voluntas principium est positive, & ita, ut illud efficiat, *indirectè*, quod ab ea est, prout non agit, sive quod eatenus à voluntate pendet, quatenus voluntas, cum posset & deberet quid impedire, non impedit. Priori modo voluntarium est, quicquid volumus simpliciter, puta si comedere velis, prode ambulare, &c. posteriori illud, quod permittimus. Ita gubernator submersionem navis voluisse dicitur, qui eam, cum servare posset & deberet, perire sivit. Dico, *cum posset & deberet*: neque enim omnis qui permittit quicquam, vult illud aut voluit, sed is demum, qui cum & posset impedire & teneretur, non impediit aut impedire voluit. Vnde patet, ipsum etiam non velle certa ratione voluntarium dici posse: non velle enim id, quod velle debebas, æque voluntati tribuitur, ac si voluisses, quod non debebas. Equidem si physice aut metaphysice rem consideres, multum discrepant hæc duo, non velle servare & velle perdere, cum unum ponat actum, alterum neget: quo ad moralem tamen rationem coincidunt. Sicut ergo apud Logicos propositio infinita negans sæpè æquipollet finitæ affirmanti, nec tamen aliàs unum & idem sunt: ita etiam æquipollent

Dupliciter aliquid dependet à voluntate.

Directè.

Indirectè.

pollent ista duo, neque minus tamen unu
rum positum est, alterum privativum. Cũ
quod sicut in propositionibus illis tantu
tatis & falsitatis ratio attenditur, sive id,
ties una vera aut falsa est, toties vera a
sit & altera: ita hic tantum spectatur
eadem ratio ejus quod in positivo & pr
illo morale est. Hoc pacto res dependet
luntate.

III. *Actus voluntatis duplex.* Actus autem voluntatis duplex est, u
Thom. artic. 4. Vnus quem immediatè
cit, sicut est velle, nolle eligere &c. alte
mediante aliâ potentiâ, ut loqui, am
&c. Prior dicitur elicitus, posterior imp

Elicitus. *Elicitus* inde nomen accepit, quòd eum i
luntas ex se elicit, quodque in volunt
cum cæteri sint in aliis potentiis, & ab
Imperatus. iam potentis eliciantur. *Imperatus* aute
tur alter ille, quia licet eum ex seipsa non
voluntas, excitat tamen illa potentiam
à quâ elicitur. Est ergò & ipse à v
te, sed eatenus tantùm, quatenus à vol
imperio est. Ita ambulare voluntariu
hoc tamen actus est è voluntate elicitus: s
proximè ex ipsa voluntate emergat, (no
est in voluntate, aut per eã primò homin
petit) sed per facultatem locomotiva
ducitur: nam hæc principium istius actus e
De imperio voluntatis. ximum. Voluntarium ergo est amb
sed ideò tantùm, quia locomotiva in p
cendâ ambulatione voluntati paret. Ve
hæc res plenius intelligatur, recolendu

est ex iis, quæ superiùs de imperio rationis in actus humanos dicta sunt, quatenus cæteris facultatibus voluntas imperet, easque moveat: quanquam enim in imperio rationis, quod exercet in actus hominis, ordinare & præscribere quid fieri oporteat, proprium est intellectus, ut ostendimus, impellere tamen cæteras facultates ad id agendum est voluntatis, cum primum movens inter omnes vires animæ, quod ad exercitium actus alicujus attinet, sit voluntas, ut dicit Thom. quæst 9. artic. 1. & posteà à nobis ostendetur. *in cæteras facultates & actus hominis.*

IV. *Quomodo pareant ei actus intellectus.*

Primò autem ipsi actus intellectus voluntati subiacent, & duplici quidem modo, uno, quoad ipsum eorum exercitium, altero quoad specificationem. Quoad exercitium omnes voluntarii sunt: ut enim rem consideres, aut non consideres, quæcunque tandem fuerit, voluntatis tuæ est, licetque de eo tibi pro arbitrio tuo constituere. Quoad specificationem autem, id est, ut actus ille intellectus sit assensus vel dissensus, subjacent voluntarii tantum, qui causas necessarias, ac intellectum convincentes, vel non habent, vel non habere saltem nobis videntur: in cæteris nullum est imperium. Sic quamdiu intellectus de re quapiam convictus non est, aut saltem non videtur sibi convictus, tàm dissentire quàm assentiri potest, imò etiam assensum & dissensum suspendere, prout voluerit. Sin verò convictus sit, vel certò statuat, se convictum esse, non potest non assentiri; nec enim sententiam, quam veram esse videt, aut

talem

talem esse persuasum habet, repudiare a
cere potest, certe animo non potest lice
forte faciat: multa enim sunt quibus li
contradicas, mente tamen non potes, ut
1. poster. cap. 8. t. 25. Ita primis principiis n
sumus non assentiri, ut & conclusionib
demonstratę nobis sunt; veritatem enim e
tem habent & intellectum assentiri cogu
dem ratio est de iis, quæ vere quidem eu
convincunt, sed talia esse tantum putant
ror enim iste obstat, ut dissentire intelle
possit. Verum in conclusionibus quæ in
que partem æque probabiles sunt sequi
trum nobis libuerit, & utrum pro tempo
cuerit; nisi plane suspendere assensum vel
sum malimus.

v. *Quomodo appetitus sensitivus.* Porro patent eidem etiam actus appetit
sitivi, & cæterarum potentiarum apprehe
rum animæ sentientis, puta imagination
mini scentiæ &c. sed non ex omni part
rere notum est, & jam ante sæpe dictum
enim voluntas imaginationem, quæ motu
tat, avertere alio potest, reprimere etiam
surgentes animi motus potest, si placuerit.
que tamen ex omni parte patent; sæpe
fit, ut impetus illi à sensu aut imaginatio
tentur, non advertente intellectu, atque
luntatem etiam antevertunt. Sæpe quoq
luntas, etiam cum advertit intellectus, no
fecte sed languide in contrarium impelli
guidius certe, quam ut violentiæ motuu

rum cohibendæ id sufficiat. Atque hoc est, quod Aristot. 1. politic. cap. 3. dicit, *mentem imperare appetitui non herili sed civili & regio imperio*, id est, non ut heri servis imperant, qui resistere imperio eorum nullatenus audent, sed ut ex subditis aut magistratus civibus, qui etsi omnes alias illi parent, interdum tamen jussa detrectant. Hinc idem 1. ethic. cap. ultim. t. 112. appetitum sensitivum comparat membro alicui corporis resoluto, quod sæpe cum à paralytico dextrorsum impellitur, sinistrorsum tamen fertur. D. Augustinus libr. 8. confess. cap. 9. multis hoc exponit: *Vnde hoc monstrum*, inquit, *& quare istud? imperat animus corpori & paretur statim, imperat animus sibi, & resistitur. Imperat animus, ut moveatur manus, & tanta est facilitas, ut vix à servitio discernatur imperium: & animus animus est, manus autem corpus est. Imperat animus, ut velit animus, nec alter est, nec facit tamen. Vnde hoc monstrum & quare istud? Imperat, inquam, ut velit, qui non imperaret nisi vellet, & non fit quod imperat. Sed non ex toto vult, non ergo ex toto imperat: nam in tantum imperat, in quantum non vult, &c. Non igitur monstrum velle, partim nolle sed ægritudo animi est, quia non totus assurgit veritate sublevatus, consuetudine prægravatus.* Hæc de appetitu sensitivo.

Actus vero animæ vegetantis voluntati non subjacere jam suo loco ostendimus: etsi enim applicatio agentis ad patiens etiam in iis, quæ ad hanc animæ partem pertinent, ei subijciunt, ipse tamen actus, quoad vim & efficaciam agentis, aut

VI. An etiam animæ vegetantis actus ei subjaceant.

tis, aut passionem patientis, naturalis es
cibum parare & in corpus ingerere pote
placuerit, cibum, inquam, in quem agat
vegetans; quemque in alimentum & su
tiam corporis commutet; at ipsum actu
triendi moderare nequit. Neque hic
quicquam fit, præterquam quod in omn
te & patiente naturali usu venire potes
plicari enim invicem illa sibi ab homi
sunt, prout ipsi visum fuerit, & actio
quæ applicationem sequitur, non volu
sed naturalis est. Sic cum chalybe ign
cutimus è silice, collisio quidem illa cor
fit pro nostro lubitu, sed quod applicata
collisa aërem, qui intercedit, in ignem c
tant, non nobis sed illorum naturæ de
Plura vide apud Cajet. ad Thom. loc. ci
artic. 3.

VII. Quomodo es parent actus externorum membrorum.

Postremò membra corporis sicut orga
animæ, ita prout ea huic aut illi faculta
serviunt, etiam voluntatis imperium c
accipiunt aut detrectant. Motus ergò me
rum, qui ab anima vegetante sunt, ei no
duntur, sed illi tantùm qui à sentiente.
rò usque adeo obnoxii sunt imperio illi
appetitus sensitivus cum ratione & vol
conspiret, refragari non possint: planè en
spoticum regimen est imperium illud po
rum animæ in corporis membra, ut loco
in Politicis docet Aristotel. nisi ipsæ po
sibi inter se adversentur, & una alteram
diat. Et causa hæc est, quod instrumenta t

si

ſint potentiarum, nec peculiares motus habeant, præter eos, quos ab anima ſortiuntur. Ita ergo movet voluntas cæteras facultates, & actibus noſtris imperat. Nunc ad inſtitutum revertamur, & poſtquam explicatum eſt, quotuplices ſint actus ejus, dicamus deinceps, quarum rerum ſit voluntas.

Quod ut intelligas, conſiderandũ eſt, omnem appetitum, præſertim in cognitione præditis, duo involvere, & vel perſequi quicquam vel fugere. Quanquam autem ſi vocabuli uſum ſpectes, id tantùm appetimus proprie, quod perſequimur, utrumque tamen ad appetitum pertinet. Ita appetitus ſenſitivus non tantum jucunda perſequitur, ſed etiam, quantum poteſt, injucunda declinat. Cùm igitur voluntas appetitus ſit, & quidem præſtantiſſimæ facultatis, illa in tota latitudine ſua conſiderata pro objecto habet tam bonum quàm malum, illud, ut perſequatur, hoc ut avertat. Sed iſtud magnam difficultatem non habet. Hoc tantùm quæri poteſt, an voluntas etiam malum perſequatur & fugiat bonum, id eſt, an velle poſſit malum ſub ratione mali, & nolle bonum ſub ratione boni? Dico *ſub ratione mali & ſub ratione boni*: nam velle poſſe voluntatem etiam quod malum eſt, & nolle quod bonum, dubio caret, puta ſi id quod malum eſt, bonum eſſe nobis appareat, vel quod bonum malum. At longe aliud eſt velle bonum, & velle quicquam ſub ratione boni; velle malum, & velle quicquam ſub ratione mali: ſub ratione enim boni etiam

VIII. Quarum rerum ſit voluntas.

An etiam appetat malum qua malum & vitet bonum qua tale.

illud persequimur quod pessimum sa
eo tantum allicit, quia speciem boni
ut & sub ratione mali optima quæc
mur,id est,ideo, quod vel mala ea ess
mali quicquam conjunctum habere
persuaserimus. Quæritur ergo, inqu
luntatis objectum ita sit bonum & m
persequi possit etiam malum, qua ta
sub ratione & notione mali, & fug
bonum est,sub ratione boni? Ubi con
omnium fere auctorum opinio; actu
pro objecto habere bonum tantum si
sive apparens;actum vero nolendi,ma
que fieri posse,ut vel velimus, malum
ne mali,sive eatenus,quatenus malum
ne mali,sive eatenus, quatenus malu
mus,vel nolimus bonum,eo quia bon
Communis opinio. docet Plato in Menone circa med.
ostendit,etiam ea, quæ vere mala sun
appeti tamen,nisi sub boni alicujus rati
2.de ll.inculcat: *Nemo*,ait,*id sponte aget*
lætitiæ quam doloris inest. Aristot.autem ta
hoc esse putat,ut 1.e hic. cap. 1.dispu
Summo Bono, non tantum tanquam
tam hypothesin supponat, omnem el
esse propter bonum aliquod, sed ips
bonum rectè à veteribus per appetibil
scriptum esse dicat. Et 3.ethic.c.4. dici
tatem,cum quicquam vult,ea velle tan
vel revera bona sunt,vel saltem specien
boni habent: veréne enim sit tale, qu
tur,an appareat tantum esse, nihil ad

intereſt,ut habetur 5.met.t.3. Rurſus 5.ethic.c.9. ait: *Nemo id vult quod non exiſtimat eſſe bonum.* Idem docet Seneca epiſt. 69. *Nullum ſine auctoramento malum eſt*,inquit; *avaritia pecuniam promittit luxuria multas ac varias voluptates: ambitio purpuram, & plauſum,& ex hoc potentiam, & quidquid potentia poteſt. Mercede te vitia ſollicitant.* Conſentiunt etiam eccleſiaſtici Doctores. Ita Dionyſius, non ille Areopagita quidem ſed vetuſtiſſimus tamē auctor, de div.nom.cap.4 part. 4. *malum non agit neque deſideratur niſi virtute boni adjuncti.* Et Clemens Alexandrinus lib.1.ςρωμα. *Nemo malum eligit, quatenus malum, ſed abductus ab ea quæ in ipſo eſt voluptate, id bonum ratus, ſuſcipiendum exiſtimat.* Idem præclare explicat D. Auguſtinus tot. cap. 5. lib.2. confeſſ. quod etiam his verbis concludit: *Nec ipſe Catilina amavit facinora ſua, ſed utique aliud cujus cauſa illa faciebat.* Similia habet lib.1.de liber.arbit. c.14. Et vero facile id poteſt oſtendi: nihil enim appetitus eſt aliud, quam inclinatio appetentis in aliquid, ut ait Thomas 1.2.q.8.art.1. Non autem inclinatur quicquam, niſi in id, quod ſimile & conveniens ſibi eſt, aut ſaltem quod apprehenditur tanquam conveniens. Quare nullus appetitus ferri in alia poteſt, niſi ea, quæ vel bona ſunt re vera, vel eſſe apparent.

Verum enim vero reperti tamen ſunt ex Scholaſticis Joan. Scotus & Wilhelmus Occamus, qui in hac ſententia non acquieſcerent. Scotus 1.ſentent.diſtinct.1.quæſt. 4. ad tertium arg. pro themate dubio eam habet, nec ſatis dum confir- *IX. Scoti & Occami ſententia.*

confirmatam esse dicit. Et 2. sent. dist.
gumenta aliquot adfert, quibus oppu
sit. Neutrubi tamen certi quid definit,
nionem in utramque partem probab
dimittit. Occamus autem 3. sent. dist. 13
diserte affirmat, si bonum & malum a
proprie, posse voluntatem velle mal
nec bonum sit realiter, nec apparente
bonum, in quo nec realiter mali quic
veniatur, nec etiam apparentur. Sed
dubio, nec rationes ab ipsis allatæ r
ciunt, quæ quidem apud Scotum hæ
puæ. Primo, inquit, si voluntas oderit D
illud in quo nihil boni esse scit, sive qu
citer malum esse scit, sive quod simp
lum esse bene novit. Secundo ait, si
malum appeti sub ratione mali, for
sit peccatum aliquod ex malitia, se
quæ perperam aguntur, fiant aut ex a
imbecillitate aut errore aliquo, quod
est. Probatur consequentia: Peccare er
litia nihil aliud esse, quàm si quis p
sciens nulla ignorantia obcæcatus, ne
aliqua abreptus, sola perversa volunt
lum feratur. At hoc videtur esse malu
re ut malum est. In hunc sensum argu
Scotus. At facilis est responsio: ad priu
gumentum conceditur, si in odio D
ne quidem apparens bonum, homo
dat, fore, ut qui ita Deum oderit, in m
tur sub ratione mali. Sed hypothesi
est: nunquam enim aversatur DEUM

Rationes Scoti proponuntur & refutantur.

quin aliquid in fuga illa bonum esse sibi falso persuasum habeat, cum ideo eò fugiat ne præcepta ejus observare cogatur, aut ut pœnam evitet, &c. Ad alteram rationem respondeo, non necessum esse ad peccatum quod ex malitia committitur, hoc ut in malum sub ratione mali voluntas feratur, sicut ipse Scotus id postmodum concedit. Sane qui ex malitia & perversitate peccat, is malum agit prudens & sciens, non præventus ab affectu, nec errore occæcatus, sed non tamen propterea is appetit malum sine aliquo bono, quod conjunctum ei esse putat. Sufficit ergo hoc, ut quis malitiose agat, si feratur in vetitum, aut aliquid, quod simpliciter malum est, tũ libera voluntate citra errorem tum citra affectus violentiam, licet ad illud eum pelliciat utile & delectabile quippiam, quod malo isti adhærere ipse arbitratur. Occami argumentum est, quod circa bonum etiam cognitum possit quis recte se gerere & male: bene, si persequatur; male si aversetur. Cumque hoc ita se habeat, dicit aversari quemquam posse bonum etiam ut apparet tale. ni posset, jam fore ut nec in eo peccare posset, quod absurdum est. Respondeo posse bene & male se gerere, ut dicit, & bonum etiam cognitum aversari, sed non est tale, aut ut apparet bonum, verum ut videtur cum eo mali quid conjunctum, quod effugere cupit. Aversatur ergo quis bonum, etiam quod scit bonum esse, sed non ut est aut videtur bonum. Verum poterat forte & hoc objici, quod voluntas in bonum li-

Confutatur etiam Occamus.

Alia objectio solvitur.

bere feratur, quodque etiam in ipsas boni p
tiones. Respondetur, ferri utrique volun
libere in bonum, sed ita ut possit velle illud
velle, non autem ut velle & odisse. Privat
autem boni alicujus non appetuntur, nisi q
nus cum privatione boni unius conjunctu
bonum aliud, vel saltem simul etiam malu
quod tollitur seu verum seu apparens. Vid
de re plura apud Gregor. de valentia in T
disp. 2. tom. 2. q. 3. punct. 1. Ex his igitur jam
stat objectum voluntatis quoad actum vo
esse tantum bonum, & quoad nolendi, ta
malum, ita tamen bonum aut malum, ut in
gas quod vel revera tale est, vel apparet esse
saltem conjunctum habere alterutrum vid
Vnde triplex ratio volendi & nolendi quic
resultat; vult enim voluntas aliquid vel qu
vera bonum est simpliciter, vel quia appare
pliciter bonum; vel deniq; quia non quide
paret simpliciter tale, sed secundum qui
tum, id est, quod cum bono aliquo conjun
sit. Similiter etiam actus nolendi se habe
malum. Quibus ita consideratis facile ja
tet, nunquam velle hominem malum, n
aliqua specie boni; nec nolle bonum, n
prætextu mali. Hoc primum erat, quod c
jecto voluntatis explicari debeat.

X. *Sitne voluntas finiū tan-*

Cæterum diximus objectum & velle s
ctus volendi esse bonum quippiam. Bona a
duplicia sunt, ut docet Aristot. 1. magn. m
cap. 2. alia enim sunt fines quidam, alia non

Fines, ut sanitas est bonum; non fines, ut quæ propter sanitatem fiunt. Quæritur ergo, an ad utraque bona se extendat voluntas? Arist. sane 3. eth. c. 2. t. 36. voluntatem dicit magis esse finis, & electionem mediorum ad finem. Sed res expedita est: cum enim potentiæ animi porrigantur ad omne illud in quo aliquid est objecti ipsarũ, non tantum autem ratio boni reperiatur in finibus, sed quadantenus etiam in mediis, ad utraque voluntas extenditur. Quia vero ut id explicat Thomas loc. cit. art. 2. ea quæ sunt ad finem non sunt bona propter seipsa, sed ex ordine ad finem, voluntas etiam in ea non movetur, nisi quatenus fertur in finem, adeo ut ipsum illud, quod in mediis vult, sit finis. Vnde etiam 1. polit. c. 6. dicitur finis experi ab unaquaque arte in infinitum, media autem non item. Verba hæc sunt: *Medicina sanitatis in infinitum est, & unaquaque ars finis in infinitum: nam quam maxime volunt illum efficere. Eorum vero quæ sunt ad finem non in infinitum: finis enim extremum omnibus.* Sicuti ergo dicente Scoto 1 sentent. dist. 1. quæst. 3. §. *Quantum ad primum*, in intellectu duo sunt actus assentiendi veritati propositionis alicujus, unus, quo assentimur ei propter ipsam, ut principio, alter, quo assentimur ei propter aliud, sicut conclusioni propter principium: ita in voluntate duo sunt actus assentiendi bono; unus, quo ea assentitur bono alicui propter ipsum, alter, quo assentitur bono uni propter aliud, ad quod illud refertur. Scoto suffragatur Philosophus 7. eth. cap. 8. t. 61 ubi ex

tum an etiam mediorum.

ubi expresse docet, quæ sit ratio principiorum in rei contemplatione, eandem esse finis in actione. Quod tamen cum dicimus non putamus, actum illum volendi finem semper distinctum esse ab actu quo volumus media, ut contra Thomam disputat Gregorius Ariminensis 1. sentent. dist. 1. q. 1. art. 2. Etsi enim sæpe sunt distincti, ut ipse Thomas concedit, cum scilicet in finem absolute & in se consideratum voluntas fertur, tamen uno etiam actu ferri potest in utrumque, si non formaliter & explicitè, saltem virtualiter & implicite, puta cum finem appetit eatenus, quatenus ille rationem includit propter quam appetuntur etiam ea quæ ad finem illum faciunt. Vide Thom. artic. 3. & illic Caietanus ac Valentiam: Sicut igitur in intellectu cum prius cognoscuntur principia, & deinde ex ijs conclusiones eruuntur, actus, quo cognoscitur principium, non est formaliter idem ei, quo conclusio ex principio illo deducitur: nam sæpe etiam tempore sejunguntur & tamen virtualiter cognitio conclusionis includit cognitionem principij: ita quoque appetitus finis, si non formaliter vel explicite simul est appetitus mediorum, est tamen implicite & virtualiter: imo interdum etiam uno actu formaliter & explicite utrumque volumus. Omnia hæc uno exemplo clara erunt. Si quis qui non usque adeo belle valeat, de sanitate recuperanda cogitet, nec statim tamen, sed ex intervallo demum de medicamentis dispiciat, actus sunt distincti, quo vult sanitatem, & quo vult

An duobus semper actib. feratur in finem & media.

vult media, quibus ſanitas paratur: diſtincti inquam, formaliter, & tamen unus virtualiter includit alterum. Quod ſi autem cogitet de ſanitate per medicinam recuperanda, jam uno actu explicite & formaliter utrumq; appetit, tam finem quam media. Tantum de objecto voluntatis.

Quibus intellectis facile etiam percipitur, quænam ſint à quibus voluntas moveatur, ubi ſupponere oportet diſtinctionem quam antea attulimus, poſſe quicquam moveri vel ad exercitium actus, vel ad ejus ſpecificationem. Quod ad exercitium ergo attinet, non movetur voluntas à quoquam alio; etſi enim elicere actum non poteſt ſine prævia aliqua cognitione, conditio tamen tantum eſt illa cognitio & cauſa ſine qua non, appetitionem autem ipſam non efficit. Vide Greg. de Valentia loc. cit. diſp. 2. q. 4. punct. 1. Cauſa eſt, quod ipſa voluntas ſit primum movens inter omnes facultates animæ, quoad exercitium actuum, ut & ſupra diximus: eſt enim primarius ſive primariæ facultatis appetitus in homine: ſolius autem appetitus proprium eſt ad agendum movere. Quod autem ad ſpecificationem, movetur voluntas ab intellectu ita, ut hic oſtendat voluntati obiectum ſuum: cum enim voluntas ſit potentia cœca, illuſtrari quaſi ac dirigi ab intellectu debet. Nec tamen hæc motio ſtatim determinat voluntatem neceſſario, aut in omnibus ad unum certum, id eſt, perſecutionem vel fugam. Poteſt etiã ſimili ratione voluntas moveri ab appetitu ſenſitivo quan- XI. *A quibus voluntas.*

quam indirecte, quatenus scilicet passiones ejus faciunt sæpe, ut quicquam videatur intellectui multo melius, quam videri alias poterat, absque illis esset. Hactenus de ijs etiam quę movent voluntatem.

XII. An cogi possit. Vltimo loco dicendum restat, an voluntas cogi possit, aut ei vis aliqua fieri. Et potest hoc verbo expediri: nã si loquaris de actibus imperatis, præsertim exteriorum membrorum, nullum est dubium, quin id usu venire possit: sin de actu elicito, contradictio est in adjecto, coacte aut per vim quempiam quidquam velle. Cogi enim dicitur id tantum, quod à principio externo & non naturali movetur. Velle autem omne est naturaliter ad aliquid inclinare, sive ex interno principio ad id ferri: quæ duo utique simul consistere nequeunt. Sic homo per vim rapi aliquò potest, sed ut hoc rapi sit ex ejus voluntate fieri nequit: si enim voluntarium est, jam violentum esse desiit. Tantum de voluntate.

CAPVT V.

De libertate arbitrii.

SUMMARIA.

1 *Quousque hic agatur de lib. arbitrij.*
2 *Tripliciter vocem eam accipi & quo sensu hic capiatur.*
3 *Probatur libertatem arbit. in homine esse.*
4 *Quid sit.*
5 *Non pertinere ad animam veget. aut sentientem.*

6 *An in-*

6 *An intellectui an voluntati competat.*
7 *Libertas contradictionis & contrarietatis; & priorem intellectui non competere.*
8 *Sed nec posteriorem.*
9 *Objectio quadam solvitur.*
10 *An vol. determinetur à judicio intellectus & qui id affirment.*
11 *Qui negent.*
12 *Praeoccupatio obiectionis.*
13 *Nulla necessitas ponendi tale judicium.*
14 *An vol. errare posit sine errore intellectus.*
15 *Quid de ea re statuendum.*
16 *An vol. sit libera eo instanti quo agit.*
17 *Occam refutatur.*
18 *An vol. libera sit in omni suo actu.*

HActenus de voluntate: proximum est ut de libertate arbitrij dicatur. Non arcessemus autem ab ovo hanc doctrinam, sed paucis complectemur præcipua ejus capita, quę ad nostrum institutum pertinent. Dico, ad nostrum institutum, quum plures aliàs disciplinæ de libertate arbitrij tractent: agit enim ea de re Theologus quoq; Physicus & Metaphysicus. Verum Theologus nō tam disputat, quid sit libertas illa, quam quæ sit ejus conditio in rebus spiritualibus: Physicus autem, seu potius is qui tradit scientiam de substantijs incorporeis, ostendit quod sit & quid sit: animæ enim rationalis potentia est. Metaphysicus denique de ea agit, cum rerum contingentiam explicat: fons namque omnis contin-

1. De libertate arbitrii.

Plures disciplinæ de hac agunt.

contingentiæ & radix unica est causarum rationalium libertas, absque qua si foret, nulla proprie loquendo esset contingentia. Vt ergo ostendat nō omnes res in universo esse necessarias, sed aliquas contingentes, ac doceat, quid sit contingentia, supersedere illa consideratione minime potest; imo hæc utramque ibi paginam implet.

Quatenus tractatio eius huc pertineat.

Nos missa hic tractatione Theologica & Metaphysica ea de libertate arbitrii huc adferemus quæ ad Philosophiam moralem cognitu necessaria sunt. Primo vero ostendemus, quod sit aliqua ejusmodi in nobis libertas, deinde quid sit, tertio, num in intellectu sedem habeat, an in voluntate, quarto, an sit eadem cum volūtate, unde quinto deniq; etiam liquebit quarum rerum sit.

II. Vox libertatis accipitur tripliciter.

Principio igitur ut intelligas, an sit liberum aliquod arbitrium in homine observandum est, vocem libertatis non uno modo accipi: liberum enim, ut annotant omnes, qui hac de re scripsere, ad animum tripliciter aliquid dici potest. Primo ita vocatur quidquid subjectum alteri non est: ita quis à miseria, culpa, aut pœna aliqua liber dicitur. Deinde quidquid non est violentum aut coactum, sive quod sine vi & coactione agit vel patitur, sicut se habet omne quod per naturalem inclinationem & internum principium agit: violentum enim aut coactum nihil est, nisi cujus principium foris est, ut 3. ethic. c. 1. docetur. Tertio liberum vocatur, quod simpliciter agit ad utrumque oppositorum; sive quod ad utramque partem contradictionis indifferenter se habet, id est, quod

est,quod tale est, ut posito objecto & omnibus cæteris requisitis,iisque nihil mutatis, possit velle & non velle,sive agere&non agere. Prima vocabuli acceptione vulgo dicitur aliquid *liberum* esse *à servitute*, altera liberum *à coactione*, & tertia liberum *à necessitate*. Vide si placet Occamum 1. sent.d.1.q.6.& Gabrielem 2. dist.7.q.unica art. 2,Non utimur autem nos hic vocabulo illo aut prima aut secunda acceptione, Non prima,nam à pœna aut culpa liber statim non est qui libero arbitrio quid facit,imo utrique obnoxius, quis fit eo magis,quo liberius aut majori cum libertate fecit.Illa ergo libertas non est libertas arbitrii. At nec secunda:si enim omne quod sine coactione fit,à libero arbitrio arcessere velis, non tantum brutis,sed omnibus omnino rebus libertas arbitrii tribuẽda esset:quod quam absurdum sit, facile intelligitur. De rebus inanimatis quidem id nemini non patet. De brutis idem haud difficulter ostenditur: etsi enim ea agere aliquid & non agere certo modo possunt,idque prævia cognitione aliqua:non tamen libertas hæc arbitrii est.Causa est, quod objecto præsente & requisitis omnibus positis quæ ad actionem aliquam agentis requiruntur, ita in rem ferantur, ut suspendere actionem non possint. Dico,objecto præsente & requisitis omnibus positis, quæ ad affectum aliquem sive actionem alias concurrunt:si enim vel objectum ipsum non adsit, vel illud non sit ita dispositum, ut movere appetitum animantis possit, vel si moveat, sit tamen aliud

Quo sensu hic capiatur.

In bruta non cadit libertas arbitrii proprie.

aliud quod impediat, quo minus illud genio suo obsequi queat, nihil mirum est actionem non sequi. Ita canis cum à fame urgetur, & cibus præsens est, ut videat aut odoretur, & fieri ejus compos possit, nihilque est, quod illum impediat (puta, plagæ aut metus earum) fertur in cibum necessario, sive ita, ut temperare sibi nequeat, neq; faciet aliter aut facere poterit, quamdiu requisita illa aderunt. Nec tamen hic quidquã est quod eum cogat, cum omne id faciat, non tantum propria inclinatione & motu spontaneo, sed etiam prævia cognitione; & judicio aliquo suo, quantum id esse in cognitione sensus potest. Quapropter, ut diximus, liberum à coactione esse non statim est libero arbitrio agere, cum hoc omnem necessitatem & determinationem ad unum oppositorum excludat, quæ tamen sæpe est ubi nulla reperitur coactio, etiam in iis, quæ secundum aliquam cognitionem agunt. Restat ergo tertia acceptio, quæ proprie huc spectat: sola enim necessitatem omnem respuit.

III. *Quod sit libertas arbitrii in homine probatur. Prima ratio.*

Esse autem ejusmodi libertatem aliquam in nobis & animo nostro, si res civiles & rationi subjectas spectes, facile ostendi potest. Dico, si res civiles & rationi subjectas spectes: nam de iis tantum hic nobis quæstio est. *Primo*, ipsa experientia docet, posse nos facere in talibus & non facere quod placuerit, imo ea de causa homines deliberare & consultare; ut faciendumne quid sit, an omittendum, apud se constituant. Quod cum frustra fiat de iis in quæ nullum est

nobis

nobis arbitrium, utique necesse est, aut frustra homini datam esse de rebus consultandi facultatem, aut aliquid in nostro arbitrio esse, quapropter consultemus, ut recte argumentatur Nemesius episcopus & philosophus excellens de nat. hom. cap. 41. quique ex Nemesio descripsit Joan. Damascenus li. 2. de fide orthodox. c. 42. Nec vero tãtum in nostra potestate est id sequi, quod post consultationem optimum deprehensum fuerit, sed etiam, quod ex omnibus simpliciter tantũ placuerit: etsi enim cognitio & apprehensio rei invitant ad hoc potius faciendum, quam illud tamen nec semper id fit, (puta, si res in utramque partem sit probabilis) nec cum fit id necessitatem nobis adfert, qnia spernere istam invitationem potes. Hæc docet experientia. *Ioan. Damascenus. Nemesius.*

Altera. *Deinde*, sic argumentor: Si nulla est libertas in actionibus nostris, nulla etiam est actio moraliter bona aut mala. Sed hoc est absurdissimum. Ergo illud. Minor manifesta est. Major ita patet, id enim est bene agere, ad honestatem & legem naturæ actiones suas conformare: conformari autem ad alterum nihil potest, nisi id quod in potestate ejus est qui conformare velit. Similiter male agere ille tantum dicitur moraliter, cujus actiones illi regulæ conformes non sunt, cum esse tamen potuerint & debuerint. Unde est quod bruta non peccant, etiam agendo id quod cum homo agit revera peccat.

Tertia. *Tertiò* si libere agere est tantum sponte & pro rei apprehensione ac naturali subjecti inclinatione agere, non magis

magis libere agit homo quam brutum. Consequens est absurdum. Ergo libere agere est plus quam sponte agere. Huc accedat autoritas summorum Philosophorum, qui omnes arbitrii libertatem in homine agnoverunt. Ita Plato docuit, animum nostrum liberum esse, inque ejus potestate situm, ut agat vel non agat, neque eum ulla necessitate cogi; ut est apud Alcinoum de doct. Platon. c. 26. Idem accurate disputat Arist. 3. eth. c. 5. & meminit ejus rei etiam 9. metaphys. t. 3. Quin & Cicero toto lib. 2. de divinatione eousque libertatem arbitrii defendit, ut omnem divinationem, imo, quod absurdum est; etiam Dei præscientiam futurorum contingentium tollat. Adstipulatur his & Epictetus statim in principio enchiridii cap. 1. & 2. etsi Stoici alias multum fato tribuunt. *Rerum*, inquit, *aliæ in nostra potestate sunt, aliæ non sunt. In nostra potestate est opinio, appetitio, desiderium, aversatio, & ut uno complectar verbo, quælibet nostræ actiones.* Et paulo post, *Ea quidem; quæ in nostra potestate sunt, libera sunt; nec impediri quoquam possunt. quæ autem non sunt in nostra potestate, ea infirma sunt, servituti & impedimentis obnoxia.* Hæc ille, qui etiam totius moralis philosophiæ fundamentum id esse statuit, ut rectè distinguas, quæ in nostra potestate sita sunt, à cæteris quæ arbitrii nostri non sunt, & missis his, illa tantum cures. Vide Simplicium in comm. ad h. l. Idem ex Ecclesiasticis doctoribus ostendunt D. Augustinus, cum libb. 3. ubi ex professo de libertate arbitrii tractat, tum 5. de civitate Dei cap. 40. Nemesius

Autoritas philosophorum.

Plato.

Cic.

Epictet.

Item DD. Ecclesiasticorum.

mesius & Damascenus loco citato. Hinc & Clemens Alexand lib.1.στρωμ. *Nec laudes, nec vituperationes, nec honores, nec supplicia justa sunt, si anima non habeat liberam potestatem & appetendi & abstinendi, sed sit vitium involuntarium.* Denique etiam Augustana confessio conceptis verbis asserit, *habere humanam voluntatem aliquam libertatem ad efficiendam civilem justitiam & eligendas res rationi subjectas.* Legat art .ejus 18. Ita constat, quod ut in nobis liberum aliquod arbitrium. Dicatur nunc porrò quid sit..

Necessum autem est ut sit vel actus aliquis, vel habitus, vel potentia naturalis : quartum enim hîc dari sine dubio nullum potest. Sed non est actus : hi enim transeunt, libertas autem permanet, & adest nobis etiam cum nihil agimus. Taceo, quod libertas sit principium actuum, id autem quod actus principium est, actus esse ipsum propriè non potest. Nec verò habitus est, naturâ enim inest. Relinquitur ergò ut sit potentia. Cumque potentiæ aliæ sint activæ aliæ passivæ, ad activas referri debet, ut rectissimè censet Suarez in Metaphys.tom.1.disputat. 19. sect.2. num.19. nulla enim passio libera est, ut est talis, sed quidquid libertatis ei tribuitur, actioni competit, & ipsi propter actionem. Caussa est, quod imperare alteri, & determinare ad unum oppositorum id, quod ad utrumque aliàs erat indifferens, non est pati sed agere: etsi enim res indifferens esse potest ad hoc & illud patiendum, id tamen eorum patitur tantùm, quod agere agens

IV. Quid sit liberum arbitriũ. Non est actus aut habitus.

Sed potentia & quidem activa.

volet. Sic paries quanquam albedinem æque ac nigredinem recipere potest, ut tamen alterum illorum colorum reipsa suscipiat, rejecto altero, id est à determinatione non parietis, aut potentiæ, quæ est in pariete, sed agentis, quod colorem ei inducit.

V. *Nec anima vegetantis aut sentientis, sed rationalis.*

Porrò verò non est potentia animæ vegetantis aut sentientis, sed intelligentis tantum. Quod non pertineat ad vegetantem extra controversiam est. Sed nec sentientis esse potest, quatenus sentiens est, quia primò sensus externi, posito objecto, ac requisitis, non possunt non exercere functiones suas, nec aliter rem percipere atque est: quomodo & sensus communis agit. Sensus autem interior seu phantasia & appetitus sensitivus, ut & facultas locomotiva, etsi rationi obediunt, & ita liberè agere videntur, libertatem tamen ex se non habent. Sic libera est interdum rei imaginatio, libera appetitio sensitiva in homine, liberè etiam homo ambulat, sed ista omnia liberè fieri dicuntur tantùm ut actus imperati, non ut eliciti, id est, libertas illa propriè est in facultate, quæ actum imperat, non quæ elicit, seu dicitur homo ista liberè agere, non quod ipsa facultas imaginativa aut appetitiva libertatem habeat, sed id, cui ea obedit. Dices pueros & amentes tamen etsi solo sensu, imaginatione & appetitu, non ratione ducuntur, liberè multa facere, puta quæ persuasionibus increpationibus & admonitionibus invitati agunt. Respon. cum Azorio libr. 1. instit. moral.

capite

ite secundo admonitiones persuasiones & urgationes non semper arguere libertatem ;, ad quem fiunt , sed intelligentiam & ca-m, quod sermones nostros percipit. Pueri i-ue & amentes iis moventur quia intelli-t, & deinde metu vel spe præmii naturaliter ucti aliquid faciunt Franc. Victoria conce- pueros & amentes multa liberè facere, sed bonι & mali, honesti & turpis perfecta no-,ut idem refert. Ex his itaque constat li-tatem in homine competere soli animæ in-igenti seu rationali : unde etiam est, quod entiæ rationales & liberæ pro ijsdem accipi-ur.

Verum cum anima illa duas præcipuè facul-s habeat, quæ ei quatenus est intelligens & onalis competunt, intellectum & volunta-,id jam quæritur, an libertas sit in utraque, n altera tantùm, & utra earum? Durandus 2. .distinct.24.quæst.7. ad utramque faculta- refert, quem è recentioribus sequitur Fran-us Picolomineus in ethicis gr.3.cap.43. un-ap.40. ita libertatem definierat, *esse faculta- hominis, quâ de oppositis ad eius actiones pertinenti- ratiocinari oppositaque praeligere valet.* Sed errant omni dubio. Communis & vera sententia solam voluntatem liberam esse formaliter. docet Thomas part.1.quæst.83.art.3. de ve-te quæst.24.artic.2. de malo quæst.6.artic.1. assim. Henricus Gandavensis. Quodlib.1. ;st.16. Scotus 2.sent.distinct. 25. Cajetan.l.c.

VI. An competat intellectui an voluntati.

Durandus & Picolom. referunt ad utramq;.

O 2 ad Tho-

Comm. & vera sententia ad solam vol.

ad Thomam, Ferrariensis lib. 3. contra gentes cap. 73. Javellus 9. Metaphys. q. 4. & ex recentioribus Fonseca l. 9. cap. 2. quæst. 2. sect. 3. & Suarez disputat. 19. sect. 5. num. 11. Potest autem hoc facilè ostendi, & simul Durandi & Picolominei sententia confutari: etsi enim in intellectu radix est libertatis, ut rectè docent Thomistæ, quanquam Henricus & Scotus malunt intellectum tantùm conditionem vocare; quæ ad libertatem requiratur; ipsum tamen intelligere neque quoad actus exercitium, neque quoad ejus specificationem formaliter & in se liberum est. Radicem libertatis in intellectu esse, id est, nullam posse esse liberam rei electionem, ubi nullus est intellectus ex iis, quæ supra diximus, notum est: ideo enim solis intelligentibus libertatem inesse ostendimus, quod nulla possit esse libera appetitio, ubi non est rerum appetendarum cognitio & comparatio inter se: comparatio autem ea sine intellectu institutus nequit. Interim tamen libertas in ipsa intellectione rei præcisè non est.

Radix libertatis est in intellectu, ipse tamen formaliter liber non est.

VII. Libertas contradictionis & contrarietatis.

Vbi observandum, libertatem dupliciter considerari, uno modo, ut possit res aliqua agere hoc, & agere illud. Prior appellatur libertas *contradictionis*, seu, ut jam jam vocabamus, libertas, quæ est in exercitio ipsius actus; posterior libertas *contrarietatis*, seu quæ speciem, vel, ut vocant, specificationem, actus concernit. Neutro autem modo intellectus est liber in se & formaliter. Liber non est quoad exercitium actus: ut enim

ut enim potentia se determinet ad agendum necesse est id fieri vel impetu naturæ vel libera appetitione actus. At potentiæ liberæ, quâ tales, non agunt ex impetu naturæ. E. libera inclinatione & voluntariè. Voluntarium autem duobus modis aliquid dicitur, elicitum & imperatum. Priori modo actus intellectus non sunt voluntarii, puta, ut ipsi eos velit; nec enim intellectus facultas est appetitiva, aut quæ ex se eliciat ullum velle. Posteriori modo voluntarii quidem sunt, at id non libertatem ipsius intellectus, sed alius potentiæ à qua ad agendum movetur & excitatur, arguit. Deinde docet hoc ipsa experientia: ut enim quis consideret, & cognitionem ejus aspernetur, voluntatis tantum est. Quæcunque ergò hac in re libertas est, ea tota est à voluntate, seu voluntatis, & non intellectus. Tertio posito objecto & requisitis non magis potest intellectus rem non cognoscere, atque oculus apertus in media luce objectum suum non videre. Libertas igitur nulla est in intellectu, quoad exercitium actus seu contradictionis.

Neutra competit intellectui in se.

Non contradictionis.

Sed nec liber iste est quoad specificationem actuum, seu ut assentiatur rei aut dissentiat, cum eam considerat & cognoscit: vel enim res ea est perspicua & evidens, at tùm necessariò assentitur si vera est, dissentit, si falsa; vel penitus obscura est, & tum neutrum actum elicit, quod objectum non repræsentetur, planè ut non videmus cum lumen deest: vel denique res in

VIII. *Nec contrarietatis.*

utramque partem probabilis est, & tum iterum nec dissentit, nec assentitur, nisi fortè voluntas ad alterum moveat, idq; ideò non quod in potestate ejus sit neutrum facere, sed quia objectum sufficienter non proponitur: seu potius, quia in utramq; partem movet, una motio alteram impedit. Quoties itaque intellectus rei vel assentitur, vel ab ea dissentit, naturaliter id facit, quantum in ipso est, non liberè: evidentia enim veritatis cogit assentiri, falsitatis dissentire, quæ cum deest, intellectus planè nihil agit nisi, ut jam dixi, voluntas ad id impellat, sic ut in fide evenit: unde & hæc est rerum non apparentium, & à voluntate magis, quam ab intellectu dependet.

X. *Obiectio.* Nec obstat, quod communiter indifferentia voluntatis dicitur esse ab indifferentia intellectus, cum æquivocatio sit in voce indifferentiæ,

Respon. ut notat Suarez sect. 5. numero 22. indifferentia enim intellectus ea tantum est, quod intellectus ostendat rem esse indifferentem, seu tàm hoc quàm illud indifferenter eligi posse, quod caussa, esse liberæ electionis potest, electio ipsa non potest. Ratio est, quod libera electio est à potentia, quæ indifferenter agit atque adeò ipsa est indifferens, cujusmodi quid intellectui, ut supra probavimus, non competit, cum cognoscat tantum & proponat indifferentia. At voluntas non tam vult indifferentia, quàm indifferenter vult quicquid vult. Sola itaque indifferentia voluntatis constituit libertatem, indifferentia autem intellectus non est tam indiffe-

Qualis indifferentia sit in intellectu.

rentia

tentia actuum ipsius, quàm objecti, quod cognoscit & voluntati proponit. Unde sensus pronunciati illius, cujus meminimus, is tantum est, voluntatem liberè indifferenter res velle & nolle, quia intellectus ei ostendit & proponit talia, quæ indifferenter appeti possent. Ex his igitur constat, inter potentias rationales voluntatem quidem esse formaliter liberam seu libertatem habere, intellectum autem radicaliter & præsuppositivè, seu tanquam fundamentum & originem libertatis.

Vt autem hæc omnia & tota ista doctrina de libertate eò plenius intelligatur, quatuor adhuc expetenda sunt. Primò quomodo voluntas determinetur à judicio intellectus, secundò an omnem errorem voluntatis necessariò præcedat error aliquis intellectus, tertiò an libertas sit in agente etiam dum actu operatur, & quartò denique an voluntas ad omnia objecta liberè se habeat. Et primò quidem sunt ex Thomistis, qui etiam statuunt libertatem formaliter esse in sola voluntate, dicunt tamen eam non à semetipsa, sed à judicio intellectus determinari. Ita expressè docet Javellus lib. 9. Metaph. quæst. 5. ubi de quarto puncto tractat & Socinas lib. eodem quæst. 14. Idem ex recentioribus sentit Gregorius de Valentia tom. 3. quæst. 11. disp. 2. puncto 5. & Bartholomæus Medina in 1. secundæ quæst. 9. art. 1. concl. 2. Argumẽta præcipua sunt, 1. quod, cum voluntas ipsa nihil cognoscat, dirigi debeat ab intellectu in rei appetitione, 2. quod nihil

X. An voluntas determinetur à judicio intellectus.

Affirmat Iavell. Soncinas, Valentia, Medina.

appetatur nisi præcognitum, & quatenus ab intellectu proponitur, 3. quia alias nulla reddi ratio possit, quare hoc quis potius velit, quam illud. Ubi nota non de exercitio actus, sed de specificatione eos loqui, sicut disertè protestantur Javellus & Soncinas, ut mirer tum Fonsecam, tum Suarez de utroque illorum sententiam eam accipere. Notetur porrò non intelligere autores hos judicium quodvis sed ultimum, seu illud, quod expensis cæteris sententiis, quæ in mentem venerint, iisque rejectis, tandem concludimus hoc & non illud rectissimè omnium fieri. Ita illi.

Loquuntur de specie tantũ actuum.

XI. Aliter sentiunt Stoici discipuli, ut ex Antonio Andrea 9. Metaphys. cap. 2. citat Javellus: longè alia etiam mens est ipsius Scoti & Henrici locis cit. quos sequuntur ex recentioribus Fonseca loc. citat. sect. 2. & 4. & Suarez sect. 6 numero 7. Et sanè si voluntas ita dependet à judicio intellectus, ut nec sine illo possit determinari ad volendum quid aut nolendum, neque illo posito ab eo queat discrepare, eique non conformari, tum utique existentibus omnibus requisitis non est in potestate voluntatis hoc aut illud agere, atque adeò non liberè, sed naturaliter agit. Consequentia manifesta est: judicium enim rationis unum est ex requisitis, quæ ad rem volendam aut nolendam præsupponuntur. Quod si igitur voluntas id ita sequitur, ut aliter non possit, putà, ut nequeat non fugere, quod judicatur fugiendum esse, positis omnibus requisitis agit

Negant Scotus, Henricus, Fonsec. & Suarez.

agit necessariò quod agit. Secundò, si voluntas necessariò sequitur quod judicat intellectus, agit quod agit, non ut facultas movens, sed ut mota, nec tam ipse se determinat, quam determinatur. At hoc rursus pugnat cum ejus libertate, nihil enim liberum est, qua patitur & movetur, sed quâ agit & movet, ut supra ostendimus. Tertiò si voluntas determinatur à judicio intellectus ita ut nequeat contravenire, non magis liberè agit ex se quàm facultas locomotiva; at hoc est absurdum. E. & illud. Probatur consequentia: nam & facultas locomotiva movere potest sursum deorsum, retrorsum antrorsum; tantùm necessariò obsequitur superiori facultati movendi ad eum modum; & ipsa movet ita in partes contrarias, sed mota ab alio. Quod si itaque voluntas quoque obsequitur alii potentiæ necessario, non movet majori libertate quàm illa.

XII. Praeoccupatio objectionis.

Si dixerint, manere etiam sic libertatem voluntati, quia licet stante illo judicio non potest non consentire, tamẽ potest tolli illud judicium, si intellectum voluntas ad alterã partem divertat, ut aliud judicium sibi formet, nihil efficiunt, sed manifestæ potius contradictioni se involuũt, ut rectè tum Fonseca tùm Suarez demonstrant: si enim auferre voluntas potest judicium istud, & intellectum aliò divertere, jam non est judiciũ illud ita necessarium, ut non possit id non sequi voluntas. Multò minus rem expedit, quòd Javellus ait, *intellectum & voluntatem mutuò se determinare, & voluntatem quidem determinari ab intellectu*

finaliter, putà quatenus intellectus ei ostendat bonum, quod non possit respuere, *intellectum autem à voluntate efficienter*, & quatenus volũtas vult intellectum sic judicare, seu, ut determinatè intelligat hoc aut illud: & magis hoc quàm illud: nam primò si voluntas efficit actum aliquem intellectus, efficit utiq; eum volendo ut sic scilicet judicet ille & non aliter, quia ista ita vult. At unde ergo determinatur ad hoc voluntas; si dixeris à judicio alio, de eo iterũ dicetur esse id tale quale voluntas velit & sic in infinitum procedetur. Deinde voluntas nihil potest velle nisi præcognitum: prius ergo simpliciter est judicium intellectus volitione, cum prius utiq; sit objectum voluntati ostendi, quam ferri eam in illud. Quod si autem voluntas est causa judicii efficiens, & contra idem judicium caussa finalis voluntatis, idem est semetipso prius & posterius. Nullo igitur modo fieri potest, ut salva libertate voluntatis judicium ejusmodi admittatur quo voluntas ad id quod vult ita determinetur, ut aliud, seu contrarium, illo stante, velle nequeat.

XIII. *Nulla necessitas ponendi tale judicium.*

Sed nec ulla necessitas est quare tale judicium statuatur, cum notum sit intellectum non movere voluntatem nisi proponendo tantum objectum seu ostendendo ei rem quæ amari aut odio haberi meritò possit. Ad hoc est illuminare & dirigere voluntatem, non producere volitionem: hoc enim sit impellere voluntatem ad volendum, cum tamen impulsus omnis non cognoscitivæ seu appetitivæ facultatis sit. Propositio

ſitio autem objecti, ut etiam ſupra diximus, etſi excitare poteſt appetitum ut appetat, neceſſitatem tamen ei non adfert, tum quod plura objecta talia ſimul repræſentari ab intellectu poſſunt, ut media ad eundem finem, tū quòd oſtendere appetibile quid eſſe, non eſt oſtendere, eſſe neceſſariò appetendum. Sanè ſi voluntas efficaciter ſibi propoſuerit hoc ſe facturam, judicium aliquod intellectus eſſe poteſt, quod neceſſariò ei ſequendum eſt ſtante illa hypotheſi. At hæc determinatio, ut facilè patet, non ab intellectu ſed voluntate eſt; ſublata enim hypotheſi iſta aliter fieri poterat. Ex his igitur conſtat quid de hac queſtione ſentiendum ſit. Ad argumenta in contrarium allata reſpōdetur ſimul & ſemel, requiri ad liberos actus voluntatis judicium intellectus, idq; ultimum, non quod dicat, hoc aut illud eſſe neceſſariò nunc faciendum & eligendum, ſed quo ſtatuatur, hoc medium, conſideratis omnibus circumſtantiis hic & nunc, aptum eſſe ut eligatur & aſſumatur. Et tum quando voluntas id acceptat nec in incognitum fertur, & ratio reddi poteſt, quare id elegerit, ſed quare meritò id aſſumpſerit, atque ita, ut nullum potuerit convenientius eligere, etſi fortè etiam aliud æquè conveniens in promtu fuiſſe.

Solvuntur argumenta Thomiſtarum.

Cæterum ex hac quæſtione naſcitur altera illa, an ergò cum voluntas non determinetur à judicio intellectus ad rem volendam vel nolendam, ſed à ſemetipſa, errare ea poſſit nullo præcedente errore intellectus. Fieri id poſſe, imò ſæpè fie-

XIV. An voluntas errare poſſit nullo præcedente errore intellectus.

pè fieri, statuunt auctores omnes qui determinationem voluntatis à judicio intellectus suspendendum negant. Sic docet Scotus dist. 36. q. 1. Occamus ibid. q. 12. & Gabriel ibid. Henricus autem non quidem omnem errorem, sed, ut ipse vocat, deordinationem in intellectu oriri statuit à deordinatione voluntatis, quod l. 1. quæst. 17. Rationes sunt, primò quod multi peccant ex malitia, atq; adeò id agunt quod malum esse optimè sciunt. Secundò etiam id quod malum esse judicamus, propter voluptatem cõjunctam sæpè appetimus, & quod bonum censemus, declinamus propter adhærentem molestiã. Errat igitur volũtas appetendo aut declinando, nec tamen intellectus judicando. Tertiò si non potest voluntas stante optimo judicio intellectus malum velle, atque adeò errare non errante intellectu, determinatur ea à judicio intellectus & non à semetipsa, quod falsum esse suprà ostendimus. Quartò urget Henricus exemplum Adami qui peccarit sine precedente errore, quod ignorantia & error in eo ante lapsum esse nequiverint, cum pœna peccati sint. Idem argumentum alii faciunt de lapsis angelis. Contraria sententia est Thomæ, 1. 2. q. 77. art. 2. Durandi 2. sent. dist. 5. art. 2. eamque communiorem esse dicit Fonseca. Statuit hæc nõ dari ullum errorem in voluntate nisi præcedente aliqua vel ignorantia vel inconsiderantia in intellectu. Probant hoc, primò quia voluntas nunquam appetit rem nisi sub ratione boni, nec rursus fugit eam, nisi sub ratione & specie aliqua mali-

Affirmãt Scotus, Occamus Gabriel. Henricus.

Negat Thom. Durand. Fonseca.

mali. Quoties ergò homo aliquid vult, ideo vult, quia id bonum esse ei apparet, si non simpliciter, attamen sibi & hoc tempore, aut propter voluptatem & utilitatem ei conjunctam. Deinde idem docet Aristoteles lib. 7. Ethic. quando disputat incontinentem semper aliquid ignorare aut saltem non considerare.

XV. Utranque sententiã aliquid veri continere. Suarez. Verùm utraq; sententia aliquid veritatis habet, ut ostendunt Fonseca loc. citat. sect. 2. & 3. Suarez sect. 7. Et quidem manifestum est formalem ignorantiam, id est, defectum scientiæ non esse semper in intellectu aut præcedere voluntatem errantem. Ostendunt hoc sufficienter auctores primæ sententiæ, & attestatur experientia ipsa, multa nos facere, quæ, si rectè ea consideramus, mala esse sciebamus, idque evidenter etiam evincit argumentum de lapsu Adami & malorum angelorum. Rursus autem & id certum est non quidẽ necessarium esse simpliciter, sed plerumque tamen fieri, ut errorem voluntatis præcedat ad minimum ignorantia interpretativa, id est, considerantia intellectus: nam etiamsi sciat quis id esse malum quod vult, sæpè tamen non considerat aut recogitat hoc, aut certè non tàm diligenter recogitat atque poterat. *Ignorantia interpretativa plerunque adest.* Probat id rectè Thomas, quia necessum est id quod appeti à voluntate debet ei offerri sub aliqua saltem ratione boni, puta quod illud vel jucundum vel utile, vel aliâs conveniens nobis sit, licet nec pium existat, nec honestum; quod idem hoc tẽpore nobis conducere videatur, etsi aliâs simpliciter

citer non conducat. Eadem ratio est de iis quæ voluntas fugit, nisi quod contrario modo ibi res se habet. At omnis propositio & repræsentatio ejusmodi fit ab intellectu: ille enim voluntati ostendit quid sit bonum quid malum. Nunquam igitur proponi ei aliquid potest, quod exequendo voluntas erret, nisi intellectus etiam impingat sive ignoret simpliciter quid sit bonum, sive non rectè consideret. Postremò etiam hoc fieri potest, imò semper fit, ut quando jam electio à voluntate errante instituitur; tum sequatur approbatio intellectus & formalis ignorantia, id est, ut quod ante ex inconsiderantia malè fecit, jam postquam id facere constituit, simpliciter bonum esse judicet: id enim à voluntatis & intellectus naturali cogitatione proficiscitur. Tantum de secunda quæstione.

XVI. *An voluntas libera sit eo etiam instanti quo aliquid vult.* Porrò cum voluntas sit indifferens, ita ut positis omnibus requisitis adhuc possit velle & non velle, item velle & nolle; quæritur, an ita id intelligendum sit, sit ut eodem instanti & puncto temporis, quo aliquid vult, idem possit non velle aut nolle. Occamus 1. sentent. distinct. 38. quæst. 1. Gabriel ibid & Nominales plures negativam tenent; quamvis Azorius lib. 1. institut. moral. cap. 2. statuat, Occam. Gabrielem & Aliacesem docere eodem puncto temporis quo aliquid vult vel agit posse non velle & non agere, & id negat tantum, posse eodem puncto simul velle & non velle, simul agere & non agere, atque ideò immeritò eos accusari. Argumentantur ita:

Negant. Occam. Gabr. & Nominalis.

tur ita: Si unum quodque eo ipso quo est, necessariò est, voluntas eo tempore quo aliquid vult non potest id nolle, & quo non vult, non potest velle aliâs simul vellet & non vellet, aut vellet, & nollet. Dicunt itaque quod ea liberè velit & non velit id accipiendum esse non de eo instanti quo unum horum facit, sed quod proximè illud antecedit. Ab hac sententia non procul abest etiam Lombardus, cum 2. sentent. 25. cap. 1. asserit *libertatem arbitrii tantum circa futurum versari.* Contra sentit Scotus 1. sent. d. 39. capreolus 2. distinct. 25. & ut citant Herveus quodli. 1. quæst. 1. dubio 6. Gregorius Ariminensis 1. sent. dist. 39. Socinas 9. Metaph. quæst. 19. Iavellus ibid. quæst. 5. & ex recentioribus Suarez. sect. 9. Conimbric. in Logic. libr. 1. de interpr. cap. 8. quæst. 8. artic. 1. & Molina de concord. libr. arbitr. quæst. 14. art. 13. disput. 24. Omnes hi Occamum refutant ejusque sententiam Suarez planè improbabilem, Molina temerariam insuper & periculosam esse dicit.

Contraria sententia vera est & communis.
Scot.
Capreol.
Hervens.
Gregor.
Socin.
Iavel.
Conimbr.
Molina.

XVII. *Refutatur Occamus.*

Et sanè si voluntas eo instanti quo elicit actum non est indifferens ad eliciendum & non eliciendum, nunquam est indifferens, quia respectu istius instantis propriè libera dicebatur. Secundò, si eo instanti, quo actum elicit, necessariò eum elicit, jam pari ratione antea semper eo necessariò caruit & in futurum carebit, atq; ita nulla planè ejus libertas est. Terriò Deus liberè ab æterno decrevit mundum condere in tempore. At iste actus non est liber ideo, quod antequam

Deus

Deus id decerneret, potuerit non decernere: nihil enim est ante æternitatẽ: nec verò ideò, quod postquã decrevisset, potuerit id retractare: Deus enim non mutatur. Liberè ergò decrevit ideò, quia tunc quando decrevit potuit non decernere. Quartò nemo peccat actualiter, nisi, ut notum est, cum id agit quod tum quando agit poterat non agere. Quòd si igitur nemo cũ aliquid agit potest idem non agere, ut Occamus censet; nemo peccat quando quid agit, sed antequam agat: tum enim id vitare poterat, quod quàm absurdũ sit facilè patet. Ad argumenta Occami respondetur, primò confundere eum prioritatem naturæ cùm prioritate temporis: prior enim naturâ est potentia ad agendum & non agendum quàm agere, nec tamen ideo prior est tempore. Deinde cõfundit etiam sensum compositum cũ sensu diviso: etsi enim posito quòd potentia agat non potest ea non agere, potest tamen id absolutè loquendo, & illè non supposito, uno & eodem puncto temporis, licet puncta naturæ distinguãtur. Tantum etiam de tertia quæstione.

Solutio arg. Occami.

XIX. *An voluntas libera sit in omni suo actu.*

Postremò quærebatur, an voluntas quoad omnes suos suos actus eorumque exercitia libera sit? Et sanè quod attinet ad exercitium actuum, nec universale nec particulare bonum ullum necessariò appetit: sicut enim homo non necessariò cogitat vel de particulari aliquo vel de ipso universali bono & potest tollere quoties vult cogitationem illam, ita nec necessariò sed liberrimè planè alterutrum appetit; eademque ratio

ratio est de fugiendo malo. Interim tamen nonnullos actus producit naturaliter & necessariò, præsertim quoad actuum specificationem. Sic primò, non liberè sed naturaliter fertur in bonum universale: quidquid enim volumus id nõ possumus non sub aliqua ratione boni velle. Vnde est quod cùm diversi diversa, imò contraria, appetant, bene tamen sibi esse omnes velint, etiamsi id bonum sæpè censeant: quod nihil minus est quàm tale. Hinc. Aug. lib. 10. confess. cap. 20. ait, *Si omnes homines una voce interrogari possent, utrum beati esse vellent, sine ulla hæsitatione velle responderent.* Et paulo ante: *Nonne ipsa est beata vita quam omnes volunt & omninò qui nolit eam, nemo est?* Et rursum lib. de morib. Eccl. Cathol. cap. 3. *Beatè certè omnes vivere volumus, neque quisquam est in hominum genere qui non huic sententiæ, antequam planè emissa sit, consentiat.* Idem docet lib. 1. de libero arbitr. cap. 14. & Boethius de consol. Phil. li. 3. pros. 2. Necessario igitur voluntas bonum universale seu bonum in universali. Similis ratio est de malo declinando.

Quanam appetat naturaliter & necessariò.

Deinde bona particularia potest quidem homo velle & nolle; prout mali aut molestiæ aliquid conjunctum habent vel non habent, aut habere certè vel non habere videntur, per se tamen & illa necessariò appetuntur: sanitatem enim ipsam exempli gratia nemo ita appetit; ut possit eam etiam non appetere; si illam in se spectes, licet possit propter malum aliquod fortè conjunctum.

Quanam libere.

CAPVT VI.

De anima ſentiente & præcipuè de natura affectuum & paſſionum in animo.

SUMMARIA.

1 *De appetitu ſenſitivo & duabus eius partibus.*
2 *Quare appetitus uterque datus animali, & de affectibus animi.*
3 *Definitio affectuum academica ſeu peripatetica, & Stoica.*
4 *Definitio prior præfertur poſteriori.*
5 *Subiectum affectuum.*
6 *Stoicos eos collocare in anima rationali.*
7 *Quid rectè hic doceant.*
8 *De bonitate & malitia affectuum.*
9 *Duæ cautelæ.*
10 *Quinam affectus pertineant ad appetit. concupiſc. & qui ad iraſcentem.*
11 *De affectibus concupiſcentis in ſpecie.*
12 *Item de iraſcentis.*

POSTQUAM de anima intelligente actum eſt; ſequitur ut de ſentiente dicamus; utraque enim facultas capax virtutis eſt, ut ſuo loco oſtendimus, & utriusque natura conſideranda ei qui Ethicæ objectum cognoſcere velit. Non eſt autem in Ethicis quæſtio tam de cognitione ſenſuum quàm de appetitu ſenſitivo, cum primis ve-

mis verò de animi adfectibus qui sedem in eo habent, ille enim potissimùm, & hi omnes, ad honestatem componi ac virtute imbui possunt & debent. Vt verò eò compendiosiùs omnia proponantur, supponimus initio quæ supra explicata à nobis hac de re sunt, quum de animæ facultatibus in genere, & in specie de anima intelligente dictum fuit; quid enim sit appetitus sensitivus, & quid à voluntate sive appetitu rationis differat, quî etiam & quatenus huic subjici queat, ex illis constare abundè potest. Hîc istud tantùm sciendum est, duas esse partes illius, concupiscentiam & iram, ut docet Aristot. de anima c.3. t.27. Cicer. 3. Tusc. q. animi cupiditatem & ægritudinem vocat Epictetus apud Arianum l.1. c. 4. & passim ὀρεξιν καὶ ἐκκλισιν, vulgò potentiam concupiscentem & irascentem dicimus. *Concupiscens* simpliciter appetit bonum & fugit noxium, *irascens* propulsat noxium & qu dquid impedit aut obstat, quo minus bonum quod appetimus consequamur. Thom. part. 1. q. 81. artic. 2. Scot. 3. sent. dist. 34.

Duæ partes appetitus sensitivi, Concupiscens & Irascens.

Et profectò utrumque horum necessarium animali est ad sui conservationem: nulli enim rei erat delectari bonis & abhorrere noxia, nisi & propulsari posset quod bonum impedit aut malum infert: quare etiam ambabus istis facultatibus appetitum sensitivum instructum esse oportuit. Distinctas autem eas esse judicio est, quod distinctum munus utriusque est: neque unum & idem sunt appetere bonum & impedimentum ejus tollere, vel fugere malum & arce-

Quare appetitus uterq; datus animali.

Adfectus animi. re. Cæterum uterque hic appetitus tam concupiscens quam irascens armatus à natura est certis animi motibus quorum vi agat id cui destinatus est. Græcè vocant πάθη, Latine animi adfectus vel adfectiones sive perturbationes & passiones. Cicer. 3. Tusc. q. D. August. de civ. Dei c. 3. Sicut enim cognitio sensus non fit sine corpore ejusque aliqua immutatione, saltem spirituali, ut Physici appellant: ita nec appetitio animæ sentientis esse sine corporis mutatione & passione aliqua potest. Hæ immutationes motus animi dicuntur; quorum natura & ratio eò diligentius cognoscenda est, quod omnis virtutis materia illi sint: adfectus enim & motus animi rectè nosse, & ubi exorbitent emendasse, & secundum virtutem vivere, neq; per virtutem aliud quicquam intelligitur. Nos ut paucis tam nobilem doctrinam complectamur, quinq; hîc potissimùm considerabimus. I. quid sint illi adfectus: II. in qua parte animæ sedem habeant: etsi enim ex jam dictis constare potest ad animam sentientem eos pertinere, magna tamen hic contentio est inter Stoicos & cæteros Philosophos: III. an boni sint vel mali: IV. quinam ex iis ad concupiscentem, quinam ad irascentem partem præcipuè pertineant, quemq; ordinem habeant & V. denique quæ sit singulorum natura in specie.

III. *Definitio Adfectuū Academica & Peripatetica.* Principio autem describuntur adfectus animi ab Aristotel. 2. Rhetor. cap. 1. ita, ut dicat esse *mutationes animi cum voluptate & dolore coniunctas.* Plato, ut est apud Alcinoum de doct. Plat. cap. 32. dicebat, esse *motus animi sine ratione, natos ex bono aliquo*

aliquo aut malo. Ioan. Damasc. 2. de orth. fid. c. 22. geminam definitionem habet, *Passio*, inquit, *est motus appetitivæ virtutis sensibilis ab imaginatione boni vel mali.* Item: *Passio est animi motus irrationalis ortus ab opinione boni vel mali.* Thomas 2. Ethic. lect. 3. definit ita: *Passio animæ nihil aliud est quam motus appetitivæ virtutis in persecutione boni vel in fuga mali.* Sunt autem tales passiones, cupiditas, ira, metus, fiducia, gaudium, amor, odium, desiderium, misericordia, & res similes, quas magnam partem recenset Aristot. 2. ethic. cap. 5. Ita Academici & Peripatetici adfectus definiunt. Stoici quia non paullo aliter vocem accipiunt, aliam definitionem habent: cum enim Philosophi cæteri per passiones intelligant simpliciter motus appetitus sensitivi, prout in se spectantur, non ut refragantur rationi, hi ita vocant eos tantum, qui à ratione ejusque præscripto exorbitant, imò non tam motus appetitus sensitivi, quàm pravas opiniones & judicia rationis. Hinc Zeno eorum princeps ita definiebat affectum animi: πάθος ἐςὶν ἡ ἄλογος παρὰ φύσιν κίνησις, ἢ ὁρμὴ πλεονάζουσα, ut testatur Diog. Laërt. in Zenone. *Perturbatio est vel aversa à ratione contra naturam animi commotio,* vel brevius, *Appetitus vehementior*, ut Cicer. definitionem Zenonam interpretatur 4. Tusc. q. intelligit enim Zeno per τὸ ἄλογον, non tam quod sine ratione fit, quam quod contra eam. Idem fundamentum Seneca passim substruit disputationibus suis in libb. de ira, ut expresè patet libr. 2. cap 3. *Ira*, inquit, *non moveri tantum sed excurrere debet: est enim impetus, nunquam autem impetus si-*

Stoicorum definitio.

tus sine assensu mentis est. Item libr. 1. cap. 9. *Si exaudit rationem & sequitur quâ ducitur iam non est ira, cuius proprium est contumacia.* Et paulò post: *Si modum adhiberi sibi patitur, alio nomine appellanda est, desinit ira esse, quam effrenatam indomitamque intelligo.* Ita ille qui quod de ira dicit idem de cæteris adfectibus intelligendum vult: nam & propterea animi motus in tres gradus dispescit, atque eorum primum præparationem potiùs adfectus, quam adfectum dicendum putat lib. 2. c. 4. Hæc Stoici.

IV. Definitio Academica & Peripatetica præfertur Stoicæ.

Verùm enimverò etsi utraque vocis acceptio apud scriptores occurrit, nec infrequens est: (ut enim per adfectus & passiones animi sæpè tantùm commotio ejus denotatur sine exorbitantia & sine impetu excurrente, ita non raro etiam in alteram partem voces illæ accipiuntur, maximè autem si non tam adfectus quàm perturbationes animi dicas) tamen cum aliud sit motus ipse in se, & aliud exorbitantia ejus, sive aliud exempli gratia, odium simpliciter, aliud odium virtutis vel hujus aut illius rei, rectiùs sine dubio fit, si ita acceptio vocum temperetur, ut quæ reapse distincta sunt, ea etiam distincta appellatione efferantur. Quamvis ergò Stoici rectè definiant affectus, si ita vocem capias ut illi, melius tamen Academici & Peripatetici loquuntur & sentiunt, melius, inquam, si nō tam spectes quid in vulgus obtineat de vocis alicujus acceptione, quàm quomodo ea accipiatur à doctis. Caussa est quod Academici & Peripatetici & appellatione & definitione sua complectantur nudos,

ut s

ut supra dixi, animi motus atque ea quæ his per se insunt tantùm, Stoici verò una appellatione & definitione involvunt & motum ipsum & quæ ei accidunt, res natura sua distinctissimas; quod quam periculosum sit in veritatis investigatione, facilè intelligitur. Cum enim etiam aliàs difficultatem maximam habeat, vocabula rerum accuratè distinguere ne res ipsas confundas, ut docet Aristot. 1. soph. elench. cap. 6. minimè utique oportet ea quæ jam distincta sunt denuò confundere. Quod autem distincta sint reipsa quæ appellatione sua Stoici confundunt negari non potest: quid enim ad Esse & naturam motus quâ est motus (dico quâ est motus, non quâ est motus talis vel talis) si exorbitet, aut non exorbitet, cum tam sit animi motus, cum malè quicquam metuitur, quam cum benè, cum pravè quicquam amatur, quam cum rectè? utrumque enim est metuere, utrumque est amare: utrumque etiam metuere & utrumque amare immutat animum cum corporis aliqua alteratione dolorem excitante aut voluptatem. Omnes ergo motus animi sive excurrant sive in officio contineantur, conveniunt inter se quâ motus sunt, & quatenus habent quæ per se ad essentiam motus spectant: quod autem excurrant, competit eis non quâ motus sunt simpliciter, sed quâ motus vitiosi, sive quatenus imperium rationis detrectant. Equidem negari non potest interdum animi motus iis vocibus designari, quæ, si abusum potius earum quam usus spectare velis, non tam affectum ipsum solum

quam simul exorbitantium aliquam denotent. Sed tum vox ab æquivocatione liberanda est, si potest; sin, jam non purum putum affectum significare dicetur, sed affectum vitiosum. Verum hac de re postea.

V. Subjectum affectuum. Hactenus ostensum est quid sint affectus quidque eo nomine intelligatur, si accuratè & distinctè loqui velis: in qua autem animi facultate sedem habeant deinceps explicandum est. Diximus supra pertinere eos omnes ad animam sentientem; sed tamen non ad facultatem sive potentiam ejus apprehensivam, ut vocant, sed appetitivam. Utrumq; ita in se habere nunc probabivimus. Et quidem quod ad facultatem aliquā appetitivam pertineant (ut de posteriori prius dicamus) manifestè patet, si munus potentiæ appetitivæ cum munere apprehensivæ conferas: opus enim virtutis apprehensivæ, ut docet D. Thom p.1.quæst.81.art.1 egregiè 2. ethic. lect.5. perficitur eo quod res apprehensæ sint in potentia apprehendente, opus autem virtutis appetitivæ quod appetens inclinetur in rem appetibilem. Unde opus virtutis apprehensivę in universum similius est quieti, appetitivæ motui. Cum ergo nihil moveatur in rem quampiam cognoscendo aut apprehendendo sed appetendo eam, facilè liquet si commotio quædam sit in animo, illam ei non ratione apprehensivæ sed appetitivæ facultatis competere. Quod autem sint tales motus in anima sentiente liquere itidem facillimè potest, modò quis re cogitet de quibus motibus hic quæratur, nempe de cupiditate, ira,

Adfectus sunt in anima sentiente.

metu,

metu, amore, odio, desiderio, & similibus. Caussa est quod omnes hi cum alteratione corporis fiunt, & uno actu animum simul & corpus immutant. Nullus autem motus voluntatis vel animæ intelligentis fit cum mutatione corporis primò: anima enim intelligens, ut sine organo corporis cognoscit, ita etiam sine ejus passione appetit. Quare motus illi in anima intellectiva aut ejus appetitu esse non possunt. Dico non posse esse in appetitu rationis: neque enim nego ab illo excitari posse, cum appetitus ipse sensitivus quantus quantus est, à voluntate moveri queat, ut suo loco ostendimus. sed aliud est à voluntate affectum suscitari & aliud eum in voluntate residere. Huc accedit quod, ut argumentatur Alcinous loc. cit. sæpe motus animi surgunt nobis invitis, quod fieri non posset si in voluntate essent.

Stoici affectus in anima rationali collocant, & ut diximus, voluntarios esse statuunt & opiniones & judicia prava vocant. Hoc docet Cicero in acad. quæst. *Cum antiqui*, inquit, *perturbationes naturales dicerent & rationis expertes, aliaque in parte animi cupiditatem, in alia rationem collocarent, ne his quidem assentiebatur Zeno: nam perturbationes voluntarias esse putabat, opinionisque iudicii suscipi & omnium perturbationum arbitrabatur esse matrem immoderatam quandam intemperantiam.* Et 3. de fin. Zenonem introducit asserentem nulla naturæ vi affectus commoveri, omniaque ea opiniones esse ac judicia levitatis. Vide & 4. Tuscul. quæst. idem ex Plutarch. discitur: Stoici, in- VI. *Stoici collocant eos in anima rationali.*

quit lib. de vir. mor. in init. affectus dicunt esse *pravam & intemperantem rationem à vitiosa & falso judicio vices consecutam.* Qui etiam caussam ejus rei illi adsignat, nempe quod partem animæ rationalem cum bruta confundant. Hinc Seneca ep. 75. *Affectus sunt motus animi improbabiles, subiti & concitati, qui frequentes neglectique fecere morbum, si ut destillatio una nec adhuc in morem adducta, tussim facit, adsidua & vetus phthisin.* Plura loca collegit Lipsius manuduct. ad Stoicam Philosophiam lib. 3. diss. 7. Sed res difficultatem non habet, cum Stoicis etiam hîc sermo sit, non tam de affectibus simpliciter, quàm ut ii minus rectè compescuntur. Compescere autem eos in nobis positum est, & hîc judicium aut voluntas locum habet. Quum ergo disputât, dolorem, metum, iram, cæterasq; vitæ mortalium, ut illi vocant, pestes nostra nos culpa & voluntate accersere, sive opiniones pravas & levium ingeniorum judicia corrupta esse, id præcipuè volunt, indulgere nos nobis nimis, nec reprimi dolorem, iram &c. ut poterant, idq; eo fieri quod superari non posse pravè nobis persuasum sæpe sit.

Quomodo intelligendi sint Stoici.

VII. Et quid rectè hic doceant.

Nec profectò dubium est, quin id rectissimè doceant: infinita enim ferè sunt, quæ cum humana ope tolerari aut superari possint, si rectè se quis ac sua instituat, supra hominis tamen constantiam esse vulgò putantur. Tormentis non summittere fidem, cruciatus & mortem ipsam non muliebriter metuere imbellibus supra hominem sunt. At non Zenoni Eleatæ, cum in ipsis cruciatibus non desineret amare in Phalaridem

Agri-

Agrigentinos, Val. Max. lib. 3. cap. 3. non Anaxarcho cum inter tormenta mala multa ingereret Nicocreonti Cypriorum tyranno, & in pila ingeminaret illud: *Tunde, tunde vasculum Anaxarchi, Anaxarchum enim ipsum non teris*, aut etiam cum linguam dentibus sibi præcisam in faciem tyranni expueret, Diog. Laërt. in Anaxarch. Non Mutio Scævulæ, cum, ut Porsenæ terrorem incuteret, ultrò dextram accenso ad sacrificium foculo inijceret & torreret, Liv. lib. 2. cap. 12. Flor. lib. 1. cap. 10. non denique Theodoro, qui adversus Hieronymum Syracusanorum tyrannum conjurarat Liv. lib. 24. cap. 5. Homines hic erant, sed fidiculis tamen & omnibus quæstionibus superiores. Eodem animo C. Marius fuit, cum varicem in cruce secandam præbens medico cruciatus incredibiles solutus absq; gemitu & ne contractis quidem superciliis toleraret. Plutarch. in apophth. Nec aliter mortem ipsam exceperunt Leonidas cum ccc. Spartanis ad Thermopylas, Herod. libr. 9. Justin. lib. 2. cap. 11. Theramenes, cum jussu triginta tyrannorum Atheniensium bibisset venenum & Critiæ propinasset, Xenophon. 2. lib. Ἑλλην. Theod. Cyrenæus cum Lysimachum crucem sibi minitantem juberet suis purpuratis hoc minari: sua enim parum interesse humine an in sublimi putresceret, Cicero 1. Tuscul. Decius Mus pater & filius, ille in bello Latino ad Veserin, hic in Gallico se devovens pro exercitu, Liv. libr. 8. cap. 9. & libr. 10. cap. 28. Ne dicam nunc de Cleombroto puero Ambraciota qui lecto Phædone Platonis de

muro

muro in mare se ultrò abjecit, aut ijs quibus Hegesias Cyrenaicus de morte differens & vitæ calamitates exaggerans persuasit, ut sibi ipsis manus inferrent. Cicero l. cit. Valer. Max. lib. 8. c. 9. aut de illo Lacone, de quo ita Seneca epist. 77. *Exempla nunc magnorum virorum me tibi judicas relaturum? Puerorum referam, Lacon ille memoria traditur impubes adhuc, qui captus clamabat: Non serviam, suâ illa Dorica linguâ, & verbis fidem imposuit. Vt primum jussus est fungi servili & contumelioso ministerio: afferre enim vas obscœnum iubebatur, illisum parieti caput rupit.* Animi itaque imbellis est, ut diximus, quæ à Stoicis vituperatur cum affectus accusant, ut præclarè hoc Cicero juxta ipsorum decreta exponit 5. Tusc. disputans contra dolorem acerrimum, ut vocat virtutis hostem: *Pueri Spartiatæ,* inquit, *non ingemiscunt verborum dolore lacerati. Adolescentium greges Lacedæmones vidimus ipsi incredibili contentione certantes pugnis, calcibus, unguibus, morsu deniq; ut examinarentur, priusquam se victos faterentur. Quæ barbaria Indiâ vastior aut agrestior? in ea tamen gente primum ij qui sapientes habentur, nudi ætatem degunt, & Caucasi nives hyemalemq; vim perferunt sine dolore: cumque ad flammam se applicuerint sine gemitu aduruntur. Mulieres vero in India, cum est cuiusque earum vir mortuus, in certamen iudiciumque veniunt, quam plurimum ille dilexerit, plures enim singulis solent esse nuptæ. Quæ est victrix, ea læta prosequentibus suis una cum viro in rogum imponitur. Illa victa mœsta discedit. Nunquam naturam mos vinceret: est enim ea semper invicta. Sed nos umbris, deliciis, otio languore, desidia animum infecimus, opinionibus, maloque more delinitum mollivimus.*

Hæc

Hæc ille. Idem de Getarũ fœminis tradit Pomp. Mela lib. 2. de sit. orb. c. 2. & Solinus in polyhist. cap. 16. Constat igitur hinc non tàm ipsos motus intelligi qui à natura sunt, quàm nostram, ut vocant, συγκατάθεσιν sive quod nimium iis frænos sæpè laxamus. Docet id disertè apud Agell. li. 19. c. 1. ipse Epictetus, cujus hæc sunt verba: *Visa animi quas φαντασίας Philosophi appellant, quibus mens hominis prima statim specie accidentis animum rei pellitur, non voluntatis sunt, neq; arbitraria sed vi quadam sua inferunt se hominibus noscitanda. Probationes autem quas συγκαταθέσεις vocant, quibus eadem visa noscuntur ac diiudicatur, voluntaria sunt, fiuntque hominum arbitratu.* Similia habet Senec. ep. 116. Et ep. 71. inquit: *Et tremet sapiens & dolebit & expallescet : hi enim omnes corporis sensus sunt. Vbi ergò est origo calamitatis? ubi illud malum verum est? illic scil. si ista animum distrahunt, si ad confessionem servitutis adducunt, si illi pœnitentiam sui faciunt.* Hucusq; de sede affectuum.

Cæterum an affectus illi sint boni an mali nũc disquirendum est. Malos esse Stoici docent: & certè si sunt opiniones pravæ, si contra naturam & rationem, si judicia levitatis, mali utique sunt. Unde & morbos vocant animi & peccata, & in sapientem cadere negant, Cic. 3. Tusc. Plutarch. de mor. virt. Lactant. lib. 6. c. 14. Aliter Academici & Peripatetici: Plato enim 1. de ll. circa med. affectus duos principes (ita enim voluptatem & dolorem vocat Alcinous loc. c.) duos fontes appellat natura profluentes, unde si quis hauriat quantum & cum oportet, felicem eum esse dicit, sin plus minusve, miserum & infortunatum. Et

VIII. De bonitate & malitiam adfectuũ.

Arist.

Aristot.2.Eth.cap.5.t.27.expresse docet propter affectus neque bonos neq; malos nos dici, item nec laudari vel vituperari: *non enim, inquit, qui metuit aut irascitur laudatur, neque qui simpliciter, sed qui modo quodam irascitur, vituperatur.* Unde & Plutar. libr. de solert. animal. cap. 8. & 9. egregiè disputat contra Stoicos, si affectus sint prava judicia rationis in bruta eos cadere non posse. Sed & hæc controversia componi facile ex prius dictis potest. Si enim affectus voces id quod Academici & Peripatetici, hoc est, ipsos motus in se consideratos, ita nec boni nec mali moraliter, ut rectè docet Aristot. Causa est quia tum nihil intelligitur aliud quam ipsæ appetitiones simpliciter: appetitio autem, ut est appetitio naturalis animæ facultas est. Cum verò de bonitate & malitia morali disputatur, id est, de honesto & inhonesto, non tam quæritur, ut rectè dicit D. August. 9. de civ. Dei, cap. 5. *utrum animus irascatur, nec utrum sit tristis, sed unde sit tristis, nec utrum timeat, sed quid timeat. Irasci enim peccanti ut corrigatur, contristari afflicto ut liberetur; periclitanti timere ne pereat, nescio utrum quisquam sana consideratione reprehendat.* Sin autem cum Stoicis loquaris & affectus consideres quatenus exorbitant à præscripto rationis omnes utique mali sunt. Vide Thom. pag. 1. 2. q. 24 art. 1. & 2. Nullus ergo in re ipsa dissensus est. Nos tamen Academicorum & Peripateticorum sententiam sequimur, quia & vocem affectus eo sensu capimus quo illi.

IX. Duæ Cautelæ. Prima.

Duo autem hic accuratè observanda sunt. Unum est, aliud esse dicere affectus non esse bonos aut ma-

aut malos moraliter, quatenus sunt affectus, & aliud esse dicere affectus nullo modo esse bonos aut malos moraliter: prius enim verum est, posterius falsum. Sicut enim actiones multæ sunt malæ, & nulla tamen earum est mala quâ est actio: ita etiam affectus mali esse possunt, (& sunt omnes qui contra rationem pugnant) neque tamen mali sunt quatenus sunt affectus. Ita ire aut rem contrectare malum non est, quatenus est ire aut contrectare quippiam, licèt ire in ganeum, & contrectare rem alienam invito domino, malum sit. Ad eundem modo nec irasci aut dolere malum est, quatenus utrumque est tale, licet irasci innocenti aut dolere propter voluptatem amissam malum sit. Quapropter nullo pacto confundenda hæc sunt: Affectus aliqui sunt mali, & Affectus sunt mali, quâ sunt affectus, sicut nec illa confundere oportet: Animalia quædam sunt rationalia, &, Animalia quædam sunt rationalia, qua sunt animalia: si enim ullum animal esset rationale, quatenus est animal, omnia essent rationalia, quod absurdum est. Hoc primum est quod notari debet. Alterum est, recenseri inter affectus sæpe nonnulla, *quorum ipsa nomina implicent pravitatem aliquam*, ut loquitur Aristot. 2.eth. c.6 t.39. Ejusmodi sunt invidia, ἐπιχαιρεκακία, æmulatio, impudentia & similia. Quorum eadem est ratio, quæ nonnullarum etiam actionum, puta scortationis, adulterii, furti &c. id est, plus sunt quam simplices affectus: sicut enim scortatio, furtum &c. non sunt actiones tantum sed actiones exorbitantes & pugnantes cum recta ratione, ita *Altera.*

ne, ita

ne,ita etiam invidia, ἐπιχαιρεκακία, & si quid simile afficit animum, non sunt affectus solum, sed affectus à recta ratione exorbitantes. Patet hoc facile, modo recogites quid ipsa vocabula illa significent: certè enim invidia nihil aliud est quam dolor, qui è commodo proximi capitur, & ἐπιχαιρεκακία nihil aliud quam voluptas percepta ex ejusdem incommodis. Plus utique ergo sunt; quam dolor & voluptas, adeoque plus quam adfectus animi. Quare sicut non sequitur: Omnis dolor qui ex re capitur ob quam dolere non oportet malus est. Igitur dolor simpliciter est aliquid malum: ita quoque inferre non licet hoc pacto: Omnes adfectus exorbitantes ab honestate mali sunt. E. adfectus simpliciter est aliquid malum, vel; Invidia est mala sive adfectus malus. E. adfectus aliquis est malus quatenus adfectus. Noc quequam turbet quod Aristotel. loc. cit. cap. 5. t. 26. etiam invidiam & æmulationem inter cæteros adfectus qui puri puti adfectus sunt, recenset: obiter enim illud factum esse ex verbis quæ statim subjicit & suprà allata à nobis sunt, abunde liquere potest. Nec verò pravitas tantum nominibus nonnullorum affectuum involvitur, sed etiam bonitas moralis. Ita pietas erga parentes & contrà στοργὴ parentum in liberos, affectus sunt, (utrumque enim est amor) & boni quidem: amare enim parentes, amare liberos bonum est. Verùm hic idem valet quod in superioribus: nec enim & isti simplices affectus sunt, cum non sint amare tantum sed ejus amor quod recta ratio

& lex

& lex tàm naturæ quàm divina amari jubet. Tantum de bonitate & malitia adfectuum.

Quinam autem ex iis ad concupiscentem partem pertineant, qui ad irascentem & quo ordine, exponendum deinceps est. Quod ut breviter fiat, observa; partem concupiscentem latius nonnihil patere quam irascentem; quemadmodum docet Thom. loc. c. quæst. 25. art. 1. persecutio enim boni & fuga mali duo includit; quorum unum magis propriè motus est, alterum quasi quies & finis motus. Motum includit amor & desiderium vel etiam odium rei; quietem verò gaudium & dolor, quæ ex re amata vel exosa capimus, Propulsatio autem mali, vel ejus quod impedit bonum, in solo motu consistit, cum finis & quies illius una & eadem sit quæ persecutionis & fugæ: quod si enim propulsando malo sufficiamus; consequimur quod expetebamus & gaudemus; sin minus, tristitia adficimur. His notatis sciendum ad appetitum concupiscentem, prout est in motu, pertinere *amorem, desiderium, concupiscentiam & cupiditatem, odium & aversationem rei*, prout autem vergit ad quietem, *gaudium & delectationem, dolorem & tristitiam*. Ad irascentem verò pertinet *spes ac desperatio, timor, audacia, ira*. Est autem cōcupiscens cum suis passionibus certa ratione prior irascente, & hæc vicissim prior concupiscente. Concupiscēs prior est, si eas spectes passiones quæ in motu tantùm consistunt: neque enim propulsamus impedimentum boni, nisi bonum illud amemus & deside-

Quinam ex adfectibus pertineāt ad concupiscentem appetitum, qui ad irascētem.

Q riosum

riosum sit cum aliàs bona multa relinquamus, & mala etiam ultrò accersamus, quod illa non cõcupiscimus, & hæc, ut par erat, non odimus. Irascens contrà prior est, si passiones illas intelligas quæ ad quietem persecutionis aut fugæ magis pertinent: bono enim acquisito tum demum quis gaudet, aut ob non acquisitum dolet; ubi impedimentum boni removit, vel non removit, è quibus prius illud voluptatem & gaudium adfert, posterius hoc dolorem inurit. Quare hoc ordine adfectus omnes in animo nascuntur. Primò quidem loco est *amor* si objectum sit bonum, *odium* si sit malum. Amorem deinde sequitur *desiderium* sive *concupiscentia*, odium *fuga & aversatio*. Cum desiderio porrò & fuga conjuncta est *spes* & *desperatio*, spes, cum consequi nobis posse videmur quod desideramus aut effugere quod aversamur, desperatio cum contra se res habet. A spe oritur *audacia*, à desperatione *timor* sive *metus*. audaciam excipit *Ira*, si scilicet illa cum spe & odio concurrat. Agmen denique claudunt *gaudium* sive *delectatio* & *dolor* sive *tristitia*. Vide Thom. art. 3. Cajetanus art. 4. ad quatuor genera omnes revocat hoc ordine & serie; vel enim, inquit, dicunt, motum ad bonum, vel motum à malo, vel quietem in bono, vel inquietudinem in malo. Tantum ira, quia ex pluribus affectibus ortum trahit, ad unum horum generum referri commodè non potest.

Ordo adfectuum.

Quatuor genera adfectuũ.

XI. *De adfectibus in specie.*

Hactenus in genere de adfectibus actum est: nunc de singulis breviter dicatur, & primo de iis qui ad

qui ad partem concupiscentem pertinet. Est autem *amor* nihil aliud, quam si bonū aliquod appetitui sensitivo placeat. Dico appetitui sensitivo, nam si placeat voluntati dilectio propriè vocatur; hoc enim dilectio ab amore distat, quod cum electione fiat, adeoque in sola voluntate & rationali natura sedem habeat; quò etiam caritas pertinet utpote species dilectionis; magni enim æstimare quod diligas est carum habere. Ubi distinguendus est amor concupiscentię, (ita appellant,) ab amore amicitiæ, cum enim amor amicitiæ maximè appetat bonum alteri (verus namq; amicus bene vult alteri non propter se sed propter ipsum, ut 8.eth.cap.2.tex.4.habetur) amor concupiscentię contra se habet. Quare hic etiam in utile & jucundum tantum fertur; imò in res etiam inanimatas, quorum utrumq; aliter se habet in amore amicitiæ: similitudo enim amicitiæ & per accidens tantum amicitia est quæ utilitatem aut jucunditatem spectat. 8.eth.ca.3.t.18.& ca.4.t.30. ad res verò inanimatas amicitia planè nulla est, libr.eod.cap.2.t.4. Oritur autem amor ille concupiscentiæ, de quo hîc quæstio tantum est, non tam ex convenientia & similitudine rei cum illo à quo amatur, quàm ex convenientia cum inclinatione ejus: hæc enim appetitionem efficit. Hujusmodi quid est amor. *Odium* est repugnantia appetitus adversus id quod apprehendimus, orta ex incongruitate rei apprehensæ cum appetitu. Posterius est amore naturâ, tum quia malum omne posterius est bono; unde

Adfectus concupiscentis Amor.

Amor concupiscentiæ & amor amicitiæ.

Odium.

& aversatio posterior est rei persecutione, tum quia nihil odio habetur, nisi quod adversum ei est quod amamus. *Concupiscentia* est appetitio ejus quod delectat, 2. rhetor. ca. 12. id est, quod delectationem sensibus creat: nam aliàs etiam ad facultatem rationalem transferri solet. *Fuga* sive aversatio rei concupiscentiæ opponitur, & facilè inde intelligitur. *Delectatio* verò fit quū bono suo jam conjungitur sensus idque percipit. Dicitur aliâs *gaudium*; sed hoc differunt duo ista, quod delectatio exteriorem potius apprehensionem rei, gaudium interiorem sequatur: gaudemus enim ob ea propriè quæ memoria aut imaginatio nobis repræsentat, delectamur iis quæ in sensus ipsos incurrunt. *Dolor* contra & *tristitia* oriuntur quando appetitus conjungitur cum malo idque percipit. Differunt tamen & hæc sicut delectatio & gaudium, ut dolor delectationi, tristitia gaudio potissimum opponatur. Tale quid sunt affectus appetitus concupiscentis, & ita describi possunt.

Concupiscentia. *Fuga rei.* *Delectatio & gaudium.* *Dolor & tristitia.*

XII. *Adfectus Irascentis.* *Spes.*

In irascente primo loco occurrunt spes & desperatio. *Spes* nihil aliud est quàm appetitio boni futuri cum difficultate conjuncti, sed quod consequi tamen possumus. Dico appetitionem boni esse, propriè enim sperantur bona tantum. Addo, futuri, hoc enim differt à desiderio & cōcupiscentia. Dico præterea, cum difficultate conjuncti: quod enim difficultatis aut obstaculi nihil habet ad affectus irascentis partis non pertinet. Addo denique, quod consequi tamē possumus:

mus: impossibilia enim concupisci possunt, sperari nequeunt. *Desperatio* ex descriptione spei intelligitur. *Audacia* est motus qui promptos facit ad aggrediendum quod speramus, id est, ad superandum periculum quod imminet sive quod adeptionem boni alicujus non prohibet. *Timor* sive *metus* est dolor & perturbatio orta ex imaginatione futuri mali, aut ejus quod lædere nos potest, ut describitur 2.rhet.c.5. Postremò *ira* est appetitio cum dolore conjuncta vindictæ sive ultionis propter eam quæ apparet parvipensionem vel in se vel in suorum quempiam non convenientem. 2.rhet. 2. Parvipensio autem illa triplex est, contemptus, incommodatio, injuria sive contumelia. Sed in hac re vide Arist. in rhetor. loc. jam cit. imo de tota ista doctrina integrum illum lib. 2. ab initio usque ad cap. 12. Vide etiam Thom. 1.2. à q. 22. usque ad 49.

CAPUT VII.

De bonitate & malitia morali in homine ejusque animo & actionibus; ubi explicatur quid sit esse bonum aut malum moraliter & quatenus utrumque homini & actionibus humanis competere possit.

SUMMARIA.

1 *Ratio ordinis.*
2 *Descriptio boni.*

3 *Bonum simpliciter & secundum quid.*
4 *Hoc omni Enti competere.*
5 *Quantopere urgeat S. Augustin. omne Ens esse bonum.*
6 *Idem ostenditur ex lumine naturæ, & prima ejus rei ratio.*
7.8. *Secunda & tertia ratio.*
9 *Ostenditur porrò id ex scripturâ.*
10 *Bonum naturale & morale.*
11 *Quomodo voces illæ hic capiantur.*
12 *Quid sit malum.*
13 *Quomodo privationes sint in rebus.*
14 *Discrimen inter bonum simpliciter & secundum quid, item inter nat. & morale.*
15 *De bonitate & malitia in specie.*
16 *Quænam sint moraliter bona & mala.*
16 *Unde æstimetur bon. & mal. moralis.*
18 *Nullam actionem moralem esse indifferentem in individuo.*
19 *Quomodo à bonitate & malit. moral. denominetur.*
20 *Quædam mala esse puras privationes quædam non item.*
21 *Quomodo res malæ sint privativæ.*
22 *Epilogus capitis.*

1. *Ratio ordinis.* POstquam ergò de animi nostri potentiis & facultatibus dictum est hactenus, quæ & cujusmodi sint, quid primum erat in consideratione subjecti Ethices, exponendum deinceps est illud, qui & quatenus tam potentiis illis quam propter eas homini & actionibus humanis ratio hone-

honesti aut inhonesti competat: id enim demum est explicasse objectum hujus disciplinæ, ut statim initio istius libri indicavimus. Etsi autem nihil fortè est cognitu hodie magis necessarium quàm hoc ipsum caput, quando multi ita de rectitudine ac pravitate actionum humanarum, deque vitiis & vitiosis habitibus disputant, ut ipsos illos terminos, quorum intellectus ex hac disciplina petendus erat, planè ignorare deprehendantur: tamē ne justo diutius non moremur, paucula tantum, sed præcipua afferemus, quæ ad istam materiam pertinent, unde de cæteris judicari poterit. Et ut ordine procedamus, ostendetur primò, quot modis in universum dicatur aliquid bonum aut malum, inde usq; enim hæc hic repetenda nobis videntur; deinde quia multipliciter bonum dici deprehendemus, judicabitur quid inter bona illa omnia intersit. Tertiò agetur sigillatim de bonitate morali, & ostendetur quibus rebus illa insit & quomodo à bonitate essentiæ aut naturæ, cui inest, distinguatur, ac denique quomodo actionem potentiam vel habitum aliquem denominet.

Principio igitur supponenda est descriptio boni, quodq; bonum sit quidquid rationem habet appetibilitatis alicujus, sive congruentiā cum aliquo appetitu, ut docetur 1. eth. cap. 1. tex. 1. & multis explicatur in Metaphys. tale quid enim esse bonum apud omnes tàm Theologos quam Philosophos in confesso est. Potest verò ita dici aliquid simpliciter vel secundum quid: bonum simpli-

II. Descriptio Boni.

Bonum simpliciter & secundum quid.

ſimpliciter aliquid dicitur, vel propter qualitates vel operationes ſuas, ſecundum quid, propter ipſum eſſe tantum. Patet hoc ex natura perfectionis: ſicut enim perfectum aliquid abſolutè & ſimpliciter vocatur propter quippiam eſſentiæ ſuæ ſuperadditum, ipſi autem eſſentiæ perfectio tribuitur ſecundum quid tantum, & quatenus τὸ eſſe *omni perfectioni alii ſupponitur*, ut loquitur Javel. 4. Metaphyſ. q. 3. ita etiam res ſe habet de bono: bonitas enim & appetibilitas rei tota à perfectione ejus eſt, cum appetitus non appetat niſi id in quo perfectio aliqua eſt, ſive à quo appetens perfici certa ratione poteſt. Docet id eleganter Thom. p. 1. qu. 5. art. 1. in corp. *Bonum dicit rationem perfecti quod eſt appetibile, & per conſequens dicit rationem ultimi unde id quod eſt ultimò perfectum dicitur bonum ſimpliciter: quod autem non habet ultimam perfectionem, quam debet habere, quamvis habeat aliquam perfectionem in quantum eſt actu, non tamen dicitur perfectum ſimpliciter nec bonum ſimpliciter, ſed ſecundum quid. Sic ergo ſecundum primum eſſe, quod eſt ſubſtantiale, dicitur aliquid* Ens *ſimpliciter, & bonum ſecundum quid, id eſt, in quantum eſt* Ens: *ſecundum verò ultimum actum dicitur aliquid* Ens *ſecundum quid, & bonum ſimpliciter*; Hæc Thomas.

III. Bonum ſimpliciter dictū notius eſt bono ſecundum quid.

Cæterum de bono ſimpliciter ita dicto difficultas eſſe nequit: nihil enim eo vel in vulgus notius eſt. Ita e. g. intellectus, ſenſus, ſapientia, ſanctitas, beatitudo, bona valetudo, item ipſum intelligere, videre, audire, loco moveri poſſe, res bonæ in homine ſunt omnium confeſſione, & tamen

tamen non sunt ipsa essentia ejus, sed partim qualitates quædam, partim actiones. Imò hæc acceptio vocis tantùm non sola vulgo obtinet: unde etiam quæ hac ratione bona dicuntur simpliciter bona vocari diximus. Sed nec difficulter & altera acceptio intelligitur, sive, dici rem bonam etiam ratione ipsius Esse, vel essentiæ suæ: cum enim de rebus omnibus ita comparatum naturâ sit ut τὸ Esse quidem appetant, & destructionem sive non esse abhorreant, ipsum quoque Esse rei cujusque appetibile & bonum sit oportet. Vocatur tamen bonum secundum quid, non quod verè bonum non sit, sed quod significatio vocis illa adeo vulgata non est ut altera, & semper aliqua particula distinctiva adhibetur cum hoc modo aliquid bonum vocamus. *Vnde dicatur bonum secundum quid.*

Competit autem hæc bonitas omni Enti, qua Ens est, & omni omnino quod Esse aliquod habet, sive cæterâ etiam bonitate præditum sit, sive non sit: unde alias bonum *transcendentale*, substantiale & essentiale appellatur. Estq; hoc tam certũ non tantum si lumen naturę consulas, sed & si sacram scripturam, ut nec Theologus quisquam nec Philosophus unquã ea de re dubitarit: hinc enim extructa sunt illa axiomata apud Philosophos: *Ens & bonum convertuntur, Quantum quid habet de Entitate, tantum habet de bonitate,* & apud Theologos: *Omne Esse, in quantum est Esse, bonum est, Omnis natura, quâ natura est, bona est.* Hinc etiam illud utrique confecerunt, male omne & omnem in rebus pravitatem, aut corruptionem, quatenus *IV. Illud omni Enti cõpetere.*

 talis

Negare omne Ens qua Ens bonum esse, hæresis est Manichæorum.

talis est, pertinere certa ratione ad non-Ens sive ad non Esse, idque ut præcipuum fundamentum præstruxit disputationibus suis etiam contra hæreticos Ecclesia Catholica. Namq; ut obiter hoc dicam, idipsum erat quod impugnabat olim Manes & Manichæi, & ideò duo principia rerum coæterna constituebat, unum boni, alterum mali; quia ipsi etiam malo, quâ malum est, veram & realem essentiam tribuebant: hoc enim volebât, cum *animas nonnullas malas esse diceret eò quod essent animæ, & vitam illarum malam eò quod vita esset, &c.* ut ignorare non potest qui legerit quæ contra Manichæos B. Augustin. scripsit. Quæ hæresis ideò pessima omnium est quia Diabolum creatorem facit. Vnde Bonav. 2. d. 1. artic. 1. credere se dicit, *eum errorem non humanam malitiam sed diabolicam astutiam adinvenisse, ut se alterum Deum esse peccatorum mentibus persuaderet.* Et iterum art. 2. q. 1. ait, *non posse se sibi persuadere hanc hæresin repertam ab homine qui aliquo tantum modo Philosophiam didicisset.* Hinc etiam D. Thom. 2. 2. q. 10. art. 6. dicit *Manichæos circa credibilia plus errare quàm ipsos gentiles,*

Diabolum creatorem facit.

Bonaven.

Thom.

V. Et sanè errore tanto semel admisso, sive Esse intelligas substantiale, sive accidentale, modò sit verum & reale, fieri nequit quin cætera quoque absurditas & impietas, velis nolis, actutum sequatur: *Solus enim qui summè est facit Esse quicquid aliquo modo est*, inquit B. Augustin. lib. 22. de civitate Dei cap. 24. Quod & ille unicè urget omnibus scriptis contra Manichæos, sicut & illud caput, quod omne malum, omnis corruptio & pravitas

Quantopere S. August. urgeat omne Ens bonum esse.

vitas ad non-Ens pertineat. *Malum*, ait lib. de natura boni contra Manichæos cap. 3. *est nihil aliud quam corruptio vel modi vel speciei vel ordinis naturalis. Mala itaq; natura dicitur quando corrupta est: nam incorrupta utiq; bona est. Sed etiam ipsa corrupta in quantum natura est, bona est, in quantum corrupta est mala est.* Et contra epist. Manichæi cap. 40. *Quisquis non credit ex nihilo esse corruptionem, proponat sibi hæc duo, Esse & non Esse, quasi ex diversis partibus, intelligendi gratia, ut cum tardis tardius ambulemus: deinde velut in medio constituat aliquid, utpote corpus animantis, & quærat hoc secum, dum formaliter illud corpus & nascitur, dum augetur, firmatur, in quantum manet & in quantum stabilitur, in quam partem tendat, utrum ad Esse, an non Esse è non dubitabit quidem esse aliquid in ipsis etiam primordiis, sed quantò magis forma & specie & valentia stabilitur atque formatur, tantò magis fieri ut sit & in eam partem tendat quâ positum est esse. Nunc ergo incipiat corrumpi, debilitetur omnis ille status, langueſcant illa vires, marceſcat robur, forma fœdetur, dissiliat compago membrorum, contabeſcat & defluat concordia partium: quærat etiam nunc, per istam corruptionem quò tendat utrum ad Esse an non Esse: respondeat, & non sentiat quantò magis quid corrumpitur, tanto magis ad interitum tendere. Omne autem quod ad interitum tendit ad non Esse tendit.* Item paulo post: *Cum ista proposueris, Esse & non Esse, atque cognoveris, quanto augetur species tantò magis quodque tendere ut sit, quantò autem magis augetur corruptio tanto magis tendere ut non sit, quid dubites dicere in unaquaq; natura corruptibili quid in ea sit ex Deo, quid sit ex nihilo, cum species secundum naturam*

turam sit, corruptio contra naturam, quia species aucta cogit Esse, & Deum fatemur summè Esse, corruptio vero aucta cogit non Esse, & constat, quod non est nihil Esse, Rursus lib.12.confess.c.7 *Vnde utrunq; erat*(materia prima, quàm dixerat esse propriè nihil)*nisi à te à quo sunt* OMNIA *in quantumcunq;* SUNT? Et ibid. c.11. *Dixisti mihi Domine voce forti in aurem interiorem quod omnes naturas atq; substantias, quæ non sunt quod tu es, & tamen sunt, tu fecisti, & hoc* SOLUM *à te non est quod* NON EST Et cap. 15. *Tamen hoc penè nihil, in quantum non omninò nihil erat ab illo utique erat à quo est quidquid est quod utcunq; aliquid est.* Item lib.13. Confess.cap.31. *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis, per quem videmus, quia bonum est quicquid* ALIOQUO MODO EST *.ab illo enim est qui non aliquo modo est, sed quod est, est.* Et de ver.relig. c.11. *Quis est nisi unus Deus, una veritas, una salus omnium & prima atque summa essentia, ex qua est* OMNE QUICQUID EST, *in quantum est, quia in quantum est, quidquid est, bonum est. Et ideò ex Deo non est mors: non enim Deus mortem fecit nec lætatur in perditione vivorum, quoniam* SUMMA ESSENTIA EST FACIT OMNE QUOD EST, *unde & essentia dicitur.* Plura loca coacervare non libet, sed ad institutum redimus.

VI. Ostenditur idem ex homine natura.

Diximus bonum aliquid vocari etiam ratione Esse sui, idq; omni omninò rei competere, quatenus verum & reale Esse aliquod habet (verum inquam & reale Esse) idque tam certum habitum semper fuit, non tantum apud Ethnicos, sed & Christianos ut nisi hæreticus nemo contrarium

rium docuerit. Poteſt autem facile evinci ita rem ſe habere, cùm ex S. Scriptura tùm ex naturæ lumine: Ex naturæ lumine ita hoc demonſtratur; *Primò*, Quicquid habet Eſſe reale, id aut à ſeipſo illud habet aut ab alio, ſive quod idem eſt, illius Eſſe aut eſt dependens aut independens, vel datur tertium: tertium autem dari non poteſt, quia termini contradictorii ſunt. Ergo. Porrò ſi nihil habet verum & reale Eſſe niſi id ſit vel independens, vel dependens, nihil habet tale Eſſe niſi quatenus eſt vel ipſa prima cauſſa, vel ejus effectus. Sed verum prius. Ergo & poſterius. Pergo: Si nihil habet Eſſe reale niſi quatenus vel eſt ipſa prima cauſſa vel ejus effectus, omne Eſſe reale bonum eſt; independens quia Deus ipſe eſt; dependens verò, quia à Deo eſt. Dico, quia à Deo eſt: quatenus enim quid ab ipſo eſt eatenus ſine omni controverſia bonum eſt. *Prima ratio.*

Secundò; ſi datur Eſſe aliquod reale quod eſt malum, ut eſt Eſſe, illud eſſe denuò vel eſt ab alio vel à ſeipſo. Sed nec à ſe ipſo nec ab alio. E. tale Eſſe non datur. Major manifeſta eſt, ut & ſupra patuit. Minorem ita probo. Primo, non eſt Eſſe illud malum à ſeipſo: nam ſi eſt, datur utique eſſentiale & ſummè malum, datur prima & æterna cauſſa mali æquè ut primum & æternũ principium boni. Sed hæc abſurdiſſima & impiiſſima ſunt. Ergo. Conſequentia majoris perſpicua eſt: malum enim habere eſſe à ſeipſo eſt Eſſentiale malum eſſe, eſt eſſe cauſſam primam mali eo modo quo Deus eſt cauſſa prima boni, eſt deniq; ab VII. *Secunda.*

ætær-

æterno tale fuisse, quia quod Esse à seipso habet nunquam fieri potuit. Deinde non est Esse illud ab alio? vel enim est à prima rerum causa vel à secunda. Sed nec à prima, nec à secunda, E. non est ab alio. Major manifesta est. Minor ita explicatur. Non est à prima, quia illa est Deus; sed nec à secunda, nam omne Esse reale quod producitur vi primæ: ut enim Esse ipsa habet ab illa, ita nec impertitur Esse aliis nisi potentia sibi à prima caussa inditâ. Vnde est quod non minus creaturæ Dei sint quæ à causis secundis esse habent quàm quæ immediatè à Deo ipso.

VIII. *Tertia.* *Tertiò* denique si Esse aliquod est malum quà est Esse, jam Esse illud aut est substantiale aut accidentale. Substantiale non dices; neque enim vel substantiarum corporearum vel incorporearum ulla est, quin Dei creatura sit, ut est etiam ipse Diabolus. Sed nec accidentale, quod ita probo: primò si Esse accidentale est malum quà est Esse accidentale, jam etiam Esse substantiale tale est; accidentis enim Esse à & per substantiam est; sed esse substantiale non est malum quà est tale; Ergo nec accidentale. Deinde si Esse aliquod accidentale est malum, quà est tale, jam vel Quantitas vel Qualitas vel actio vel passio vel situs &c. mala sunt quâ sunt talia. Sed nemo dicet quantitatem quâ est quantitas, qualitatem qua est qualitas, vel actionem quà est actio tantùm malã esse; non eò quod aliqua quantitas, aliqua qualitas, aliqua actio est mala. Ergo nec Esse accidentale ullum est malum qua est tale. Porrò si Esse aliquod

aliquod accidentale est malum quâ est tale jam ejus caussa vera & realis Esse substantiæ aut per se aut per accidens. Sed non per se: bonum enim quâ tale non potest esse causa mali. Nec per accidens: cujuscunque enim effectus nulla caussa per se est, illius nec est caussa per accidens, cum hæc illam præsupponat & cum respectu ad eam dicatur; ut vel ex secundo Physicorum c. 6. tex. 66. constare potest. Atque ita hoc ex lumine naturæ ostenditur.

Idem docet S. Scriptura Psal. 146. 6. *Dominus fecit cœlum & terram mare &* OMNIA *quæ in eis* SUNT. Johan. 1. 3. OMNIA *per ipsum* FACTA SUNT *& sine ipso factum est nihil quod factum est.* Act. 17. 24. *Deus fecit mundum &* OMNIA *quæ in eo* SUNT v. 28. *In ipso* VIVIMUS MOVEMUR *&* SUMUS. Et Sapient. 11. 25. *Diligis omnia quæ* SUNT *& nihil abominaris eorum quæ fecisti.* Argumentor hinc ita: Si Deus fecit cœlum terram mare & omnia quæ in eis sunt, nihil habet Esse in tota hac universitate, quin illud ab ipso factum sit & eatenus certa ratione sit bonum. Sed verum prius: Ergo & posterius. Consequentia majoris evidens est. Si enim omnia quæ sunt fecit, E. nihil vere est quin fecerit. Et ne de Esse substantiali tantum hæc intelligas pergo sic; Si nihil movetur, nihil vivit nisi in ipso. E. etiam Esse accidentale, quatenus est Esse aliquod, à Deo est & certa ratione bonum. Sed nihil movetur, nihil vivit nisi in ipso. Ergo. Sed neq; de rebus quæ alias simpliciter bonæ dicuntur omnia hæc accipienda esse, verum

IX. Ostenditur etiam ex scripturâ.

verum etiam de malis, ut habent verum & reale esse, ita patet. De substantiis difficultas non est; non minus enim etiam pessimi nebulonis substantia creatura Dei est quàm substantia sanctissimi mortalium. De esse accidentium malorum ita probatur: omne moveri & vivere nostrum est à Deo, ut dicit scriptura: Sed omnis etiam malus motus & omne malum vivere est moveri aliquod nostrum & vivere nostrum: E. etiam omne moveri & omne vivere malum est certa ratione à Deo. Minimè autem quà est malum: (absit enim hoc longissimè.) Ergo eatenus saltem quatenus simpliciter est vivere & moveri. Si vivere & moveri etiam quod est in malis certa ratione est à Deo. E. accidens sive esse accidentale, qua est tale, etiam in rebus malis est à Deo; non minus atque esse substantiale in malis substantiis est ab ipso: quatenus autem à Deo est, bonum est. Tantum est de prima distinctione boni sive de bono simpliciter ita dicto & bono secundum quid: unde liquere jam puto quidnam utroque nomine denotetur & quàm latè termini illi pateant.

X. *Bonum naturale & Morale.* Cæterum bona simpliciter ita dicta rursus distinguuntur in naturalia & moralia. *Naturale* bonum dicitur quidquid rei naturam in se perficit, sicut bonum est animali sanitas; homini acumen ingenii, sapientia & similia. *Morale* nunc voco rectitudinem quæ in moribus requiritur sive conformitatem animi ejusq; facultatum & actionum cum voluntate Dei, id est, lege naturæ & di-

& divina. Eo modo bonum est homini pietas, virtus, & quæ sunt his affinia. Quod ut paulo uberius exponatur, sciendum est omnis creaturæ bonitatem collocatam esse in creatore: cum enim summum bonum sit quod omnia appetunt, ab omnibus autem appetatur; certe appeti debeat; illud quod omnium principium est, felicitas quoque & bonum creaturæ maximum est *rei cuiusque reditus ad suum principium.* Principium autem hoc est Deus: quare is quoque finis omnium est & quies & absoluta felicitas, ut præclarissimè hoc deducit Johan. Picus Mirandul. l. heptapli in proœmio. Potitur autem illa bonitate creatura, vel quatenus ipsum Esse suum accipit à Deo, & eatenus similitudinem ejus gerit, (accipio enim nunc vocabulum similitudinis latissimè) vel quatenus per studia & actiones suas ad eum enititur & assurgit. Priori modo participat bonitatem creatoris omnis omnino creatura; posteriori tantum intelligens. Quæ cum ita sint facilè patet non tantum ea dici bona in creaturis, quæ Esse & naturam earum perficiunt in se, id est, eo pertinent, ut illam absolvant tantum & conservent, sed etiam & maximè; quæ naturam dirigunt ad Deum, cumque eo quasi consociant & uniunt. Si enim duplex est hic finis creaturæ intelligentis, esse & ordinari ad Deum, duplex etiam bonum ejus sit oportet. Quicquid ergo rem & naturam creatam perficit, ita ut finis ejus sit perfectio naturæ in se, bonum naturale dicitur; quicquid vero ita eam perficit ut creaturam illam ordinet in Deum, bonum est

Omnis creaturæ bonitas sita est in creatura.

R mora-

Quæ sint bona naturalia. morale. Bona primi generis sunt omnes perfectiones non rerum inanimatarum tantum, sed etiam animatarum, imo non corporearum solum sed etiam incorporearum, quæ essentiam cujusque rei in se & absolvunt & complent: nec tantum quæ à natura sunt, sed & quæ industria nostra parantur, vel aliunde accedunt. Ità in homine non tantum bonum quippiam est intellectus ipse, sed omnes etiā habitus ejus qui ad naturam hominis perficiendam aliquid faciunt.

Quæ moralia. Bonum posterioris generis est quicquid & quatenus ex his vel aliis perfectionibus in creatura intelligente ordinem habet ad Deum & voluntatem ejus. Sic intellectus hominis quatenus scit quæ scire lege Dei tenetur, voluntas item & appetitus ejus sensitivus, quatenus amat & appetit quæ lege Dei congruunt, & fugit quæ ei adversantur, bonitatem moralem habet. Estq; eadem ratio etiam de angelorum voluntate.

XI. *Vocem naturalis hic late accipi, ut & moralis.* Ubi nota vocem *naturalis* accipi hic late, prout denotat quicquid præcise habet ordinem ad essentiam subjecti cui inest, vel omne id cujus finis est simpliciter complementū illius essentiæ, sive in rebus corporeis (quæ cæteroqui propriissime dicuntur naturales) reperiantur, sive in incorporeis, sive denique è natura ipsa rei ultro emergat, sive ei aliunde ingeneretur aut infundatur; sicut & *morale* hic vocatur omne quod ordinem habet ad aliquid extra rem cui inest, id est, conformitatem aliquam ducit cum voluntate & lege Dei, sive conformitas ea à naturæ principiis oriatur, sive itidem aliunde & extrinsecus subjecto ad-

cto adveniant. Tale quid ergo est bonum naturale & bonum morale. Vtrumque autem horum certo modo & eminenter, ut ita dicam, includit bonum supernaturale, de quo in scholis Theologicis agitur: etsi enim hoc tum ratione causæ efficientis tum dignitatis toto genere differt ab iis bonis quæ natura à rebus insunt, aut etiam natura duce parari possunt, tamē quia nec ex bonis illis est ullum, quin vel naturam hominis aut angeli perficiat in se, vel certe in ordine ad Deum, priori modo cum naturalibus, posteriori cū moralibus conveniunt. Sic omnis cognitio veritatis revelatæ, quatenus est cognitio tantum perficit intellectum ad modum bonorum naturalium: omnis autem virtus Theologica ut fides, charitas, spes & actiones ab iis profectæ, ad modum boni moralis: unde etiam per voces ejusmodi in scriptura explicantur. Dico, *ad modum boni moralis:* nam communiter alias vox moralis pressius accipitur pro eo tantum quod per lumen & vires naturæ agitur. Vnde Gregorius de Valentia tom. 1. disp. 2. q. 13. p. 1. *Posset quidem*, ait, *id vocabulum tribui etiam his actionibus quæ à voluntate humana supernaturaliter adiuta geruntur, siquidem iis etiam contingit hominem adsuescere. Et illæ quoque sunt hominis actiones tanquam ratione & voluntate utentis. Sed usus jam fere obtinuit ut illæ duntaxat actiones dicantur morales, quæ viribus naturæ solis exerceri possunt, aliæ autem dicantur supernaturales, quasi à moralibus distinctæ.* Atque ita patet quot modis in universum aliquid dicatur bonum. Idque primo erat nobis exponendum.

Bonum supernaturale.

Quid aliàs propriè dicatur morale.

XII. *Quid sit malum.* Vnde jam de malo etiam facile judicari potest: ut enim malum omne dicit absentiam boni & bono posterius est; ita nec intelligi potest quid vocetur malum nisi prius explicatum & constitutum sit quid dicatur bonum. Primo autem id liquet ex superius dictis, malum omne cuicuimodi sit, quatenus est tale Esse aliquod reale non habere, sive quod idem est, esse non-Ens. Quod si enim omne Ens tale quâ est Ens, sive Esse substantiale habeat sive accidentale, bonum est, qua tale, ut multis antea ostendimus, oportet utique malum quatenus est malum, Ens reale non esse. Si Ens non est, erit non-Ens. *Esse non Ens.* Verum non-Ens triplex est negativum, privativum & Ens rationis. Non Ens negativum vocatur cum simpliciter res dicitur non esse; privativum cum quid dicitur id non esse quod esse debebat aut esse poterat: Ens rationis, cum quid esse concipitur quod revera non est. Non potest autem malum esse nonEns negativum primo enim plane non esset: malum autem suo modo est in rebus: secundo malum non dicitur, cum non est in re quippiam quod nec esse oportebat. Ita malum non est homini quod incorporeus non sit, nec ligno quod non videat: neq; enim aut homo incorporeus esse, aut lignum videre debebat. *Non negativum tamen sed privativum.* Tale vero non Esse dicit non Ens negativum; quare illud non est malum. Relinquitur itaque ut malum sit non Ens privativum, vel Ens rationis. Et hæc respexit Aristot. 9. metaph. cap. 5. text. 19. cum nihil malum esse diceret præter res: quanquam enim etiam privatio (nam Ens rationis

tionis huc non pertinere hactenus manifestum est) dicat non esse (non Ens enim est) vere tamen invenitur in rebus suoque modo iis inhæret & eas denominat, quæ omnia de non Ente negativo dici nequeunt. Ita homo malus est si non faciat quod honestas jubet; at bestia propterea mala non est, etsi neque hæc illud agit. Quid causæ vero est quod illud non facere uni subjecto malum est, alteri non est? certe aut nulla aut hæc causa est, quod non facere illud in homine est privativum, in bestia negativum tantum: ille enim poterat & debebat facere, hæc nec poterat nec debebat. Vide Thom. parte 1. quæst. 18. artic. 2. & 3. Ita patet quare non Ens negativum non dicatur malum, sed privativum.

XIII. *Quomodo privationes sint in rebus.*

Ubi tamen recte intellige, quod diximus, privationes in rebus esse & revera inveniri, imo certo modo iis inhærere easque denominare: cum enim dupliciter aliquid dici possit esse, ut docet Aristot. 5. Meth. text. 14. uno modo prout est in prædicamento aliquo, id est, cum ipsam Entitatem rei denotamus, alio modo prout intelligamus veritatem propositionis, privationes dicuntur esse in rebus posteriori modo, hoc est, non quod verum & reale Esse habeant, sed quod vere subjectis competant, ut id explicat Thomas loco citato art. 2. Cajetan. ita hoc exprimit. *Dicuntur mala in rebus esse non positive sed remotive, id est, non ponendo sed removendo formaliter aliquid à rebus. Et sic mala inveniuntur in rebus ut mala.* Hæc ille. Quod hic ideo probe notandum est, ne

quis tam absurdus sit ut privationibus Esse reale ea de causa tribuat quia in rebus insunt, aut arguetur, positivum aut hoc illud esse, quia suo modo rei inexistat aut tenaciter inhæreat. Certe cæcitas nuda privatio est & tamen tam tenaciter inhęret oculo (loquor de consummata cæcitate) ut tolli inde nunquam nisi sola virtute divina possit. Similiter etiam ipsis paralysis perfecta, ubi semel membrum aliquod insederit, nunquam inde nisi morte avellitur, & tamen nihil aliud est quam privatio influxus spirituum animalium. Imo si inde concludendum est aliquid privativum non esse, ut quidam facit, quia *totum subiectum o.cupet & corrumpat*, iam nec mors amplius privativum quid erit. Hoc primo nota. Deinde & illud, etsi privationes multæ denotentur certis vocabulis, id est apud Latinos per præpositionem, ut vocant, inseparabilem In apud Græcos per α στερητικὸν, ut diximus, *insanus, iniustus, ἄνους, ἄμορφος, &c.* id tamen semper non fieri, ut ex ejusmodi vocabulis tantum dijudicari nequeat quid privativum sit, quid non sit. Nam hoc pacto non tantum cœcitas, mors, tenebræ, surditas & infinita alia, quæ omnium sanorum judicio privationes sunt, id est, non esse rem aliquam in subjecto sed deesse, arguunt, è numero privationum ejiciatur; sed ex ea ratione & forma vocum etiam Deo privationes tribuere liceat, quod infinitus, immortalis & incorporeus sit. Sed hoc quam inscite fieret, imo impie, nemo non videt. Atque ita constitutum esto malum omne, qua tale,

Privationes sunt etiam quæ per vocabula privativa non exprimuntur.

rale, esse privativum. Quotupliciter autem dici possit sic habe. Malum omne, ut ostendimus, est privatio boni: prout ergo bonum dispescitur ita & malum distinguatur oportet. Tantum bono secundum quid sive transcendentali & essentiali malum nullum respondet: neque enim ut ipsum esse simpliciter est bonum ita & ipsum simpliciter non-Esse malum est: nam simpliciter non esse non-Ens negativum est. Restat ergo ut malum opponatur tantum bono simpliciter dicto. Ut autem hoc duplex est ita etiam malum: vel enim abest perfectio aliqua quæ perficit naturam in se, & est malum naturale vel habetse ad modum mali naturalis, vel abest perfectio quæ quæritur in ordine rei ad Deum & vocatur malum morale. Concludemus primam hujus capitis quæstionem, si id adhuc mo nuerimus, omnia quæ de multiplici differentia boni aut mali dicta sunt hucusque ad creaturas pertinere: in Deo enim differentiæ illæ statui non possunt, cũ sit ipsa bonitas, & Esse ejus omnem bonitatem eminentissime includat, tam quæ secundum quid ita vocatur in creaturis, quàm quæ simpliciter bonitas dicitur: malum autem nulla ratione in ipsum cadit.

Quotuplex sit malum.

XIV. Quãtum discrimen sit inter bonum simpliciter & secundum quid.

Hactenus explicatum est quot modis aliquid in universum dicatur bonum aut malum: ostendamus nunc porro quid inter omnes illas differentias bonorum & malorum intersit. Este eutem magnum discrimen primo inter bonum secundum quid & bonum simpliciter dictum

ctum, deinde etiam inter bonum naturale & morale ex supra traditis proclive est animadvertere. Certe inter bonitatem transcendentalem & bona simpliciter dicta tantum interesse oportet, quantum inter esse simpliciter & esse tale vel tale. Ita aliud est hominem esse & esse eum ingeniosum sanum aut virtute præditum; aliud item, esse actionem simpliciter & esse actionem justam, aliud habitum esse & esse habitum virtutis. Bonitas autem naturalis & moralis eo usque distant, ut sæpe etiam reapse disjungantur. Sic pessimus nebulo nonnunquam sanitate, robore corporis, mentis acie, & felicitate ingenii maxime excellit, id est, bona habet naturalia multa, nec bonitatis moralis tamen vel micam possidet; sicut & contra vir optimus sæpe caret cunctis illis & tamen virtutem sive bonum morale habet. Imo non tantum bonum morale & naturale à se invicem, sed utrumque etiam aliquomodo ab ipso transcendentali separari potest: si enim exempli gratia nec ab ingenio quis valeat, & totus morbis, neque non & animi vitiis sit coopertus, destituitur ille utique bonis naturalibus multis & moralibus omnibus, sed bonitatem tamen essentialem retinet, id est, si malum est quod hebeti ingenio sit, quod morbis & vitiis scateat, non tamen propterea quod homo est, quod vivit, quod vegetatur, &c. malum est. Ita discriminantur bona. Quemadmodum autem hæc distinguuntur ita oportet discerni & mala. Sic malus dici quisquam potest ratione corruptorum morum, in quo tamen bona

Item inter bonū naturale & morale.

Similiter discriminari mala.

bona multa reperias ex eo genere quæ naturalia vocantur: mala etiam multa quis habere, puta morbos, hebes ingenium, &c. qui tamen optimus sit moraliter: malum denique aliquid dici ratione utriusque corruptionis & defectus, cujus tamen ipsum Esse reale, quatenus tale est, malum propterea non est. Imo totus malus quis dici potest moraliter, qui tamen naturali bono & essentiali non caret, sicut totum animal cœcum dicitur, cujus oculi cœci tantum sunt, quod cœcitas non nisi ad oculos pertineat.

XV. *Agitur in specie de bonitate & malitia morali.*

Quibus expositis (nam his cætera ut fundamentis innituntur) pressus nunc res urgenda nobis est, &, quod maxime instituti nostri erat, de bonitate ac malitia morali in specie tractandum. Vbi supponimus, quod ante ostensum est, bonum moraliter in creaturis nihil dici, nisi quatenus habet ordinem aliquem ad Deum & convenientiam cum ejus lege. Vnde id primo efficitur non posse bonum aut malum morale inveniri in alia creatura præterquam intelligenti. Causa in promptu est: nec enim primo aut per se conformari ad legem aliquam, vel ulla actio, vel quidquam aliud in re potest, sine legis illius cognitione & libertate aliqua; ut nec contra exorbitare à lege dici quicquam potest sine aliquo respectu ad utrumque, sive ad sit jam actu in subjecto cognitio & libertas illa, sive fuerit, sive etiam esse potuerit, modo adesse debeat. Cognitio autem illa & libertas non est nisi in intellectu præditis, ut partim per se patet, partim supra demonstravimus. Nulli ergo bruto animali,

Eam non esse nisi in intellectu & libertate præditis

multo minus rebus inanimatis, bonitas aut malitia moralis cōpetit, imo nec homini nisi respectu earum facultatum, quæ sunt rationis aliquo modo participes. Vnde si homo male nutritur, si ventriculus male concoquit, tibia curva est aut oculus cœcus, malum hoc non est moraliter, sicuti nec his opposita, bona sunt in isto genere, ut propterea quisquam laudetur aut reprehendatur. Hoc primum est. Deinde & illud inde deducitur, veram & internam rationem boni & mali moralis in sola illa conformitate cum recta ratione & lege, aut exorbitantia ab ea, consistere. Dico internam hanc esse rationem ejus: quod si enim id externum est, ut quidam vult, ecquid internum erit? Certe ne fingi quidem potest quid vocandum sit bonum & malum in hoc genere aliud, nec si per hunc respectum describi alterutrum potest: vel si potest, ostendendum sit quid præter exorbitantiam à lege & justitia divina in rebus malum esse aut culpæ rationem obtinere queat. Sane sicut optima est actio civiliter, & optima vita, quæ legi naturæ examussim respondet, & actio aut vita optima Theologice, quæ exacte quadrat ad legē divinam: ita & quicquid malum est tam civiliter in genere morum quam Theologice, eo malum est, quia à lege alterutra vel utraque exorbitat. Hoc alterum est quod notari hic debet. Vnde tertio evincitur formalem rationem omnis boni moralis consistere in conformitate illa cum lege & formalem rationem omnis mali moralis in exorbitantia aut defectu ab ea. si enim ideo tantum res est bona aut mala

Vera & interna ratio boni moralis.

mora-

moraliter, quia legi conformis aut inconformis est, formalis hæc est utriusque ratio. Quod ut intelligas, observa, quidnam in re aliqua formale dicatur. Constat autem vocem hanc desumptam initio esse à rebus physicis: sicut enim ibi pars essentiæ rei, quæ cõmunis est cum rebus aliis, materia dicitur, forma autem id tantum, quod rem illam ab alia discriminat & separat: ita per analogiam & docendi gratia in cæteris etiam rebus omnibus materiale vocatur quicquid commune res una habet cũ altera, formale quod proprium ei est, sive per quod maxime est quod est. Sic natura animalis in homine pertinet utique ad esse ejus (homo enim est animal) sed communẽ homo eã habet cũ equo, leone, &c. quare materiale hominis dicitur. Ratio autem sive natura rationalis formale ejus est: ita enim ad esse hominis pertinet, ut per eam maxime sit, quod est, & à cæteris animalibus omnibus distinguatur. Quare etiam homo, etsi vere est animal, non tamen est homo qua animal, sed qua est rationalis. Formale itaq; rei, ut patet, non est tota ejus essentia, aut quidditas, sed id tantum quod communẽ naturam ejus ad certam speciem redigit & à cæteris discriminat. Quapropter cũ ajo, formale rei moraliter bonæ esse præcise conformitatẽ cum lege, & formale mali moralis exorbitantiam à lege, id dico, omnem rem moraliter bonam eo bonam esse, quod legi naturæ aut divinæ conformis sit, & omnem rem moraliter malam eo esse malam quod exorbitat à recta ratione & lege naturę aut divina, eique inconformis sit.

Quid vocetur formale & materiale in re.

Quid sit formale rei moraliter bonæ & malæ.

Qui-

Quænam sint moraliter bona & mala.

Quibus ita consideratis, jam quarto & hoc facile intelligitur, cum conformitas illa & exorbitantia reperiantur in multis diversis rebus, multa quoque & diversa esse posse bona aut mala moraliter. Iam tam omissio rei quam commissio, tam ineptitudo ad faciendum aliquid, quam aptitudo ad faciendum contrarium, conformis aut inconformis legi esse potest, quare & omnia hæc vere moraliter bona aut mala esse possunt. Nec obstat quod Formale boni est conformitas tantum, aut Formale mali exorbitantia sive defectus: nam sicut qui omittit quod lex vetat, conformiter legi vivit tamen, ita & qui agit quod lex vetat, aut qui repugnat legi exorbitat sive deficit à lege: imo hoc est magis deficere in genere morum, quam alterum. Quod in proclivi est ostendere. Moralis bonitas & malitia, ut constat, non attenditur ratione perfectionis aut imperfectionis naturalis sed moralis: bonitas enim moralis & naturalis toto genere distinctæ sunt, sicut & malitia. Non est autem perfectio moralis nisi quæ consistit in congruentia rei cum justitia & lege, neq; imperfectio, nisi quæ in discrepantia ab ea, ut totius jam diximus. Quo igitur quid minus congruum est legi eo major est in ipso defectus. Hinc sic argumentor: Quo quid minus congruit legi naturæ aut divinæ, eò magis deficit in genere morum. Sed repugnare legi, aut facere quod lex vetat, minus congruit legi naturæ aut divinæ, quam non facere id quod lex jubet. E. illud magis deficit in genere morum. Ita non dare eleemosynam pauperi,

Moralis bonitas non attenditur ratione perfectionis naturalis.

peti, cum debeas, malum est, & legi divinæ inconforme; sed eripere eidem eleemosynam, quam ab alio jam acceperit, multò pejus est & magis deficit à lege. Ita non diligere proximum suum malum est & à lege deficit, sed odisse eum pejus est & majorem defectum habet. Nec impedit quod unum sit non facere & alterum facere, cum non tam quæstio sit de non facere & facere simpliciter, ut sunt res naturales, quam de perfectione aut imperfectione morali, quæ esse in utroque potest, seu de congruentia utriusque cum lege aut defectione ab ea. Potest autem congruentia illa & perfectio moralis esse etiam in privatione rei naturalis & contra privatio & defectus moralis imperfectione naturali. Ita non ire in popinam perfectionem habet moralem, & tamen ire ponit aliquid in genere naturæ. Quare tantum abest, ut facere quod lex vetat, aut in universum repugnare legi divinæ aut naturæ, nullum involvat defectum, ut etiam major in his sit in genere morum, quam si non facias quod utraque aut alterutra jubet. Vnde etiam major in illis est perversitas ac malitia. Apage igitur illas consequentias: Si agere aliquid ponit in genere naturæ: Ergo non habet defectum in genere morum: vel, Ergo formalis ratio actionis malæ non est defectus. Signanter dico, *actionis malæ*: etsi enim agere, ut est agere tantum, omnino ponit non privat aliquid, non tamen agere malum, qua est tale, formaliter quid ponit, cum agere malum, qua tale, nihil aliud sit, quam agere quod à lege abhorret. Sic

Perfectio moralis potest etiam esse in privatione rei naturalis.

repu-

repugnare alicui ponit utique aliquid, imò nihil habet privativi, qua est repugnare tantum: At repugnare e. g. legitimo magistratui magnum defectum habet, cum tale agere multum exorbitet à lege. Sed solum illud exorbitare in omni actione, ut diximus, habet rationem mali. E. omnis actionis malæ formalis ratio est defectus, id est, ponit illa aliud, qua est actio, privat, qua est mala. Ita patet non solum omissionem rei, sed etiam commissionem vere malam esse posse moraliter, non obstante, quod malum formaliter defectum tantum dicat. Idem autem quod de actione dictum est, extendi etiam debet ad qualitates & habitus, quæ malarum actionum principia sunt: cum enim etiam qualitas & habitus aliquis incongruus esse possit legi naturæ aut divinæ, vere & ille malus est. Et possunt omnia quæ de actione dicta sunt etiam huc accommodari: ut namque actio nulla mala est, nisi quæ aberrat à lege naturæ & divinæ, ita nec qualitas ulla in homine mala est, nisi propter illum defectum. Vtque contra id omne in quo est defectus talis sive sit actio sive non agere, vere malum est, ita & ex qualitatibus atque habitus malum est quicquid non congruit legi sive sit ineptitudo ad faciendum quod debebas, sive aptitudo & proclivitas ad faciendum quod non debebas. Atque hæc ex iis quæ de bono & malo in universum antea dicta sunt, ita deduci & explanari possunt: quæ tam manifesta esse arbitror, ut inde vel puer discere possit, in quo consistat perfectio aut imperfectio rei, cujus-

Non solū omissio sed etiam commissio mala esse potest.

cujuscunque, quæ à bonitate & malitia morali ei supervenit.

Cæterum solet illa perfectio attendi potissimum, vel ratione finis, vel objecti vel circumstantiarum: fieri enim potest, ut actio aliqua bona sit secundum quid & ratione unius perfectionis talis, quæ tamē sit mala quatenus alia ei deest. Unde Aristot. 3. ethic. cap. 7. t. 94. recte dicit: *Peccata committuntur alia quòd id agitur quod non oportet, alia quod non ut oportet, alia quod non quo tempore oportet aut aliquid huiusmodi.* At ut actio simpliciter bona sit necesse est omnes perfectiones illas concurrere: etsi enim quilibet etiam singularis defectus causa est mali, bonum tamen oritur ex integra causa, ut ex Dionysio de divinis nominibus docent Scholastici. Vide Thomam 1. 2. quæst. 18. art. 4. & q. 20. art. 2. Maxime autem specificat actionem objectum: sicut enim in rebus naturalibus speciem dat forma, ita in moralibus objectum. Sic dare cuipiam eleemosynam bonum est, & dare ei damnum, malum: species vero utriusque actionis ex objecto est. Sed & finis & circumstantiæ magnum hic momentum habent: nam quod bonum sæpe ex objecto, idem malum est ex fine, & quod bonum ex utroque, malum nonnunquam est propter solam circumstantiam. Ita eleemosynam dare bonum est, ut diximus ratione objecti, & tamen si facias id inanis gloriæ causa, malum est. Sic pugnare cum hoste propter victoriam in bello licito bonum est ratione objecti & finis: sed ubi id facias loco & tempore non opportunis malum est pro

XVII. Unde æstimetur bonitas & malitia moralis rei.

Maximè id fieri ex objecto.

Attendendum tamen etiam finem & circumstantias.

propter circumstantias. Causa ejus rei facilè assignatur: cum enim lex naturæ & divina non tantum præscribat, quid fieri oporteat, sed etiã quã fini & quando, ubi, &c. conformari actio perfectè ad normas illas non potest, nisi omnia quæ diximus adsint, planè ut in naturalibus perfectio rei non absolvitur eo tantum; ut formam suam substantialem consequatur; sed & finem suum adtingere debet, atque ideo certis accidentibus quoque ornata esse. Quod tamen cum dicimus non putamus omnem circumstantiam ad specificationem actionis facere: sunt enim quæ augẽt tantum vel minuunt bonitatem & malitiam quæ jam ante aderat. Ita multum accipere sibi de re aliena furtum non facit; sed majus reddit; ut & multum erogare in honorem divinum, actionẽ bonam non facit, sed, quæ bona erat, meliorem. Ex his ergo actio moralis accipit speciem suam & totiplex est ejus perfectio.

Nec tamẽ omnis circumstantia speciẽ dat actui morali.

XVIII. Verum hic adhuc nota; ex illa specificatione ita definiri actiones morales & determinari ad bonum & malum; ut nulla earum relinquatur, prout est individua, indifferens. Dico; *actiones morales*, id est, voluntarias aut quæ conformari ad legem aliquam possunt vel debent: nam quæ aut ex imaginatione tantum sine advertentia animi proficiscũtur, vel circa eas res versantur, de quibus in lege nulla quidquam præcipitur, ut morales non sunt, ita nec bonæ aut malæ moraliter esse possunt. Sic digitum exserere pallio, festucam de terra levare, caput fricare, aut baculum manu movere, morales actiones non sunt, quâ tales:

Nulla actio moralis indifferens individuo.

quare

quare nec differentiæ illi boni & mali in iis reperiuntur: Non sunt morales, inquam, quia vel à viribus solius imaginativæ facultatis oriuntur, & nobis sæpe nescientibus, vel non sunt talium rerum de quibus honestas aut lex divina præcipit. Dico præterea, prout est *individua*: nam etsi in communi sua natura actio etiam moralis indifferens esse forte potest, ut statuit Thomas 1.2. quæst. articulo 9. alia tamen ratio est, si in individuo eam consideres, ut idem docet Sotus 2. sent. distinct. 41. putat actiones morales dari, quæ etiam in individuo sunt indifferentes. Sed rectius sine dubio sentit Thomas: omnis enim actio voluntarie suscepta, quæque ordinem habet ad honestatem & legem divinam, illa aut refertur in debitum finem, aut in indebitum, aut in nullum. Si in debitum, bona est moraliter, si in indebitum, mala omnium confessione: si in nullum, mala itidem est, quia omnis actio nostra referri in certum finem debet, puta vel primum, vel primo saltem subordinatum. Atque ita jam constat etiam quid sit bonitas & malitia moralis in specie.

Thom.

Sotus putat actiones morales etiam in individuo indifferenter dari.

IX. *Quomodo à bonitate morali res denominentur.*

Unum hoc restat, ut indicemus quomodo tam à bonitate quam malitia illæ res denominentur: quod eo compendiosius fieri poterit quo diligentius superiora explicata sunt. Ante omnia autem hic nemo sibi persuadeat, quia bonitas & malitia moralis vere rebus competunt easque denominant, propterea bonitatem aut malitiam illam distinctam non esse à re ea cui

competit quanque denominat. Ait quidam, *cessare in in Ethica subtilitatem illam Metaphysicam distinctionis inter hominem ipsum & eius accidentia, inter actiones & earum qualitates, quod hic civium alii boni sint alii mali, actiones item alia bona alia mala illisque pramia his pœna constituantur*: imo si distingueretur malitia in Ethicis à re, quæ est mala, fore dicit, *ut seditio exempli gratia punienda esset & homines seditiosi dimittendi, seditio ad supplicium rapienda seditioso salvo & incolumi manente.* Verum hæc tam absurda sunt ut nihil absurdius dici vel excogitari possit. Vt enim nunc id omittam, quod putat Ethicam pugnare cum Metaphysica, id est, has duas contradictorias simul veras esse posse: *Omne accidens est distinctum à substantia*, & *Quoddam accidens non est à substantia distinctum*, modo dicas unam à metaphysica doceri, alteram ab ethica, ipse dicit. Vt hoc inquam nunc omittam, id urgeo: si propterea res una non est distincta ab altera quia una alteri vere competit & inest, eamque denominat, jam utique nec anima à corpore, nec doctrina ab homine, nec frigus ab aqua, nec calor ab igne distincta sunt: corpus enim vere est animatum, homo vere est doctus, aqua est frigida, ignis est calidus. Quod si autem non distinguuntur, jam unum & idem sunt, & corpus est anima, homo doctrina, aqua frigus, ignis calor. Imo si is qui dicat hominem esse malum, esse seditiosum, statim negat malitiam & seditionem esse aliquid distinctum ab homine, jam & qui dicit hominem peccatis esse corruptum, idem
ait

ait ipſum hominem ejuſque ſubſtantiam peccatum eſſe. Sane non docet Ethicus quid ſit ſubſtantia, quid accidens, eoque nec quid inter ſubſtantiam & accidens interſit, an reale diſcrimen ſemper interveniat, an ſæpe tantum aliquod ex naturâ rei; ſed id ubi opus eſt ſupponit tanquam certum & alibi explicatum. At Deus bone! an ideo ceſſat in ethicis illa diſtinctio aut negat hanc ethica; adeoque pugnat cum metaphyſica? Sunt ne ergo unum & idem; non docere quod ſit diſtinctio inter ſubſtantiam & accidens aut qualis ſit, & docere, quod nulla ſit inter ea diſtinctio? Dices intelligi per diſtinctionem ſeparationem unius ab altero, ut ita non diſtingui ſeditionem à ſeditioſo ſit eam non ſeparari. Verum ſi ita res ſe habet, jam iterum nec anima noſtra diſtincta eſt à corpore, nec caput diſtinctum à pede; aut pes à brachio niſi ſeparetur. Quapropter vere virtus & vitium inſunt ſubjecto idque denominant & interim ſunt aliquid vere à ſubjecto diſtinctum in ſua natura: vere etiam bonitas & malitia moralis competit actioni eamque bonam facit aut malam; & tamen diſcrimen eſt inter actionem per ſe & bonitatem vel malitiam ejus. Vnde etiam fit quod non in abſtracto ſed concreto de ſe invicem potiſſimum prædicentur: recte enim dicis, homo eſt virtute præditus; & tamen non dicis homo eſt virtus; recte etiam homo eſt vitioſus aut vitiis oppletus, non autem homo eſt vitium, niſi per κατάχρησιν.

XX. *Nonnulla mala sunt pura privationes, nonnulla actiones privata sua rectitudine.*

Hac ergo absurditate amota reperimus quod supra dictum est, bonum & malum morale non tantum competere omissioni rei aut ineptitudini ad faciendum, sed & commissioni & proclivitati ad aliquid agendum, imo ipsi homini & animo ejus propter illa. Quanquam autem omnia illa in formali ratione bonitatis & malitiæ conveniunt, ut ostensum est, scire tamen oportet aliter atque aliter ratione materialis sui se habere. Ita non posse facere quod debebas, & pronum esse ad faciendum quod non debebas, utrumque vitio vertitur & utrumque moraliter malum est; quare duo ista formaliter, id est, secundum quod sunt aliquid malum coincidunt: at materiale, id est, non facere, & facere, discrimen habent: prius enim privativum est, posterius positivum. Quoties igitur mala dicitur omissio rei ineptitudo ad faciendum quidquam, totius malum illud est pura privatio & purus defectus, quia tam ratione materialis quam formalis est privatio ibi & defectus. Ita non ire in templum, non facere aut non posse facere preces malum est, sed pura privatio. Quoties vero mala dicitur commissio rei vel actio aliqua, aut malitia tribuitur qualitati vel habitui, jam malum illud non est pura privatio sed actus sua rectitudine privatus, & qualitas vel habitus vitiosus. Sic furari, scortari, item intemperantem aut injustum esse malum est moraliter: omnia etiam hæc qua sunt mala, id est, formali sua ratione deficiunt à lege naturæ & divina. Formaliter ergo dicunt aliquid

aliquid privativum. Verum non sunt puræ privationes: furari enim utique & scortari actionem, intemperantem & injustum esse habitus & animi qualitates involvunt. Quapropter immensum hæc differunt, esse puram privationem, & esse aliquid, quod formaliter & secundum rationem suam formalem sit privativum. Quod si quis observarit, facile intelliget, quomodo omnis in universum res moraliter mala formaliter, sive quatenus est mala, privativa tantum sit, aut privationem dicat, nec minus tamen ipsi etiam habitus, ipsæ actiones sint & rectæ dicantur malæ. Nam certe, ut dixi, unum hæc & idem non sunt, malum formaliter est privativum tantum, & omne malum est pura privatio, nisi eodem pacto & illud inferre velis, totum hominem esse tantum animam quia forma ejus anima sit. Quantum igitur in malis naturalibus & physicis differt claudicatio à cœcitate, tantum in moralibus actiones & habitus mali distant à cæteris quæ puræ privationes sunt. Sicut enim cœcitas nihil ponit sed tantum privat, claudicatio vero tollit quidem rectitudinem incessus, sed incessum ipsum ponit: ita & omissio ejus quod facere debebas simpliciter privat, sed actio mala ponit actionem cui privatio inest. Ponit, inquam, actionem, ut & habitus pravus ponit habitum. Quæritur autem an actio & habitus in actione & habitu malo sint pars materialis an formalis? certe formalis non sunt, quia actionem & habitum esse etiā bonis actionibus, & bonis habiti-

Multum differunt esse puram privationem & esse formaliter privativum.

Exemplū de claudicatione.


bus competit. Argumentor sic: Quicquid reperitur tam in actione bona quam in mala, tam in habitu bono quam malo, illud non est formale actionis malæ aut habitus mali. Sed actionem & habitum esse reperitur tam in bonis quam in malis actionibus & habitibus. E. actionem & habitum esse non est formale in actione aut habitu malo. Quare ut absurdus sit qui dicat formale hominis esse animal, aut formale claudicationis incessum, cum animal esse etiam ei competat quod non est homo, incessus ei quod non est claudicatio: ita etiam absurdus fuerit qui actionis aut habitus mali formale dixerit ipsum illud actionem aut habitum esse.

XXI. *Quousque res malæ sint positivæ.* Vnde jam evidentissimè patet quicquid discriminis est inter malum quod est purus defectus, & actionem aut habitum malum, id omne attendi ratione partis materialis non formalis, & quanquam in his τὸ materiale sit res positiva, in illis autem nihil positivum deprehendatur, tamen formalem rationem utrobiq; tantum privativam esse. Verum hic accurate nota per *materiale* non intelligi subjectum remotius sive substantiam ipsam, cui inest actio vel habitus ille (nam hæc etsi materia actionis aut habitus dici solet, tamen non est ipsa actio mala) sed illud, actionem & habitum esse: neque enim tantum id cui inest actio & habitus malus res positiva est, sed etiam ipsa res mala, quatenus est actio vel habitus. Quo observato intelliges recte dici, non tantum substantiam in qua est malum esse rem posi-


positivam, sed etiam ipsum malũ esse positivum aliquid, non formaliter sane, sive qua est malum, sed materialiter, id est, quatenus est actio aut qualitas, aut habitus. Nota deinde, & hoc, sicut discrimen est inter mala pure privativa, & ea quæ ponunt aliquid materialiter, ita etiam diversis vocabulis plerunq; illa efferri. Mala pure privativa καῤ' ἐξοχὴν dicuntur defectus: cætera vocantur non tam defectus quam res quæ habent defectum, ut pravitas, perversitas, malitia: hæ enim voces non tam omissioni rei quam actioni aut habitui malo tribui solent. Hæc ergo ita se habent: quæ qui recte hic perceperit, facile nobis expediet, qui & quatenus res malæ ponant aliquid aut privent, ut nec *reale aliquid* ὑποσῶς *malum* aut *novas species Entis sine Deo contra Deum in mundum invectas* comminisci, nec etiam distinguere ipsos *defectus in positivos & privativos* necessum habeat, quorum illud sine dubio impiissimum est, &, si Theologiam consulas, manifesto hæreticũ, hoc stultissimũ, & inauditum: si enim ipsos defectus alios positivos alios privativos feceris, quid ni & homines alii rationales, alii irrationales, tenebræ aliæ tenebricosæ, aliæ lucidæ, dicantur?

Hactenus de bonitate & malitia morali: quæ doctrina eo pluribus explicata est, non tantum quod sequentibus ut fundamentum substruenda erat, sed etiam quia hinc & non aliunde disci in universum debet, quid in malo rationem privativi quid positivi habeat, quomodo in genere res aliqua denominetur à bonitate aut malitia mora- *XXII. Epilogus cap.*

morali, quid vocetur pravitas, perversitas &c. Vnde & petere oportet omnium istorum terminorum intellectum, si quis recte adhibere eos sive in Theologia sive in Jurisprudentia sive cætera Philosophia volet: etsi enim res ipsæ in se quæ à Theologis & JCtis explicantur ad suas quæque disciplinas pertinent, nec de iis ex hac doctrina disputari potest; tamen non magis illæ ope horum terminorum, puta virtutis, vitii boni & mali moralis, pravitatis, perversitatis &c. recte declarari queunt, si terminos illos vel non accurate intelligas, vel etiam plane invertas, quam recte de rebus Theologicis aut Juridicis sermonem Latinum facere possunt qui aut in Grammaticam Latinam identidem impingunt, aut voces Latinas exacte cognitas non habent.



PHILO-



PHILOSOPHIÆ MORALIS SEU CIVILIS DOCTRINÆ DE MORIBUS.

LIBER TERTIUS.

CAPUT I.

Exponitur quotuplex ſit virtus & quæ ſit natura virtutis moralis in genere.

SUMMARIA.

1 *Ratio ordinis.*
2 *Virtus alia dianoëtica alia ethica.*
3 *Virtutem naturâ non ineſſe.*
4 *Galeni error, mores à temperamento corporis pendere.*
5.6. *Confutatur, ut & ejus effugium.*
7 *Quid Plato & Ariſt. ea de re doceant.*
8 *Quid ſit virtus moralis.*
9 *Fr. Philelphus refutatur.*

10 *Cuiusmodi res eligat virtus.*

11 *Stoicos statuere virtutem evellere affectus.*

12 *Quid ea de re sentiendum sit, neque posse id fieri.*

13 *Aut etiam necessum esse.*

14.15. *Mediocre aliquid dupliciter dici, & quomodo id intelligendum.*

16 *Error Lactantii refellitur.*

I. *Ratio Ordinis.* EXPLICATO fine & objecto disciplinæ accedendum jam est ad exponenda media quæ ad finem illum perducunt: hoc enim *caput Philosophiæ moralis est*, inquit Apuleius libro de philos.mor. *ut scias quibus ad vitam beatam perveniri rationibus possit.* Quia autem finis hic est actio virtutis, ut suo loco patuit, medium aliud quo eum consequamur esse non potest nisi virtus, & si quid cum virtute cognationem habet. Quare de virtutum natura tam in communi quam sigillatim tractandum nobis deinceps diligenter erit. Verum quia non tantum virtutes duum sunt generum, ut paulo post dicetur, morales & intellectuales, sed etiam præter perfectos virtutum habitus reperiuntur etiam quidam imperfecti, neque non hic occurret tractatio quoque de amicitia, quæ virtus non est sed aliquid cum ea conjunctum, primo agetur de virtute morali, secundo de prudentia & virtutibus intellectualibus, quæque eo pertinent, tertio denique de semi virtutibus, ut vocant, & amicitia.

II. Quemadmodum itaque duo sunt in homine à qui-

à quibus omnis actio humana, id est, homini propria proficiscitur, intellectus & appetitus: ita etiam duplex necessario est virtus, quæ hominem perficit sive id ei confert, ut omnia recte, quantum fieri potest, agat & feliciter vivat, una intellectus, altera appetitus. Quæ intellectum perficit dianoëtica aut intellectiva dicitur, quæ appetitum, moralis sive ethica, ut docetur primo ethicorum capit. ultimo & sexto capite primo & passim. Cum enim ad recte vivendum duo illa requirantur, scire quid facto sit opus, & ubi scias id prompte exequi, in utroque autem multis modis ab homine peccetur, si disciplina aut assuefactio non accesserit, is demum recte se in omni vita geret, cujus & intellectus & appetitus perfectionem suam consecutus fuerit. Vbi tamen sciendum est, si virtutes morales & intellectivas comparare inter se velis, morales maxime proprie virtutes dici: intellectivas autem secundum quid tantum: cum enim virtus omnis *faciat id cujus virtus est bene se habere, tum opus ejus rectum ac perfectum reddat*, ut dicit Aristotel. secundo ethicorum capit. sexto text. vigesimo nono hoc autem maxime præstet quicquid non tantum facultatem recte operandi subjecto largitur, sed etiam incitat ad ita agendum, sive quicquid non tantum potentiam & facultatem bene agendi, sed ipsum etiam actum illi confert, maxime proprie quoq; tale quid virtus dicetur. Ejusmodi autē est virtus moralis. Exēplo sit habitus Physices & liberalitas cogni-

Virtus duplex dianoëtica & Ethica seu moralis.

Ethica magis proprie dicitur virtus quam dianoëtica.

gnitionem rerum Physicarum, liberalitas facultatem liberaliter agendi: ſed illa id tantum præſtat homini, ut cum vult ſe naturæ contemplationi dare, recte in ea re ſe gerat ſive gerere poſſit, hæc non tantum ut poſſit liberaliter agere cum vult, ſed etiam ut agere velit. Quare habitus Phyſices non tam proprie virtus eſt, quam habitus liberalitatis, eſtq; eadē ratio de cæteris quoque habitibus intellectivis & moralibus. Vide Thom. 1.2.q.66.art.3. Sed relictis nunc intellectivis virtutibus, de quibus ſuo loco dicemus, naturam moralium inveſtigabimus.

III. Virtus non ineſt natura. Principio autem ſciendum eſt virtutem omnem vel diſciplina vel aſſuefactione parari, & moralem quidem potiſſimum aſſuefactione, cū hæc etiam inde nomen nacta ſit apud Græcos, ut docet Ariſtot. 2. ethic. cap. 1. Et Plutarchus περὶ παιδαγωγ. ait: Ἄν τις τὰς ἠθικὰς ἀρετὰς ἐθικὰς λέγῃ, οὐκ ἄν τι πλημμελεῖν δόξειεν: etſi enim dubium nullum eſt *eſſe unicuique mortalium ſemina quadam virtutum innata*, ut loquitur Marcus Tullius 3. Tuſculan. in initio: unde & quidam *natura fortes, natura iuſti dici ſolent*, teſte Ariſtot. 6. Nicomach. cap. 13. potentia tamen illa naturalis & iſta ſemina virtutum ipſa virtus non ſint. *Improbatur.* Quod quidem ſic oſtendo: primo ſi ſint, jam poſſeſſori ſuo non noceant, quod ſæpe tamen fit: qui enim præ *Ariſtotel.* cæteris aliquid audent aut ad audendum natura proclives ſunt, facile audaces & temerarii evadunt, qui item ſagaciori ingenio præditi ſunt aſtuti & callidi fiunt, ſi cultura non acceſſerit,

imo

imo talibus ingeniis, cum sibi relinquuntur, idem plerumque contingit quod robusto corpori oculis capto, id est, ut eo magis pergant in avia vitiorum, nisi mature refrænentur, quo alias ad virtutem procliviora erant, ut id late deducit Philosophus. Deinde mores à consuetudine mutantur: non ergo mores à natura sunt, adeoque nec morum virtus. Tertio quæ à natura sunt in iis potentiæ priores sunt actionibus si non tempore, saltem natura. Ita visus prior est visione, auditus actu audiendi, &c. Sed contra res se habet in virtute: hac enim præditus non est nisi qui quæ virtutis sunt ante egit. Quarto ostendunt hoc etiam leges, quarum nullus usus sit, nisi ex iis vitam emendare & , quod prave forte faceres, a iter assuescere possis. Denique si natura essemus temperantes aut justi, omnes quodam modo essent: omnibus enim natura una est. Ita ex Aristotele ostenditur virtutem à natura nobis non inesse. Idem docuit Plato: dicebat enim *hominem à stirpe neque absolute bonum neque malum nasci, sed ad utrumque proclive eius ingenium esse, habere quidem semina quadam utraque rerum cum nascendi origine copulata; qua educationis disciplina debeant in partem alteram emicare*, ut testatur Apuleius lib. de Philos. moral. *Plato.*

Alia sententia est Galeni, qui peculiari libro ostendere vult, mores hominum tam bonos quam malos, si non in universum, aut maxima sui parte dependere à temperamento corporis, & in eum sensum adducit aliquot loca Hippocratis, *IV. Galenus mores à temperamento corporis oriri cẽset.*

cratis, Platonis atque ipsius Aristotelis. Et sane negari non potest, aliquid situm esse in corporis constitutione: quod si enim prava partium corporis temperies plane tollere usum rationis potest, ut fit in phrenesi & similibus affectibus, imo animam ipsam à corpore separare & mortem accersere, dubitari non potest quin eadem multum vel juvare vel turbare & impedire voluntatem & actiones nostras; vitamque adeo omnem, queat. Unde est quòd Carneades Academicus, scripturus adversus Stoici Zenonis libros, superiora corporis elleboro candido purgavit, ne quid ex corruptis in stomacho humoribus ad domicilia usque animi redundaret & constantiam vigoremque mentis labefactaret, ut refert Agellius lib. 17. cap. 15. Est etiam ab illa temperie sine dubio quod hominum alii nascantur aliis ad virtutum vel vitia prochviores, ut supra concessimus. Cujus rei insigne exemplum de Themistocle extat apud Thucydidem li. 1. Verba Thucydidis, vertente Joan. Caselio, ita habent: *Ille erat Themistocles, qui quàm maximè indicaret quantum natura valeat, dignus ipse quem quodam modo suprà modum ob naturæ præstantiam magis atque alium quemvis miremur. Etenim sua propriaq; intelligentia, ut qui nihil adiumenti ad eam initio didicerit, neque deinceps sibi compararit, minima deliberatione habita de casibus repentinis consultor esset certissimus & futurorum maximam partem quod eventurũ esset, conjector optimus. Quæ item in manibus haberet, etiam explicare posset: quorum verò usum non haberet, non dimitteret antequam de iis*

Aliquid conferre corporis naturam ad eos.

Quantum indoles possit, exemplo Themistoclis ostenditur. Thucyd.

de iis recte existimaret. Insuper quid melius, quid peius maximè providebat. Vt universum dicam, natura facultate & usus brevitate hic vir plurimum valebat, ut ex tempore gereret quæ gerenda essent. Tertio totius Physiognominicæ disciplinæ, cui non parum tribuit Aristot. illud fundamentum est: nulla enim hæc esse posset si nihil ad mores atque indolem faceret corporis dispositio.

Verum enim vero sicut Galenus & illo libro & passim nimis abjectè sentit & loquitur de anima hominis, ipsamque supra temperiem corporis extollere non audet, ita etiam hic admodum impingit: etsi enim animus dum in corpore hoc hæret non usquequaque ejus contagionem effugere potest, ipse tamen vitæ mortalium dux est & actionum nostrarum arbiter, nec corpori servire sed imperare natus. Certe in nostra potestate est semina tam vitiorum quam virtutum, quæ indoles cujusque secum trahit, aut fovere & alere, aut etiam industria & assuefactione nostra supprimere, & experientia testatur. Erat Manlius Torquatus in pueritia ingenio tam hebeti & ea indole ut à patre viro amplissimo rus ablegaretur & agresti opera fatigaretur, quod inutilis Reipubl. & domesticæ fore putaretur: & tamen postmodum cum in urbem rediisset pietate in parentem & meritis in patriam clarissimus extitit. Nec Scipioni Africano majori obstitit quò minus jugum Carthagini primus imponeret, quod solutior nonnihil vel tenerior adolescentia ejus fuisset, ut est apud Valer. Max. lib. 6. cap. 9.

V. Galenus confutatur.

Quisque mores suos formare potest.

cap.9.qui ejus generis etiam plura exempla coacervavit. Imo tantum abest ut semina vitiorum in herba opprimi nequeant; ut sæpe evellantur etiam quando jam nonnihil adoleverunt; licet id fiat rarius. Phædonem profecto ex cinædo optimum Philosophum Socrates fecit; & Polemonem ex ebrioso & impudico adolescente Xenocrates una oratione de temperantia; cum ille ebrius & coronatus irrepuisset in scholam ipsius, virum continentissimum reddidit & sibi successorem. Etiam Themistocles etsi propter vitia ineuntis adolescentiæ à patre exheredatus erat, ita tamen postmodum eminuit ut totius Græciæ servator esset. Vide Diog. Laërt. in Socrate & Polemone, Cornelium Nep. in Themistocle. Non inficiamur quidem cupiditates nostras & appetitum sensitivum ex omni parte subigi à ratione in hac nostra imbecillitate non posse, sicut lib. 2. dictum est. At detrectare tamen illius imperium ita nequit, quin per illum mores ad honestatem conformare quisque pro arbitrio possit. Ni possit, jam omnis ratio virtutis & vitii, sive recte & prave factorum, adeoque tota Philosophia practica funditus tollatur: neque enim aut illa aut hæc sine rationis ac voluntatis libero imperio in facultatem sentientem & membra externa corporis intelligi potest.

VI. *Effugium Galeni.* Declinare conatur absurditatem tantam Galenus sed frustra: *etsi*, inquit, *nec bonis imputari potest quod boni sint, nec malis quod mali, quia in ipsorum potestate hoc non est, nihil tamen minus illi laude, hi odio digni sunt,*

ſunt, cum etiam alias laudemus quæ natura bona fecit & oderimus quæ mala. Ita viperas & ſcorpios odio haberi, ait, non ſua culpa ſed quod natura ſua mali ſint; Deum autem amari quia natura bonus. Ad hunc modum ille. Vbi obſerva idem planè hoc ab aſtrologis adferri, cum illi à fato & aſtris mores hominum ſuſpendunt, ſicut Galenus à craſi & temperie corporis: audiam tantum Manilium 4. aſtronom. *Idē quod Aſtrologorum.* *Manil.*

Nec tamen hec ratio facinus defendere pergit,
Virtutemve ſuis fraudare præmia donis.
Nam neq; mortiferas quisquam minus oderit herbas,
Quod non arbitrio veniunt ſed ſemine certo,
Gratia nec levior tribuetur dulcibus eſcis,
Quod natura dedit fruges, non ulla voluntas:
Sic hominum menti tanto ſit gloria major
Quod cœlo gaudente venit, rurſusq; nocentes
Oderimus magis, in culpam pœnasque creatos,
Nec refert ſcelus unde cadat, ſcelus eſſe fatendum.

Hæc Manilius, quæ partim abſurda ſunt; partim manifeſtò impia, ſicut Galeni reſponſio. Abſurdum eſt quòd mala per accidens confundit cum malis per ſe: venenum enim malum non eſt niſi priori modo tantum: primo enim nō eſt malum niſi ei cui nocet aut quod interficit. Sed hoc non eſt vere & per ſe eſſe malum, alias omnes res naturales contrariis qualitatibus prædita malæ eſſent, nam omnes ſe inter ſe interimunt. Ita aqua ignem extinguit, ignis contra corrumpit aquam, &c. Deinde ſi venenū per ſe ſit malum jam ſemper eſſet. Sed non eſt: nam idem quod venenum eſt homini, ſaluberrimus cibus ſæpe eſt alii ani- *Abſurditas ejus.* *An herbæ & animalia venenata ſint per ſe mala.*

 mali.

mali. Ita serpens hominem interficit, nutrit ciconiam, piper & amaracus salubria sunt homini, sed sues interficiunt, cujus generis infinita alia exempla concurrunt in Physicis. Tertiò si venena essent per se mala jam mala essent vel in genere naturæ, vel morum. Sed in neutro sunt: in genere enim morum nemo esse dixerit: At nec in genere naturæ: tale enim malum corrumpit perfectionem aliquam naturalem subjecti cui inest. Sed venenum animalibus venenatis nō tam aufert quam tribuit perfectionem: ut enim unguibus leones, cornibus tauri, ita serpens veneno armatus est ut se tueri possit: nec enim defectus est in tauro aut leone arma illa habere; licet homini malum sit si cornibus petatur aut unguibus discerpatur. Hoc ergo ut dixi, absurdum est quod mala per accidens Galenus putat esse per se mala. Deinde si vel maximè concederetur bestias & herbas venenatas esse per se malas, non tamen sunt malæ moraliter: id enim malum non cadit in bruta, ut suo loco patuit. Absurdum igitur & hoc est de natura mali moralis ex natura malorum naturalium velle statuere. Ita Galenus, & qui cum eo faciunt, absurda absurdis cumulant. Impia autem est responsio illa, quia Deum autorem peccati facit: quicquid enim est in causa secunda, & non est ab illa sola, id est à prima causa. Sed peccatum secundum Galenum & Manilium est in homine & non est ab ipso; à nullius enim hominis arbitrio secundum ipsos dependet. Ergo est à Deo, quod impium est.

Absurdum de natura mali moralis ex malo naturali statuere.

Impietas Galeni & Manilii.

Nec

Nec juvare Galenum possunt authoritates Hippocratis, Platonis & Aristotelis: nihil enim inde aliud efficitur præterquam quod ultrò ante concessimus, videlicet proclivitatem ad virtutes & vitia à natura esse. Et sane manifesto contrarium cum Plato eum Aristoteles sentit. *VII. Quid Plato & Arist. hac de re doceant.* Ἐμοὶ μὲν, inquit Plato 3. de Republ. ὐ φαίνεται ὃ ἂν χρηςὸν ᾖ σῶμα τοῦτο τῇ αὑτȢ ἀρετῇ ψυχὴν ἀγαθὴν ποιεῖν, ἀλλὰ τὸ ἐναντίον ψυχὴ ἀγαθὴ τῇ αὑτῆς ἀρετῇ σῶμα παρέχειν ὡς ἷόν τε βέλτιςον. *Mibi quidem videtur si corpus bonum sit id animum sua virtute bonum non reddere sed contra animum bonum sua virtute corpus efficere quam fieri potest optimum.* Et in Charmide ait, *oculum sine toto capite, caput sine toto corpore, corpus sine animo sanari non posse.* Rursis in Phœdone inde ostendit animam non esse crasin corporis quod *alioqui ea corpori servire non imperaret.* Et iterum 7. de ll. κυριώτατον γὰρ οὖν ἐμφύεται πᾶσι τότε πᾶν ἦθος διὰ ἔθος, *Præcipue & omnes mores omnibus ingenerantur propter censuetudinem.* Vnde & Maximus Tyrius Platonicus dissertatione 18. *Bene se habere totum necesse est,* inquit, *cuius pars bene se habet, non utra libet sed præstantior. In societate enim deterioris cum maiori ex conservatione melioris dependet deterius. Nisi putes hominem cui bene constituta sit anima, dolorem aliquem aut vulnera aut aliud aliquid quod corpori nocet respicere posse. Minime per Iovem. Hæc igitur quærenda medicina est, hæc exploranda, ea comparanda, ea perquirenda est sanitas. Aut enim statum corporis sequeretur sanitas ; aut si non certe malorum quibus corpus affligitur integer contemtus.* Hæc Tyrius. *Maximus Tyrius.* Idem censet etiam Plutarchus in lib. num. morbi *Plutarch*

 corpo-

corporis an animi pejores sint. Verba ejus sunt: Νόσος μὲν ἐν σώματι φύεται διὰ φύσιν, κακία δὲ καὶ μοχθηρία περὶ ψυχὴν ἔργον ἐστὶ πρῶτον, εἶτα πάθος αὐτῇ, *Morbus in corpore quidem gignitur à natura, vitium autem & pravitas animi principio est actus aliquis, post affectio.* De Aristotele res notior est, quàm ut explicatione indigeat. Quare manet quod suprà asseruimus virtutem naturâ non inesse, assuefactione parari.

VIII. Quid sit virtus moralis. Quibus ita explicatis facile jam indagari potest quidnam sit virtus. Qualitatem eam esse & quidem animi extra dubium est: qualitates autem in animo nullæ sunt, quæ huc spectare possint, præter potentiam naturalem, habitus & dispositiones. Naturalem potentiam non esse jam ostensum fuit. Sed nec dispositio est: hæc enim imperfectum quid est & rudimentum tantùm perfectæ qualitatis. Relinquitur ergo ut sit habitus; quod primo ostendendum erat. *Habitum esse.* Cæterùm cùm habitus in animo multi sint & diversi, aliique alias ejus potentias perficiant, quæritur an virtus sit habitus intellectus an voluntatis & appetitus. *An sit habitus scientia ut statuebat Socrates.* Prius asserebat Socrates, ut testatur Arist. 6. ethic. Nicomach. c. 1. statuebat enim virtutem esse scientiam & prudentiam. Verba Aristotelis in ethicis Eudemiis hæc sunt: *Socrates equidem ille senior, finem vitæ putabat esse cognoscere virtutem, & investigabat quid esset iustitia, quid fortitudo & unaquæque eius pars. Idque merito faciebat: censebat enim omnes virtutes scientias esse, ita ut simul obtingant, scire iustitiam & iustum esse: nam simul ac didicimus geometriam & architectonicam & architecti & geometræ sumus. Quare in-*

re investigabat quid sit virtus, non quomodo paretur. Ita Aristoteles. Vnde & Plato 4. de rep. fortitudinem definit per *rectam de terribilibus opinionem.* Aristoteles etsi virtutem conjunctam esse dicit cum scientia & prudentia, non tamen ipsam eam scientiam seu habitum intellectus sed voluntatis & appetitus facit. Unde per habitum proæreticum seu qui electionem concernit & in ea consistit, illam definit 2. ethic. cap. 6. t. 36. Et sane *in scientiis theoreticis* (verba rursus sunt. Aristot. ex Eudemiis) *id usuvenit,* quod supra dicebat Socrates: *nec enim aliud est astrologia aut physica scientia aut geometria quam scire & contemplari naturam rerum, quæ scientiis illis substernuntur: etsi nihil impedit quo minus per accidens ad multa in vita necessaria utiles ea nobis sint. Verum enimvero scientiarum factivarum alius finis est, quam scientia & cognitio, ut medicinæ sanitas politicæ bonæ leges aut simile aliquid. Pulcrum itaque est nosse quid in unaquaque re honestum sit, nec tamen in virtute præstantissimum illud est nosse quid ea sit, sed ex quibus fit: neque enim scire volumus quid sit fortitudo sed esse fortes, neque quid sit iustitia sed esse iusti, quemadmodum etiam sani esse malumus, quam scire quid sit sanum esse & corporis habitu bono esse quam nosse quid sit bene habere.* Hæc Aristoteles. Imo ut idem argumentatur in magn. moral. *Scientiæ consistunt in ratione seu ratiocinatione: hæc autem in sola facultate intellectiva animi posita est. Quare etiam omnis virtus per se consistet in parte intellectiva: unde fit, ut dum Socrates virtutes scientias facit, tollat tum illam animæ partem quæ rationalis per se non est, tum omnes affectus & mores.* Ita Philosophus: quibus nihil

Plato.

Virtus moralis non est scientia sed habitus electivus.

esse potest rectius aut evidentius. Quod si enim exponere naturam fortitudinis non est fortiter agere, nec scientia ejus quod forte est, fortitudo erit. Si porro virtutes omnes sunt scientiæ, nulla est virtus voluntatis & appetitus, imo nulli sunt mores: moratum enim esse non est intelligere aliquid, sed velle & rei alicui studere aut ea delectari, ut ipsa notio vocabuli ostendit.

IX. Fräciscus Philelphus pro Socrate disputat contra Arist.

Cæterum etsi hæc sunt perspicua, Franciscus tamen Philelphus lib. 5. disciplinæ moralis sententiam Socratis præfert Aristotelicæ. Argumẽta autem hæc adfert, quod omnes mali mores ab ignorantia boni oriantur, quodque nemo non summo studio persequatur quidquid bonum esse vere cognoverit, item quod etiam incontinens dum peccat per inscitiam id faciat, Et ait *ab hac sententia Socratis se nullas unquam sophisticas captiones abducturas.*

Respondetur ad ejus objectiones.

Sed magnopere errat, nec objectiones istæ alicujus momenti sunt. Primo enim non sophisticæ captiones sed luculentæ & evidentes rationes sunt illæ Aristot. & vitæ usu atque experientia comprobantur. Deinde notitia & judicium de virtute nunquam tam firma sunt, ut ijs positivis voluntas deflectere nequeat: id enim cum libertate voluntatis pugnare libro superiore ostendimus. Tertio etiam posito, illum qui recte sentit de re honesta non posse non eam agere, ne sic quidem virtus scientia est: sicut enim existente re notitia rei jucundæ in bruto brutum non potest non eam appetere, & facultas tamen appetendi à facultate cognoscendi in ipso

ipso differt; ad eundem modum quia virtus est aptum esse ad agenda honesta licet à notitia honestatis hoc oriatur, non tamen ipsa est illa notitia aut habitus cognoscendi, sed sectādi id quod honestum est. Similiter res se habet de vitiis: quantumvis enim ab inscitia oriantur, ipsa tamē non in inscitia sed in prava cupiditate & actione propriè consistunt.

X. *Cujusmodi res eligat virtus.*

Ex his constat virtutem in electione positam esse. Sed quia etiam vitia sunt habitus proæretici, illud porro addendum est, cujusmodi sit illa proæresis de qua hic loquimur. Vbi id extra cōtroversiam est, quod virtus sit habitus eligendi quæ bona sunt. Quid autem bonum in vita sit, id facile ex libris superioribus repeti potest. Certum autem est tale esse illud tantum quod rectæ rationi & lumini naturæ ac honestati congruit. *Eligere quod mediocre est.* Congruit porro vita rectè rationi, tum demum, cum voluntas & appetitus omnesque ejus motus ita ab illa in officio continentur, ut nec in excessu, nec defectu peccent: cum enim *voluptas & dolor sint quasi duo intimi uniuscuiusque mortalium consiliarii,* imo *omnes animi motus instar nervorum & funium, quibus reguntur atque huc illuc impelluntur actiones & tota vita nostra,* ut eleganter id deducit Plato lib. 1. de leg. id cumprimis est bene & secundum rectam rationem vivere, motus illos in omni vita recte compescere, compescuntur autē cum cōsuefiunt ita, ut modum & mediocritatem teneant. *Duo*, inquit denuo Plato loco quem diximus. *fontes sunt voluptas & dolor à natura profluentes, è quibus qui haurit, qua parte, quando & quantum* *Modus voluptati & dolori ponendus.*

oportet felix est, tam civitas inquam universa, quam privatus quisque, imo quodque animal: qui autem hauriunt imprudenter, & cum non oportet iis vita obtingunt contraria. Hæc ille. Et res manifesta est: cum enim affectus ipsi, ut sunt motus quidam naturales animi, (nec enim de corruptione quæ à peccato originis est hic agitur) non sint quippiam in se moraliter bonum aut malum, sed tantum prout congruunt vel repugnant rectæ rationi, quemadmodum lib. 2. cap. 6. ostendimus, necessum est omnem calamitatem, quæ ab aliis in vita nostra oritur inde existere, quod modum à recta ratione præscriptum non teneant: sicut enim *sanitati obest si nullum sit corporis exercitium & rursus si sit nimium: ita etiam in fortitudine, temperantia, cæterisque morum virtutibus res se habet: qui omnia formidat timidus fit, qui nihil, audax, neuter fortis est,* ait Philosophus 2. eth. cap. 2. & 1. m. m. cap. 5. Quare cum id sit bene vivere appetitum & motus omnes ad mediocritatem redigere, virtutis utique est ea eligere tantum quæ mediocria sunt, estque adeo ipsa habitus proæreticus consistens in mediocritate sive talis qui appetitui & animi nostri cupiditatibus modum ponit, easque ad mediocritatem reducit.

XI. *Stoici statuunt virtutem non redigere affectus ad mediocritatem, sed evellere.*

Ita docet Aristot. non tantum locis adductis sed passim. Et idem sentit Plato, ut supra patuit & legi pluribus potest apud Alcinoum cap. 29. & Apuleium. Uterq; etiam Philosophus inductione omnium virtutum id confirmat. Soli Stoici, ut in definiendis animi affectibus & motibus divortium faciunt, ita etiam non tam sedandos animi

animi motus à virtute putant quam evellendos & extirpandos esse. Ita enim Senec. ep. 116. *Vtrum satius, inquit, modicos habere affectus an nullos, sæpe quæsitum est. Nostri expellunt, Peripatetici temperant.* Et Cicero in acad. quæst. 10. *Cum antiqui perturbationem animi ex homine non tollerent naturaque & condolescere & extimescere & efferri licita diceret, sed ea contraherent in angustumque deducerent, Zeno omnibus his quasi morbis voluit sapientem carere.* Hinc idem Tullius Philosophiam Peripateticam mollitiei accusat Tuscul. 4. *Mollis, ait, & enervata putanda est Peripateticorum ratio & oratio, qui perturbari animos necesse esse dicunt, sed adhibent modum quendam, quem ultra progredi non oporteat.* Lactantius lib. 6. instit. c. 14. *Stoici, inquit, affectus omnes, quorum impulsu animi commoventur ex homine tollunt, cupiditatem, lætitiam, metum, mæstitiam, quorum duo priora ex bonis sunt aut futuris aut præsentibus, posteriora ex malis. Eodem modo hæc quatuor morbos vocant, non tam natura insitos quam prava opinione susceptos.* Græci expulsionem illam affectuum ἠρεμίαν καὶ ἀπάθειαν vocant.

Seneca. *Cicero.* *Philosophia Peripatetica mollitiei accusata.* *Ἀπάθεια.*

XII. Sed hæc controversia ex iis quæ secundo libro disputata sunt facile dirimetur: cum enim Stoici per affectus intelligant illos animi motus tantum, qui modum jam excedunt & rationis imperium detrectant, ut eo loco exposuimus, cæteri autem Philosophi omnes, motus ipsos in se sine illa exorbitantia, non tam est discrepantia aut dissensio in rebus quam in verbis, ut recte censet B. August. lib. 9. de Civ. Dei cap. 4. & ipse etiam Cicero disput. 4. de finibus. Et sane si per

Quid de controversia hac sentiendum.

affectus intelligas quod Stoici, nullum dubium est, quin non temperandi ij & ad mediocritatem redigendi sint, sed omni ope & conatu extirpandi, atq; eijciendi ex animo penitus. Nec vero aut Arist. aut veterum quisquam cum de affectibus temperandis verba faciunt, id docet, ut affectus mediocriter indomitos aut mediocriter errantes habeat vir bonus, sed ut mediocres, id est, recte domitos, cum facile intellexerint, *vitium ipsum temperari aut mediocre reddi non posse, quod ideo vitium sit quia à mediocritate abit*, ut diserte hoc docet Philosophus 2. eth. c. 6. t. 41. Hoc ergo extra dubium est. Rursus & illud certum est, si per affectus intelligas motus in se, ut sunt res naturales tãtum, quemadmodum Peripatetici & Academici, nec posse eos eradicari ex animo, nec ut id fiat necessum esse. Nõ possunt, inquam: etsi enim multum potest imperium rationis in appetitum sensitivum ejusque motus, tamen quam minime fieri potest, ut qui homo est non sit animal, ita etiam appetitum animali naturalem compescere & refrænare homo potest, plane exuere non potest; animal namque non est quod sensu caret, caret autem isto quod re nulla afficitur quæ in sensus incurrit. Vnde Arist. 2. de anima cap. 3. recte dicit. *Animalia cuncta unum ex sensibus habent, tactum, inquam ipsum. Atque cui sensus inest, ei voluptas etiam & dolor inest & perceptio jucundi & molesti. Quibus autem hæc insunt ea cupiditatem etiam habent: hæc enim est appetitio ejus quod afficit voluptate.* Dolori itaque & lubidini modum ponere potes, ut autem dolorem nunquam sentias, aut nihil allubescat, facere non potes.

Affectus eradicari plane non possunt.

Aristot.

potes. Nam quod Stoici ex Epicuro passim decantāt, *in Phalaridis tauro si sit sapiens, dicturum quam suave est hoc, quam non curo*, id, nisi sententiam dividas, nimis profecto magnifice & parum verisimiliter dicitur: fac enim, non curet vel vincat dolorem tantum sapiens ille, at sentiet tamen, cū alias virtutis non sit vincere. Evelli ergo ex animo motus eo pacto non possunt.

Sed nec id necessum est: quamdiu enim limites à recta ratione præscriptos non emigrant, moraliter mali non sunt, ut suo loco demonstravimus. Quare nec virtuti obstant, neq; opus est ut tollantur. Quin tantum abest, ut tolli oporteat, ut sublatis ijs nec ipsa virtus moralis esse possit, sicut hoc inductione ostendit Arist. 2. eth. ca. 7. Vnde recte Plutarch. lib de virtut. morali: *Quo pacto*, inquit, *ij qui ab ebrietate sibi metuunt non effundunt vinum sed diluunt; ita affectus non abolent qui perturbationes timent, sed iis moderantur. Ita boum etiam equorumque non motus, non opera, sed petulantiam saltus freniqué rejectionem auferunt: & affectibus subactis ac cicuribus utitur ratio, non plane enervans aut evellens ex animo partem ministeriis ejus destinatam. Pindari est, sub curru equum ad aratrum bovem prodesse, aprum autem qui velit venari, ei laboris tolerantem canem esse inveniendum: multo autem his utiliores sunt affectuum fœtus, rationi ubi præsto sunt, eique ad virtutem enitenti opem ferunt. Sic moderata ira fortitudini adjumento est, odium in malos iustitiæ, ac justa indignatio adversus nullo suo merito rebus secundis elatos, quando hi dementia simul atque petulantia inflammatis animis coercitione opus habent. Iam ab amicitia naturalem*

XIII. Nec necessum est ut evellantur.

Plutarch.

turalem ad diligendum propensionem, ab humanitate misericordiam, à vera benevolentia gaudere una atque dolere, ne si velis quidem avellere ullo possis modo. Praeterea si peccant qui una cum insano amore omnem tollunt amorem, equidem non recte agunt, qui propter avaritiam omnes etiam alias damnant appetitiones. Sed perinde agunt ac si quis currendum, quod aliquando impingatur, aut iaciendum neget, quia nonnunquam scopo aberretur, aut canendum, quod in erdum inscite canatur. Enimvero sicut musica in sonis concentum non acutarum ac gravium vocum exstirpatione, in corporibus medicina sanitatem non internecione caloris aut frigoris, sed proportione contemperationis quaerunt atque conficiunt: ita in animo etiam rationi victoria paratur, cum ea perturbationibus modum mediocritatemque imposuit. Hæc Plutarchus. Idem obſervat etiam ex noſtris Dd. B. Ambroſius lib. 1. offic. c. 12. ubi explicat illud Pſal. 4.

B. Ambr. *Irascimini & nolite peccare: Moralis magister*, inquit, *qui naturalem affectum inflectendum magis ratione doctrinæ quam extirpandum noverat, moralia docet. Hoc est, irascimini ubi culpa est cui irasci debeatis: non potest enim fieri ut non rerum indignitate moveamur, alioquin non virtus sed lenitudo & remissio iudicatur. Irascimini ergo ita ut à culpa abstineatis. Vel sic: Si irascimini nolite peccare, sed vincite ratione iracundiam.* Ex his itaque manifeſtum eſt recte docere Peripateticos & veterem philoſophiam, affectus à virtute temperandos eſſe & modum accipere debere. Patet etiam quod ſupra diximus, Stoicos tantum de verbis litem movere, quod liquido ex Seneca quoque conſtare poteſt. *Quis negat*, inquit epiſt. 116. *affectus à quodam quasi naturali principio fluere?*

Seneca confessio affectus temperandos esse.

fluere? Curam nobis nostri natura mandavit, sed huic ubi nimium indulseris, vitium est. Ita Seneca.

Verum hic sciendum adhuc est, dupliciter quid dici posse mediocre, absolute & respectu nostri, sive duplex esse medium, aliud rei, aliud rationis. Absolute mediocre, seu medium rei, dicitur quod simpliciter inter excessum & defectum interjacet, nullo habito respectu personæ, loci, temporis & cæterarum circumstantiarum. Mediocre respectu nostri, vel medium rationis, appellatur quod ratio determinat & ideo respectu omnium circumstantiarum tale est. Plutarchus lib. alleg. mediocre hoc ei maxime simile esse dicit quod in musicis & sonorum harmonia consistit: sicut enim ibi concinna vox sit, quæ nec acuta nec gravis nimis est, ita in virtute mediocre dici; quo id quod ultra vel citra modum appetitionis est aufertur; & motus unusquisq; veram mensuram & rectitudinem consequitur. *XIV. Mediocre aliquid dicitur dupliciter.*

Posse autem absolute aliquid mediocre dici quod respectu circumstantiarum & considerata re non in se sed ad aliud tale non est; facile liquet. Sic cibus qui cæteris hominibus omnibus nimius est, vix modicus fuerit Herculi, aut athletæ alicui, puta Miloni Crotoniatæ, aut Therageni, quorum uterque die uno taurum quadrimum integrum solus comedit, ut testatur Athenæus lib. 10. cap. 2. Solinus c. 4. aut phagoni illi, quem uno die ante mensam Aureliani Imperat. aprum integrum, centum panes, vervecem & porcellum comedisse scribit Flav. Vopiscus in Aureliano extremo. Ad eundem modum erogare *XV. Et quomodo illud intelligendum.*

gare in rem familiarem quotidie sex aureos prodigum est, si quis tenuis fortunæ id faciat, sordidum si princeps: & alio in loco, in aliam rem, duos aureos impendere nimium est, alio loco & in rem aliam vel decem parum. Atque hoc accurate observandum est: non tam enim in medio rei quam rationis virtus consistit, & hic est modus ille, quem ipsa affectibus ponit, ne plus minusve gaudeas aut doleas quam quod cuique personæ, loco, tempori, &c. convenit. Imo mediocritas aliqua rei seu absolute ita dicta etiam in ipsis vitiis esse potest, rationis non item.

Virtus non tam in medio rei quam rationis posita.

XVII. *Error Lactantii.*

Vnde error Lactantii apparet qui libro sexto institut. cap. 16. eo argumento negat virtutem in mediocritate consistere, quod interdum etiam modicum gaudere vitiosum sit interdum vel exultare lætitia non criminosum: Sane gaudere latrocinio vel punctum temporis malum est & nimium, sicut rursus lætari recte factis nunquam quis nimis potest. Sed hæc nihil ijs obstant quæ diximus: nam si quis etiam mediocriter latrocinio lætetur, mediocriter furetur, nihilominus modum excedit, cum ipsum illud gaudere latrocinio sit ea re gaudere qua non debebas, & furari sit plus lucrari quam convenit. At gaudere ea re qua non decet, & lucrari plus quam oportet, jam tum nimium est & modum ac mensuram, quam gaudio & lucro ratio præscribit, excedit. Non ergo est hæc mediocritas illa rationis seu à ratione definita, imo non est mediocritas nisi in immediocribus & ijs quæ per se jam immodica

dica sunt. Discrte hoc docet Aristotel.2.ethic. cap.6.tex. 40. cujus integrum locum adscribemus. *Non omnis actio,* inquit, *nec omnis perturbatio medium recipit. Sunt enim quadam quarum nominibus statim vitium est implicatum, ut malevolentia latans alieno malo, impudentia, invidentia, & in actionibus, furtum, adulterium, cades, Hac enim omnia, & qua sunt hujus generis, sic appellantur, quod ipsa mala sint, non eorum immoderationes aut deficientia. Nunquam igitur fieri potest, ut ex his aliquid recte fiat, sed semper peccatur ea agendo; neque in talibus recte aut non recte faciendi vis in eo posita est, ut quatenus & quo tempore & quo modo adulterium facere oporteat, animadvertatur, sed simpliciter & absolute quidvis horum admittere, peccare est. Sanè vero medietatem seu medium in his postulare perinde sit ac si quis in iniuria facienda, in vita ignava, in intemperantia medietatem & nimium & parum quarat. Nam hac quidem ratione esset nimii & ejus quod parum est modus ac medietas, & nimii nimium & eius quod parum est aliquod parum. Sed quomodo temperantia ac fortitudinis nec nimium est, nec parum (propterea, quod medietas quodammodo est summum) sic ne illorum quidem medietas est, nec nimium, nec parum, sed ut quidque admissum fuerit, ita peccatum est. Omnino enim nec nimii, nec eius quod est parum, mediocritas esse potest, nec medietatis nimium & parum.* Atque hactenus ostensum est, quænam sit natura virtutis moralis, facile jam ejus definitio assignari possit, si illa omnia quæ hactenus dicta sunt in unum fasciculum quasi colligantur: erit enim nihil aliud, quam *habitus proareticus consistens in mediocritate ea qua ad nos est, sive quam recta*

Aristot.

recta ratio & vir prudens determinaverit, ut ea definitur 2.ethic.cap.6.

CAPUT II.

De subjecto virtutum moralium: ostenditur etiam paullo accuratius quo modo eæ parentur & quis sit illarum numerus.

SUMMARIA.

1 *De quibus deinceps agendum.*
2 *Duplex in homine appetitus & in utro sit virtus moralis.*
3 *De virtutibus Theologicis hic non agi.*
4 *Res aliquot assertionibus explicata. Prima assertio.*
5 *Resp. ad rationes Thomæ.*
6.7 *Secunda & tertia assertio.*
8 *Quomodo virtus paretur.*
9 *Objectionis dilutio.*
10 *De numero virtutum.*

QUÆ sit natura virtutis moralis ita explicavimus, & definitionem quoque ejus attulimus. Verum ut illa omnia rectius adhuc intelligantur tria præterea exponenda sunt; primo quodnam sit subjectum virtutum moralium, secundo quomodo comparentur: etsi enim jam ante hujus rei facta est mentio, paulo pressius tamen id considerandum est; tertio quis sit illarum numerus.

Diximus

Diximus supra, virtutem moralem consistere in appetitu & compescere ac moderari animi cupiditates, sed cum duplex in homine sit appetitus rationis & sensus nondum liquet uter illorum subjectum virtutis moralis sit; imo neque hoc, an uterque an alteruter, sicut nec id constat, an ideo illa compescere dicatur appetitum sensitivum eique moderari; quod ipsa sit motus ille in appetitu, an quod efficiat eum tantum; cum enim hæc duo ad refrænandum appetitum concurrant; imperium voluntatis quæ appetitum regit & obedientiam appetitus qui regitur, id quæritur an utraque facultas illa, puta rectè imperandi & prompte obediendi, sit virtus, an altera tantum & utra illarum. Et habet hæc controversia non parvam difficultatem. Arist. ut cēset Piccolomineus, omnes virtutes morales collocat in sola appetitu sensitivo, idque ex multis ejus locis ille evincere vult grad. 4. Phil. moral. c. 8. Thom. 1. 2. qu. 59. & passim pro triplici earum objecto, bono divino seu supernaturali, bono naturali proximi, & bono naturali proprio, aliud atque eliud illarum subjectum facit. Vocat autem bonum divinum objectum virtutum Theologicarum, bonum proximi objectum justitiæ & liberalitatis, bonum proprium denique objectum temperantiæ fortitudinis &c. Virtutes ergò quæ objectum habent bonum divinum, aut bonum proximi, statuit esse in voluntate, cæteras tantum in appetitu sensitivo, Scot. 3. sentent. dist. 33. omnes virtutes morales in sola voluntate constituit, & quamvis habitus aliquos ponat

11. Duplex in homine appetitus rationis & sensuum.

An in altero an in utroq; eorum sit virtus moralis.

Piccolom.

Thom.

Scotus.

etiam in appetitu sensitivo, dicit tamen eos quodam tantum modo & minus propriè virtutes esse. Idem sentit Bonavent. loc. cit. art. 1. q. 3.

III. De virtutibus theologicis hic non agi.

Hanc controversiam ut breviter expediamus, dimittimus primò ab hac tractatione virtutes Theologicas: nam neque hæ huc pertinent & extra controversiam est earum subjectum esse voluntatem tantùm: cum enim bona illa divina circa quæ versantur, ab appetitu sensitivo nec in universali nec in particulari attingi possint, facultas quoque appetendi ea resistere in appetitu sensitivo nequit. Deinde duas hypotheses ponimus, quarum prima hæc esto: Non tam appetitus sensitivus, sed etiam voluntas habitu perfici potest, & habitu indiget. Docet hoc Thom. quæst. 50. art. 5. Explicatur ita Quanquam voluntas respectu earum rerum, quas natura sua & necessariò appetit, habitu non indiget: ad quod enim natura proclivis est, ad id opus non est, ut inclinetur per qualitatem sibi superadditam: indiget tamen in cæteris. Cum enim, ut lib. 2. c. 5. ostendimus, hæc potentia animi formaliter & primò sit libera, id est, ita indifferens ad hoc aut illud faciendum vel omittendum, ut ea etiam, quæ intellectus proponit, tanquam bona, acceptare aut non acceptare possit, indiget utique habitu à quo indifferentia illa quantum per voluntatis libertatem fieri potest, ad certum quid determinetur. Qui libertatem arbitrii formaliter sitam in intellectu esse censent nullos hujusmodi habitus admittunt: si enim voluntas necessariò id omne sequitur, quod ratio suadet, ut illi statuunt,

Etiam voluntas perficitur habitibus.

non

non opus est aliis in anima rationali habitibus, quàm intellectivis, cum intellectu recte se habente laborare voluntas nequeat. Sed hunc errorem tum rejecimus ubi de libertate arbitrii actum fuit. Perfici ergo voluntas potest & debet habitibus. Altera hypothesis est. Quanquam una & eadem specie ac numero virtus esse in duabus diversis animi potentiis ex æquo non potest, attamen virtus, quæ est in una potentia principaliter, extendi potest per modum diffusionis ad aliam, ita ut eandem retineat materiam & idem nomen. Sic docet Thomas quæst.56.art.1. Explicatur hoc pacto: Duas diversas animi potentias non posse esse subjectum unius specie & numero virtutis inde patet, quod perfectiones potentiarum respiciant easdem formales rationes objectorum; quas respiciunt ipsæ potentiæ. Sicut ergo potentiæ illæ propter diversam rationem formalem objectorum specie, imò genere; differunt, ita etiam habitus qui perficiunt potentias illas. Posse tamen habitum qui in una potentia principaliter resideat extendi etiam ad alium, illo quo diximus modo, ex prudentia disci potest: hæc enim etsi habitus est intellectus, extenditur tamen certo modo etiam ad voluntatem, ut suo loco ostendetur.

Virtus quæ est in una potentia extendi potest certo modo etiam ad aliam.

IV. His præmissis rem totam aliquot assertionibus complectemur. *Primò*, cum virtus omnis moralis nihil sit aliud quàm proximum principium rectè agendi, agat autem propriè & principaliter id quod primò movet, secundariè ve-

Res tota aliquot assertionibus explicatur.

rò quod movet motum ab alio: dicimus, virtutes morales omnes ejus præcipuè appetitus perfectiones esse, qui actionem bonam producit eò quod illam imperat, & secundariò tantum ejus qui istam producit quatenus imperanti promptè obædit. Hæc assertio, quoad virtutes quæ respiciunt alterum, satis confirmatur à Thoma, cum enim appetitus sensitivus non versetur circa bonum nisi proprium, nec virtutes, quarum objectum est bonum alterius, in appetitu sensitivo residere possunt. Equidem appetitus sensitivus interdum etiam bonum proximi, sed tum tantùm, quando inter duo individua conjunctio quædam est quæ ex amore proficiscitur. At hac in re virtute opus non est: ut enim quem amamus ei benè cupiamus, id habitum non requirit quia solus affectus ad illud sufficit. Quod attinet autem ad virtutes morales omnes, ita hoc probatur ex Scoto. Primò si voluntas in se est determinata ad benè & malè agendum, sive ut supra ostendimus, indiget habitu, opus utique habet virtute. Sed hæc non potest esse, nisi virtus moralis. Ergò. Secundò posito etiam quod voluntas determinetur ab intellectu ad rectè agendum, jam nihilominus habitu indiget, ut quod ægrè alias facit, & cum difficultate, id prompte & facile fiat. Sic intellectus etiam, licet sæpe per potentiam naturalem rectè ratiocinatur, prompte tamen & facile illud non exequitur, nisi habitus logicus accedat: imò hoc conferunt potētiis naturalibus habitus, non tam ut rectè faciant aut operentur, quàm ut id promptè & cum volupta-

Virtutis principaliter residet in voluntate.

Scotus.

luptate fiat. Tertiò probatur idem ex Bonaventura hoc pacto: Quicquid est primum subjectum libertatis, illud quoque est primum subjectum habituum eorum, ob quos laudamur vel culpamur: laudari enim & culpari respectum involvit ad libertatem agendi. Sed primum subjectum libertatis est voluntas, non appetitus sensitivus, ut suo loco docuimus. Ergò etiam voluntas est primum subjectum habituum moralium. Alia argumenta affert Gregor. de Valentia tom. 2. disput. 5. q. 2. puncto secundo. Plura habet ipse Scotus, quem hic omnino vide.

Nec rationes Thomæ & Piccolominei magnam difficultatem habent, quorum ille, ut diximus aliquas, hic omnes virtutes morales in solo appetitu sensitivo collocat. Piccolominei certè longe petitæ sunt & confutatione opus non habent. Thomę præcipium fundamentum hoc est: Si objectum appetitus sensitivi ad mediocritatem redacti proportionatum est voluntati, non eget ea ad id persequendum habitu. Sed & tale: congruit enim rectæ rationi. E. Verum negatur consequentia majoris: etsi enim voluntas tale quid non potest secundum se repudiare, potest tamen id facere propter conjunctam difficultatem & molestiam. Et certè si illa proportio sufficeret, jam nec circa bonum alienum voluntas indigeret habitu, quoties illud ab intellectu proponitur ut rectæ rationi consentaneum. At ipse Thomas statuit, circa bonum alienum opus esse habitu voluntatis, propter difficultatē conjunctam, à qua sæpe impeditur, ut illud etiam refugiat V. *Respondetur ad rationes Thomæ.*

giat quod tamen, ut bonum, amplecti deberet, quidni ergò requiratur eadem de caussa circa bonum proprium? ista ergo est prima assertio.

VI. Secunda assertio. *Secunda* hæc sit: Etsi virtutes omnes præcipuè sunt in voluntate, ea tamen quæ bonum cujusq; proprium spectant certo modo etiam, inhærent appetitui sensitivo & rectè etiam, prout in eo sunt, virtutes dicuntur. Sic statuit contra Scotum & Bonaventuram Gabriel Biel. 3. sentent. distinct. 33. & post eum Gregor. de cit. *Gabriel.* Ostenditur hoc ita. Primo appetitus etiam sensitivus est principium rectarum actionum. Actio autem recta non potest proficisci à potentia nisi benè illa sit disposita: virtutis ergo ille quoque capax est. *Etiam appetitus sensitivus capax virtutis est.* Deinde evincunt hoc loca Aristot. multa. Ita Ethic. c. ultimo disertè docet virtutes morales esse in appetitu quod de sola virtute intelligere nulla necessitas cogit. Expressius adhuc idem didicit 1. magn. moral. c. 5. cum ait virtutes morales sitas esse in parte irrationali; quod de fortitudine & temperantia repetit 3 Ethic. c. 10. Nec magni momenti est quod subjicit Scotus, virtutem esse habitum proæreticum: etsi enim proæresis principaliter competit eligenti, tamen tribui & illi potest quod proæresi, obsequitur sive quod electioni conformiter agit, ut docet Cajet, 1. secundæ quæst. 56. art. 4. Imò ait, appetitus sensitivus suo modo principium est electionis sive eligere aliquid facit, licet mediatè & indirectè: movet enim hoc pacto voluntatem ipse quoque, ut lib. 2. ostendimus cum de iis quæ voluntatem movent ageremus.

Tertia

Tertia assertio. Etsi Aristot. multis in locis appetitui sensitivo tribuere videtur virtutes morales; dubium tamen non est, quin simul etiam in voluntate eas esse positas velit. Patet hoc primo ex definitione virtutis, proæreticum enim illud maximè est quod eligit, & magis quàm id quod electioni conformiter agit. Secundò ex Politicis, ubi docetur majorem virtutem esse in facultate animi superiore, quam inferiore: Tertiò expressè dicit 8. Ethic. cap. 13. præcipuam rationem virtutis & morum in electione consistere. Quoties autem virtutes ponit in parte irrationali accipiendum illud est etiam de voluntate, ut ea contradistinguitur intellectui sicut non tantum Scot. hoc loco, sed etiam Thom. quæst. 65. art. 6. ad secund. facit. Et sanè cum Arist. per irrationale intelligat præcise id quod ratiocinari aut intelligere non potest, quo pacto etiam voluntatem irrationalem esse certum est. Unde nec Ethic. cap. ultim. dicitur appetitum sensuum esse irrationalem, sed simpliciter appetitum, ὄρεξιν. At ὄρεξις etiam voluntatem & præcipuè eam complectitur, ut ex tot. cap. 2. lib. 6. manifestò patet. Imò ipse Aristot. in primo ostendit non de solo sensitivo sed de omni appetitu sermonem esse, cum ait, Τὸ δὲ ἐπιθυμητικὸν, καὶ ὅλως τὸ ὀρεκτικὸν, *illud autem concupiscit, & in universum quod appetit, eatenus ratione participat quatenus ei obedit.* Tantum de subjecto virtutum moralium. VII. *Tertia assertio.*

Quomodo verò illæ comparantur porrò jam considerandum est. Dictum est cap. 1. fieri id

consuefactione potissimum, quæ cujusmodi esse debeat 2. ethic. cap. 1. 2. & 3. ostenditur. Primum autem & communissimũ præceptum est, actiones omnes institui oportere juxta rectam rationem, seu id operam dandum, ut non illud in vita fiat, quod videtur aut maximè libet, sed quod expensis omnibus circumstantiis quam rectissimum deprehenditur: *nam omne honestum in arduo est, etiam quod vicinum honesto est: non enim tantum fieri debet sed ratione fieri. Hac duce per totam vitam eundum est, minima maximaque ex hujus consilio gerenda sunt*, ut Seneca ait libr. 2. de benefic. cap. 18. Ejusmodi autem est quod verum modum & mediocritatem ac concinnitatem habet: sicut enim actiones virtutis consistunt in medio, ita sine dubio & eæ quibus virtus paratur illis aut similes aut eædem sunt. Sed quia difficile est mediocritatem & modum in rebus omnibus tenere, sicut & in circulo medium nancisci non cujus vis sed artificis tantum est, id proximum fuerit, ut ab eo extremorum quod medio maximè adversatur, studiosissimè semper recedatur: hoc enim citiùs ad medium pertingemus. Tertiò cum multæ ad consequendum habitum requirantur actiones, desistendum ab hac adsuefactione ante non est, quàm id quod agimus prompte & cum animi aliqua voluptate nos facere sentiamus: quanquam enim numerus definitus actuum, quibus habitus paratur, non est, id tamen indicium certum fuerit, jam eum esse acquisitum, si illud cum animi jucunditate & facilè ac prompte nunc agas

Primum præceptum.

Secundum.

Tertium.

agas quod ægrè ante & cum difficultate fiebat. Quartò attendendum est ad quæ vitia naturâ potissimum proclives simus, ut ita in contrarium nitendo ad virtutem pervenias: sicut enim qui ligna curva dirigere volunt in partem contrariam ea flectunt, ita etiam hic faciendum est & natura in contrarium trahenda ideò ut in medio constituatur. Postremò in omnibus suspecta esse debet voluptas corporis; cum enim hæc à primis annis in sensus & animum nostrum irrepat, facillimè ea nobis imponit & nos dulcedine sua depravat, ac planè ut pecunia judices corrumpit, ita hæc animum occæcat ut pravè de rebus nostris & omni vita sæpè statuamus. Vnde Cicero 1. offic. *Pertinet*, inquit, *ad omnem officii quæstionem semper in promptu habere quantum natura hominis pecudibus reliquisque bestiis antecedat: illa enim nihil sentiunt nisi voluptatem ad eamq; feruntur omni impetu, hominis autem mens discendo alitur & cogitando semper aliquid aut inquirit aut agit, videndiq; & audiendi delectatione ducitur: quin etiam si quis est paullo ad voluptates propensior modò non sit ex pecudum genere: sunt enim homines quidam non re sed nomine; sed si quis est paulò erectior, quamvis voluptate capiatur, occultat & dissimulat appetitum voluptatis propter verecundiam.* Ex *quo intelligitur corporis voluptatem non satis esse dignam hominis præstantia, eamq; contemni & reiici oportere: sin sit quispiam, qui aliquid tribuat voluptati, diligenter est tenendum esse modum ejus fruendæ.* Hoc ratione paratur virtus.

Quartum.

Vltimum.

Sed hic difficultas aliqua adhuc est. Ostendimus bona agendo bonos fieri, & diximus actio-

IX. *Objectio.*

nes quæ gignunt in nobis virtutem, aut easdem esse cum illis, quas postmodum virtus ipsa producit, aut certè illis similes. Quæri ergò potest & quærit ipse Aristoteles loc. cit. cap. 4. qui possit quis bona agendo fieri bonus, puta temperanter vivendo temperans, liberaliter faciendo liberalis, &c. cum is qui bona agit jam sit bonus, qui temperanter vivit, temperans, &c. Ita qui grammaticè scribit grammaticus est, qui vestes rectè conficit sartor & sic porrò in artibus cæteris. Quæri deinde & hoc potest: si actiones illæ quæ præcedunt virtutem sint eædem cum iis quæ illam sequuntur, quî fiat quod illæ sint ejus rei causa hæ tantum sunt effectus? Verum sciendum est primò, aliud esse bona agere & illud benè agere propriè loquendo. Bona agit quisquis agit quod agunt boni, bene, qui eo modò & animo id agit quo illi. Deinde longè diversa ratio est virtutum & artium; quæ enim ab arte fiunt ea bonitatem suam in semetipsis positam habent, quæ à virtute in animo agentis, cum in illis spectetur tantum quid fiat, in his, non tam quid, quàm quomodo factum sit. His observatis facilè respondetur utrique objectioni. Ad priorem sic. Boni fiunt agendo bona, nec tamen jam boni sunt dum fiunt, quia bonus nondum est qui bona agit sed qui benè. Ita qui abstinet à turpi aliqua voluptate facit quod temperantes solent, sed temperans tamen statim non est: nam fortè invitus facit. Nec impedit quod grammatici sunt qui grammaticè scribunt, cum alia ratio sit virtutis alia artium, ut diximus. Imo fieri & hoc

Alia ratio artium alia virtutum moralium.

hoc potest, ut grammaticè quis scribat, qui tamen grammaticus non sit, quod tale quid fieri possit etiam fortuito vel certè suggerente altero. Ad posteriorem objectionem dicimus, actiones quæ præcedunt & sequuntur habitum virtutis, esse unas & easdem materialiter potiùs quàm formaliter: formam enim omni actioni morali præbet animus potissimum agentis & principium in animo à quo illa proficiscitur, ut infra ostendemus. Simpliciter ergo seu specie eædem non sunt, etsi nec toto genere tamen differunt, ut rectè docet Piccol. grad. 2. cap. 10. Hæc ita sic se habent.

X. *De numero virtutum.*

Unum restat scilicet quis sit numerus virtutum; qua de re variè fuerunt opiniones veterum. Menedemus Eretriensis & Aristo Chius unam tantum faciebant, quæ vel nomine vel objectis solùm differret, ut testatur Plutarchus de virtute morali in initio. Eandem opinionem ibi etiam Zenoni Cittico & Chrysippo tribuit. Sed hic error pridem profligatus est. Plato & Arist. quanquam copulatas inter se virtutes esse statuunt, plures tamen faciunt. Præcipuæ quarum Plato mentionem facit, sunt Prudentia, justitia, temperantia, fortitudo & sanctitas. Vide eum in Protagora & Alcinoum cap. 28. Aristot. novem, vel si magnificentiam à liberalitate & magnanimitatem à modestia distinxeris, undecim proponit & explicat: in numerum autem ipsum nusquam inquirit. Doctores Scholastici vulgo ex D. Ambros. libr. 1. offic. cap. 24. & lib. 5. in Lucam cap. 6. *Beati pauperes*, & aliis Patribus,

qua-

quatuor, adferunt virtutes cardinales temperantiam, justitiam, prudentiam & fortitudinem. Et alii alias rationes proponunt quibus numerum istum confirment. Nos illum qui est apud Arist. verum & legitimum esse arbitramur. Neq; hoc ratione sed inductione ostendimus, ut fieri etiam aliàs solet quum numerus specierum aliquarum est asignandus. Sufficiens est numerus iste, quia nulla moralis virtus, quæ ad vitam civilem spectat & natura duce cognosci aut parari potest, reperitur præter has, nec justo major est, quia omnes quas recenset Arist. specie distinctæ sunt. Sunt quidem qui insufficientiam hic nobis ostendere conantur, præsertim Ethicæ, ut vocant, Christianæ authores, sed errant. Ajunt omissam esse pietatem, beneficentiam, misericordiam & similes habitus. Verùm aut intelligitur per pietatem amor erga parentes & propinquos, aut cultus numinis. Si illud, non est virtus sed affectus bonus: à natura enim inest; sin hoc, non est virtus civilis sed Theologica: quomodo enim Deus rectè colatur naturâ duce cognosci nequit, nedum cultus ille rectè peragitur illius viribus. Beneficentia autem cũ liberalitate ferè coincidit. Misericordia deniq; accipitur itidem vel pro animi nuda cõmotione, vel pro habitu quo misericordiam exercemus. Si pro commotione est affectus, sin pro habitu rursus est liberalitas: pauperi enim stipem dare & miseriam ejus hac ratione sublevare ad illam virtutem pertinet. Eadem ratio est cæteris quæ pro augendo numero virtutum allegari hic plerumque solent.

Sufficientia numeri eius qui est apud Arist.

CAPVT

CAPUT III.

De natura vitiorum horumque inter se distinctione & oppositione.

SUMMARIA.

1 *Vitium nunc habitum nunc actum dicere.*
2 *Proclivitas ad bonum & malum in civilibus.*
3 *Discrimen inter actum & habitum malum.*
4 *Quid sit vitium.*
5 *De vitiorum distinctione, & quomodo ea distinguant. Thom. & Scot.*
6 *Cajet. sententiam Thom. nimis latè extendere.*
7 *Distinctionem non posse sumi ex solo ordine ad objectum.*
8 *Cajet. refutatur.*
9 *Vitiorum oppositio.*

POSTQUAM de virtute in genere agimus, locus hic monet ut & de natura vitiorum aliquid dicatur: quia enim virtus omnis inter duo vitia, aut extrema medium aliquod est, hoc rectiùs natura & indoles ejus cognoscetur, si etiam vitiorum ipsorum naturam noveris. Primo autem ostendetur quid sit vitium, secundo quomodo vitia inter se distinguantur, & tertiò quomodo opponantur cùm virtuti, tum sibi inter se. Principio igitur notum est vitiũ appellari interdum

1 Vitium interdum de habitu, interdum de actu dicitur.

dum actum, interdum habitum vitiosum. Priori modo vox accipitur cum consul dicitur vitio creatus esse, posteriori cum vitia appellantur avaritia, injustitia, intemperantia & quæ his sunt similia. Est verò posterior vocis acceptio frequentior & magis usitata, qua & hîc à nobis capitur: de habitibus enim vitiosis sermo nobis est. Quia tamen de hebitu judicari non potest nisi ex actionibus, quarum ille principium est, ita de vitiis ipsis disputabitur à nobis, ut vitiosorum actuum identidem mentio facienda sit. Non tantùm autem accuratè distinguendum est inter habitum & actum malum, sed in universum inter tria ista, habitum, actum & proclivitatem malam: his enim confusis natura vitiorum rectè percipi nequit. Singula quid sint exponemus.

II. Proclivitas ad bonum & malum in civilibus.

Ostendimus suprà, hominem nec virtute nec vitiis præditum nasci, sed semina utrarumque rerum cum nascendi origine copulata habere. Semina ista virtutum & vitiorum sunt proclivitas ad virtutem & vitium, sive indoles utriusque rei capax: virtus tamen & vitium ipsum non sunt, ut itidem tum diximus. Est autem proclivitas illa ad bonum à lumine naturæ & libero arbitrio, quantulum illud cumque in homine post lapsum manet, proclivitas ad malum à corruptione naturæ: cum enim de rebus civilibus rectè judicare adhuc per naturam homo quadamtenus possit, vel etiam & facere pro arbitrio hæc talia, proclivitas utique ejusmodi in homine reliqua est. Sed cum contrà in his ipsis rebus idem errare possit & facultas illa faciendi quæ recta sunt imbecillitate magna

magna laboret, fit ad mala non minus, imò magis inclinet. Et ut verbo dicam, sicut lumen illud naturale intellectus, & libertas illa reliqua voluntatis, in uno subjecto cum peccato originis & naturæ corruptione conjunguntur, ita etiam igniculi illi boni cum pravis cupiditatibus in nobis copulantur. Quare nec ita naturâ homo tendit ad bonũ, quin proclivior idem sit ad malum: nec rursus tamen ita fertur in malum, quin in rebus civilibus etiam bonum sequi possit. Signanter dico, in rebus civilibus, quia in spiritualibus id per proprias vires planè non potest ut lib. 2. multis ostendimus. Proclivitatem ergo malam vocat Ethicus, cum ad id naturâ ferimur quod civiliter malum & inhonestum, sive quod ex lumine naturæ cognoscitur malum esse, sicut proclivitas ad bonum ei est ferri ad id quod honestum & lumini naturæ congruum. Cæterum à proclivitate illam ad malum oriuntur actus mali, à proclivitate ad bonum actus boni, qui cum crebrò repetuntur gignunt habitus: ita enim fieri videmus ut qui crebrò agit recta aut prava is promptitudinem sibi in utroque paret majorem quàm quæ aderat anteà. Hæc promptitudo nova & naturali potentiæ superveniens habitus est: qui si ortus sit à bonis actibus bonus est & virtus, sin à malis malus & vitium.

Actus boni & mali.

Habitus.

III. Discrimen inter illa omnia.

His ita explicatis facilè jam est intelligere quid sit habitus malus, quid actus & proclivitas mala, modo id tantum adhuc notes, actus malos esse non solum eos qui antecedunt habitum malum sive vitium, atque id producunt, sed etiam quos

quos habitus ipse & vitium illud postmodum procreat. Vnde & discrimen illorum omnium apparet magnum sanè; proclivitas enim mala à natura inest, actus autem & habitus mali ei superveniunt & à nobis superadduntur: item actus est aliquid transiẽs, sed habitus permanet. Cum ergo de natura vitiorum & in universum de vitiis fit mentio in Philosophia morali, non intelligitur vel proclivitas illa naturalis vel actus aliquis malus sed habitus. Equidem Theologi peccatum etiam originis vocant vitium & tamen illud natura inest & in naturali proclivitate ad malum consistit sed id ideò fit ut peccato actuali eò rectius contra distinguatur, & quia corruptio illa totam naturam insedit & peccatorum actualium omnium principium & origo est, sicut eodem sensu etiam habitum corruptum malum habituale appellare solent.

Quomodo peccatum originis vocetur habitus.

IV. Quæ omnia si quis rectè observârit facilè jam intelliget, quid sit vitium propriè loquendo & ut hic loci vocem illam accipimus: sicut enim virtus est habitus eligendi ea quæ bona sunt & observandi mediocritatem in rebus omnibus, ita contrà vitium fuerit habitus eligendi mala, seu sectandi ea in vita quæ à modo & mediocritate aberrant, sive id excessu sive defectu fiat. Dico esse habitum electivum sive proæreticum: quemadmodum enim virtus non est si vel semel vel casu rectè quis quid faciat, sed electionem in animo bonam esse oportet, ita nec vitium propriè est ubi vel semel vel ex affectu vel imbecillitate aliqua quispiam impingit, sed cum ita comparatus

Quid sit vitium.

tus

tus animo jam est, ut quod facit deliberato faciat & actionibus ejusmodi assueverit. Nam quod de injustitia Marcus Tullius dicit 1. off. *permultum interesse, utrum perturbatione aliqua animi, quæ plerumque brevis est & ad tempus, an consultò & cogitatò fiat iniuria. leviora enim esse ea quæ repentino aliquo motu accidunt quàm ea quæ meditata & præparata inferuntur*, idem de omni actione mala valet: tum demum etiam vitium adest, ubi consulto & planè liberato animo mala perpetramus. Et ut supra diximus signum id esse virtutis acquisitæ si bona agantur cùm animi voluptate: ita vitium tum consummatum est, cum turpe quippiam non solum delectat amplius sed etiam placet. Patet hoc ex intemperantibus & incontinentibus. Neutri enim voluptatibus corporis modum ponunt, sed multum interest tamen, incontinensne sis an intemperans. Incontinẽs voluptati indulget, sed affectu aliquo præventus: etsi enim temperare sibi nequit, non tamen ei placet sic agere, quia statim dolet ubi cupiditatem expleverit. Caussa est quod vi affectuum potius quam animi electione talia facit. At intemperans ita voluptates illas sectatur, ut putet rectè se facere, & gaudeat ijs, nec post factum quidquam ejus ipsum pœniteat. Quare intemperantia revera est vitium, sed incontinentia dispositio tantum prava, etsi & hæc ipsa degenerare in illud tandem potest, si diutius duret. Hinc etiam fit quod incontinentia, & pravæ dispositiones similes, emendari possunt, vitia ipsa vix possunt: præterquam enim quod etiam aliâs in universum dis- *Esse habitum & consistere in electione.*

X posi-

positiones facilè, habitus admodum difficultèr loco moventur, ut ex Logicis notum est; id hîc necesse est evenire. Caussa hæc est quod electio primum illud movens in omni actione virtutis, depravata est: unde etiam judicium corrumpi sensim oportet: nec enim facilè quis consultò & deliberatò facit, nisi quod omnino pulchrum esse penitus sibi persuasum habet, adeoque ita facere jam assuevit: *desinit* autem *remedio esse locus ubi quæ fuerant vitia mores sunt*, inquit Seneca epist. 39. Et quî rectum maneat judicium aut remedio locus, cum principia ipsa aboleantur per vitia, ut de intemperantia hoc expressè docet Aristoteles ethic. cap. 5 Ita patet vitia in electione consistere.

Qualis sit electio in vitiis. Eliguntur autem ea quæ à modo & mediocritate aberrant excessu aut defectu. Vbi duo observanda sunt. Vnum est excessum & defectum illum æstimari ex natura ejus mediocritatis quæ virtuti propria est: sicut enim virtus non tam consistit in medio aut mediocritate rei quàm rationis, ita etiam excessus & defectus intelliguntur hoc loco illi qui isti mediocritati opponuntur. Alterum est, excessum & defectum interdùm unum, interdum & quidem plerunq; duo diversa vitia & habitus constituere. Vno vitio comprehenduntur tàm excessus quam defectus, quando una & eadem actio plus & minus habet, sicut contingit in injustitia: qui enim injustè agit is unâ actione excedit modum & deficit, quia plus boni sumit & minus tribuit alteri quàm debebat, aut minus mali ipse tolerat, plus alteri relinquit. Duo distincta vitia oriuntur quo-

tur quoties distinctæ actiones sunt quarum una tantùm excedit modum, altera tantum deficit in cæteris vitiis omnibus. Ità qui avarè agit deficit tantum, putà in eroganda pecunia, qui prodigaliter, modum excedit tantum, &c. Vnde etiam fit quod soli justitiæ unum vitium opponatur, cæteris virtutibus bina semper, item quod justitia medium obtinere dicatur inter duo extrema tantùm, cùm cæteris virtutes mediæ sint inter duos habitus vitiosos. Ita liberalitas intercedit inter prodigalitatem & avaritiam duos distinctos & peculiares habitus, fortitudo inter timiditatem & audaciam, &c. Justitiam autem habitus vitiosus utrinque non circumstat, sed vitium, quod ei opponitur unum tantum, plus & minus suo complexu continet. **Hæc est natura vitiorum.**

V. *De vitiorum distinctione.*

De distinctione autem eorum statui non potest nisi perspecta ante fuerit, distinctio actuum malorum. Quomodo verò actus malus unus discriminetur ab altero, conversantur inter se Doctores Scholastici Thom. 1. secundæ q. 72. art. 1. specificam distinctionem petit ab objectis sive à controversione actionis ad aliud atq; aliud objectum virtutis objecto contrarium. Verba ejus hæc sunt: *Manifestum est quod unumquodque consequitur speciem secundum illud quod est per se non autem secundum id quod est per accident. Et ideo peccata specie distinguuntur ex parte actuum voluntariorum magis quam ex parte inordinationis in peccato existentis. Actus autem voluntarii distinguuntur specie secũdum objecta: unde sequitur quod peccata propriè distinguantur specie secundum ob-*

Thom. distinguit per subjectũ. Scot. per privationem.

dum objecta. Scotus contra 2. sent. dist. 37. discrimen illud ponit in aversione actionum à debito fine, sive privatione perfectionis, quàm adesse in ijs oportebat: *Cum*, inquit, *privationes distinguantur specie ex distinctione habituum specifica, & numero ex distinctione habituum numerali, peccata quæ sunt privationes quædam, scilicet rectitudinum quæ deberent inesse actibus, distinguuntur formaliter ex distinctione talium rectitudinum. Vt quando debent haberi diversæ rectitudines specie, sunt carentiæ diversæ specie, & ita per conversiones ad objecta, quæ non sunt mala nisi materialiter, non distinguuntur ipsa peccata, sed formalis ratio in eis distinguitur in comparatione ad rectitudinem aliam & aliam specie quæ debet inesse.* Hæc Scotus. Discrimen exempli gratia inter actiones hominis intemperantis & injusti in eo ponit Thomas, quod actiones intemperantis spectent illicitas voluptates corporis, actiones injusti bona aliena. Scotus quod actiones intemperantis careant rectitudine quam intemperantia observat, actiones injusti rectitudine, quam præscribit justitia.

VI. Cajetanus sententiam Thomæ nimis latè extendit.

Cajetanus ad Thomam loc. cit. eousque sententiam Thomæ extendit, ut illum ordinem actus mali ad objectum putet esse ipsam formalem ejus rationem, & vocet malum contrarium sive *malitiam positivam*, cum privationem rectitudinis quæ est in actu malo appellet *malum privativum*. Et hinc est quod tria dicit concurrere ad actum intemperantis, primò actum ipsum, secundò malitiam contrariam temperantiæ, & tertiò denique privationem rectitudinis quæ est intemperantia & esse in illo actu debebat. Primum

mum vocat *materiam bonitatis* & malitiæ, alterum *formam ipsam* intemperantiæ, & tertium *consequens* ejus aliquod. Cajetanum sequitur Bartholomæus Medina in 1.2.q.71. artic. 6. Ante utrumque autem, ut ille annotat, Franciscus Victoria eadem de caussa censuit malum, siquidem absolutè & in genere consideretur formaliter privativum esse, sed si in specie, non esse formaliter privationem sed specificari ex objecto contrario rationi. Similiter & Canus, eodem teste, naturam communem mali putavit consistere in privatione, sed morale positivum quid esse dicebat, sed tale tamen quod sit Ens rationis, ne malum à DEO esse statueretur. Quin etiam ex recentioribus Gabriel de Vasquez in 1.2.disput.95.cap.10. malum morale formaliter in relatione rationis constituit: illam autem dicit esse dissonantiam à natura rationali.

Eum sequitur Barth. Medina.
Item Victoria.
Canus & Vasquez.

VII. Verum enimvero quia omnis actus malus, quatenus est malus, per se defectum aliquem includit, atque in eo formalis ipsius ratio consistit, ut suo loco multis ostendimus, non potest ex solo illo ordine actus ad objectum æstimari species actuum malorum, sed oportet omnino ut etiam ratio privationis habeatur, sic rectè censet Scotus. Nec intelligi potest, quomodo species positiva esse queat sub genere privativo, imò ut Medina dicit, *absurdum hoc est tum in Dialectica tum in Metaphysica.* Omnis ergo actus malus privationem includit in sua specie. Nec tamen hoc obstat quo minus ubi ad inferiora descenditur differentia ab objecto vel subjecto desumatur,

Distinctio non potest sumi ex solo ordine ad objectum.

 ut vult

ut vult Thomas: sicut & aliàs fit in puris privationibus. ita surditas distinguitur à cæcitate ratione habitus, quod hæc sit visus, illa auditus absentia. Ad eundem modum, sed objecto, distinguuntur actus mali qui distinctis virtutibus opponuntur. Ita injustè & intemperãter agere differunt, quod hoc sit aberrare in percipiendis voluptatibus corporis, illud in commutandis aut distribuendis bonis. Qui autem uni virtuti adversantur distinctionem à subjectis accipiũt. Sic timidè & audacter agere distant, quod illud est aberrare circa pericula adeunda dum multũ timetur, hoc dum parùm. Neq; hinc tamen cum Cajetano concludendum esse actuum malorum formas malum aliquod positivum: etsi enim per objecta & subjecta ita ut diximus distinguuntur, longè tamẽ aliter se hic habet ratio distinctionis atq; in rebus absolutè positivis: multũ enim metuere & parum metuere ut sunt actus positivi, jam sua natura distincti sunt, imò sibi inter se cõtrarii. Quare opus non est per formam aliquam novam distinguantur. Nec mali sunt quatenus habent multum aut parum præcisè, sed quatenus multum aut parum à recta ratione discrepat. Quod ergo actus illos malos distinguit, malum in se non est, utut ei malum accidat.

Quomodo fiat distinctio.

VIII. Cajetani sententia refutatur.

Et verò sententiam Cajetani falsum esse docet etiam Gregorius de Valentia tom. 2. disp. 6. q. 2. puncto 1. imò Deum autorem peccati multis modis facere & commẽtitiæ illi distinctioni duplicis malitiæ inviti accuratè probat Vasquez loc. cit. c. 2. Et ipse Cajetanus absurditatem suam

prodit,

prodit, quando ultro fatetur malum illud sive *rationem illam mali moralis*, ut vocat *positivam*, ac virtuti contrariam à Deo esse quæst. 17. artic. 6. & quæst. 18. art. 5. Quod si autem cum Cano & Vasquezio ad absurditatem illam declinandam, & ne Deus autor peccati fiat, dicas positivum illud non reale sed rationale esse frustra id quoque est: primò enim si forma mali consistit indissonantia rationali, forma virtutis posita erit similiter in consonantia rationali, atque adeo virtus speciem suam habet ab Ente rationis, quod absurdum est. Secundò, relatio & multo magis relatio rationis nihil per se operatur. At virtus operatur. Ergo ipsa non consistit in ejusmodi relatione, atque adeo nec vitium. Tertiò futurum sit eo pacto ut virtus & vitium non in prædicamento qualitatis sed relationis constituantur. Quartò si formalis ratio vitii sit Ens rationis, ipsum illud erit tale Ens, quod nemo dicet. *Item Cani & Vasq.* Nos itaque insistentes sententiæ communi omnium veterum, ita species vitiorum distinguimus, ut quæ diversis virtutibus adversantur actionum suarum objectis differant, quæ uni & eidem virtuti subjectis, nec minus tamen ratio formalis utique maneat privativa. Ita injustitia & avaritia differunt quod altera circa pecuniam erogandam, altera circa bona commutanda aut distribuenda versetur: audacia autem & timiditas quod illa exorbitat, sive principium exorbitandi est, dum parum metuitur, hæc dum multum. Hoc igitur modo vitia inter se distinguuntur.

IX. *Vitiorum oppositio.*

Oppositio autem illorum duplex est: nam & inter se opponuntur & virtuti. Inter se opponuntur contrariè: quemadmodum inter duos actus malos qui sub uno & eodem genere longissimè distant contraria oppositio est, ita etiam inter duos habitus qui principia sunt ejusmodi actionum. Nec impedit quod formalis ratio vitii privativa sit: sicut enim in actibus malis oppositio fit ratione materialis, id est, opponuntur inter se qua sunt actus, non qua mali: ita etiam vitia contrariè pugnant non quatenus vitia sunt formaliter aut aberrant à virtute, (hac enim in re conveniunt) sed quatenus sunt qualitates longissimè distantes. Ita opponuntur inter se. Cum virtute autem pugnant privativè: sicut enim virtus est principium actionum honestati & legi naturæ conformium, ita vitia sunt principia actionum, quæ conformitate illa carent. Quia ergo virtus quatenus virtus ponit illud quod vitia, qua vitia sunt, tollunt, virtus quoque qua virtus, vitium, qua vitium, privativè inter se opponuntur. Nec absurdum est unam aliquam rem uni contrariè alteri privativè opponi: cũ enim quid purè positivum aut purè privativum non est, sed utrumque participat, fit ita ut quod positivum in eo est fundamentum sit contrarietatis, quod privativum oppositionis privativæ.

CAPUT

CAPVT IV.

De principiis actionum humanarum.

SUMMARIA.

1 *Quam necessaria cognitu sit doctrina de principiis actionum.*
2 *De princip. actionum exteriorum hic agi.*
3 *De spontaneo, & quid sit conscientia.*
4 *Quotuplex sit conscientia, & quid sit recta.*
5 *Quid errans.*
6 *Quid probabilis.*
7 *Quomodo obliget.*
8 *Quid sit dubia.*
9 *Quid scrupulosa.*
10 *Quomodo quid dicatur Spontan. ratione principii interni.*
11 *De invito & primò per violentiam.*
12 *De invito per ignorantiam.*
13 *Quomodo ignorantia caussa rei esse possit.*
14 *Quotuplex ea sit.*
15 *De vincibili & invincibili, &c.*
16.17 *Qui & quatenus ignorantia actionem invitam reddat.*
18 *Cautela.*
19 *Ignorantiam anteced. & invicibilem invitam actionem reddere.*
22 *De electione.*

1. *Quam necessaria cognitu sit doctrina de principiis actionum.*

NULLA est doctrina in Ethicis aut nobilior aut ad omnem vitam civilem cognitu magis necessaria eâ quæ de actionum nostrarum principiis tractat. Nam quid sponte & ultrò fiat, quid ab invitis, quid destinato animo, quid ex affectu aut imbecillitate, si quis accuratè dignoscere nequit, eum totius humanæ vitæ rationes ignorare necesse est; quod enim M.Tull. 1. offic. de injuria dicit (libet enim etiam hic illud repetere) *per multum interesse, utrum perturbatione aliqua animi, quæ plerumque brevis est & ad tempus an consultò & cogitato quid fiat: leviora enim esse quæ repentino aliquo modo accidunt, quam ea quæ meditata inferuntur,* id de omni actione ita se habet, sicut omnibus etiam principiis accommodatur quod Arist. 3.c.2. de proæresi ait, ex ea magis quam ex ipsis actionibus mores æstimari. *Affectus tuus nomen imponit operi tuo: quomodo à te proficiscitur, sic æstimatur*, dicit B.Ambr.lib.1.offic.c.30. Accedit quod nec definiri virtus aut vitium potest sine mentione eorum principiorum, ut suo loco paruit, quodq; ex solis illis ostenditur totius Ethicæ & doctrinæ civilis fundamentum, id tam virtutes quam vitia in nostra potestate esse, sicut à Philosopho

factum

factum est 3.eth.c.5. Estque hæc res tam manifesta, ut passim etiam ICti eam inculcent, præcipuè ubi de delictis agunt. *Voluntas & propositum distinguit maleficia*, inquit Paulus l. qui injuriæ 53. ff. de furt. *& aliud est quod impetu aut casu delinquitur ab eo quod consultò sive ex proposito* l. 5. ff. de pœnis & l. 11. ff. eod. Aristot. doctrinam hanc diligentissimè persecutus est 3. eth. Nicom. à cap. 1. usque ad 6. 1. M.M. à 13. ad 19. & 2. ad Eudem. à 7. ad 11. Enumerat autem & explicat principia ista: Spontaneum & Invitum, Electionem, Consultationem & voluntatem sive voluntarium. Dico *Voluntarium*: vocabulum enim voluntatis primo sed pro secundo accipimus. Nos de singulis ordine agemus.

Sed antequam rei ipsi immergamur, tria heic conservanda sunt in initio; unum est, cum actus hominum alii sint exteriores alii interiores, de principiis exteriorum tantum hic quæstionem esse; hi enim cum in sensus & publicam lucem incurrant, actiones κατ' ἐξοχὴν in civilibus appellantur. Actus autem interiores principia tantum sunt cæterorum. Ita electio, consultatio, & voluntas actus sunt: eligere enim, cōsultare, velle, agere est, & omnia ad Prædic. Actionis pertinent. Quare principia ista sunt actionum, nō omniū, sed exteriorum. Deinde & hoc sciendū est, principia illa ita numerari & distingui ut unum ab altero, si non ex omni parte & realiter, saltem ex natura rei, & tanquam commune à minus communi differat. Vnde ipse Arist. omnem ele-

II. De principiis actuum exteriorum hic agit.

Distinctio principiorum.

ctio-

ctionem spontaneum quid esse dicit, licet non omne spontaneum sit electio, ostendens, ideò tantùm duo ista distingui, quia unum altero latius sit. Eadem ratio est de cæteris: nam & omne eligere est velle, ut suo loco dicetur. Sed hoc illo itidem latius patet. Quare etiam electio & voluntas distincta principia sunt. Et verò sufficit hæc distinctio, cum manifestum discrimen in ipsis actionibus hinc resultet: sicut enim plurimum ad mores, interest an actio tantum & simpliciter sit spontanea, an etiam proæretica, quia illa potest ex solo affectu aut inadvertentia aliqua profecta esse, hæc sæpè ex certâ malitia: ita etiam principia illa distinctissima sunt, si cōsiderationem ethicam spectes, quidquid de ijs fiat, prout à Physico considerantur. Tertiò notari debet non esse principia plura aut pauciora quā enumeravimus. Pauciora non sunt, quia omnia hæc sunt principia, & unum tamen est ab altero, ut diximus, distinctum: quanquam enim spontaneum cum voluntate conincidere videtur, nō tamen ita est, cum illud certa ratione etiam brutis & infantibus competat, 3. eth. cap. 1. tex. 21. & cap. 2. t. 30. hæc soli homini propria sit. Ne nunc dicam, quod quæ sola animi cupiditate fiunt sponte fiant, & sæpè tamen reluctante voluntate, ut incontinenti accidit. Equidem Scholastici voluntarium nonnunquam tribuunt etiam brutis; unde & duplex faciunt illud, voluntarium secundum perfectam & voluntarium secundum imperfectam rationem. Sed quid ea de re statuendum sit suprà diximus. Cæterum nec plura prin-

Numerus eorum.

principia sunt: etsi enim Aristot.3. eth.c.5.etiam de libertate arbitrii, sive de ijs quæ in nostra potestate sunt,agit: non tamen libertas arbitrii peculiare principium constituit, nec eo nomine illic à Philosopho explicatur. Non facit peculiare principium: vel enim libertatem illam accipis propriè, vel prout etiam vestigia libertatis eo nomine comprehenduntur. Si illud,convenit cum voluntate, quando adhoc institutum pertinet: liberè enim & libera voluntate quid fecisse unum sunt: sin hoc, idem est cum spontaneo: ita enim liberè quem quid fecisse perinde est atque ultrò & non invitum fecisse. Sed nec Arist.explicat libertatem ut peculiare principium, cum id tantum illic loci agat, ut ostendat, omnes virtutes & vitia in nostra potestate esse ideò quod & principia tam virtutum quam vitiorum in nobis posita sint. Hunc esse scopum illius capitis etiam Thom. & Acciaiolus statuunt. *Libertas arbitrii non est peculiare princi- pium à cæteris distinctum.*

His suppositis ad ipsa nunc principia accedimus initio,facto à spontaneo. SPONTANEUM Arist.3.eth.c.1.t.10.definit, *cuius principium est in ipso agente, sciente singula in quibus est ipse actus*: cum enim ab invitis aliquid fiat, ut post explicabimus, duplici de caussa, aut propter principium externum actionis, sive per vim, aut propter ignorantiam, oportet ea quæ sponte fiunt & ab interno principio & à scientibus fieri. Vt autem ratio sponte factorum rectiùs percipiatur explicandum est 1. quomodo quid sit spontaneum ratione scientiæ. 2. quomodo ratione principii interni. Scientia igitur quæ principium est actionũ nostrarum pro- *III. DE SPONTANEO.* *De conscientia. Quid sit.*

propriè alias *conscientia* vocatur. Quæ quid sit alibi exponitur: heic id nosse sufficit, esse eam cognitionem sive scientiam ad vitæ actiones adplicatam, ut docet Thom. par. 1. q. 79. art. ult. sive intellectus judicium, quod dictat bonum quid aut malum in vita esse, ut Vasquez in 1. 2. tom. 2. disp. 59. art. 1. Est verò judicium hoc duplex, de faciendis & de factis. Judicium de faciendis denotat conscientia cum quis dicitur agere secundum aut contra conscientiam, de factis, cum idē rei benè aut malè gestæ conscius sibi est. Heic loci priori sensu vox capitur: illud enim tantum judicium intellectus quod præcedit actionem, sive est de rebus faciēdis, ad nostrum institutum pertinet. Est verò conscientia principium actionum quatenus est quasi præco quidam leges naturæ aut divinæ, id est, homini proponit & suggerit quid utriq; illi consentaneum vel dissentaneum sit, aut in universum quid fieri vel non fieri in vitâ debeat: etsi enim ipsa lex naturæ & divina prima & unica norma est actionum omnium, id tamen ita intelligitur quatenus lex utraq; cognoscitur sive cognosci ab homine poterat. Et quemadmodum ll. civiles norma sunt ad quam tota Respublica componitur, sed remotior quā scientia istarum legum: tum enim demū lex obtinet cum ad notitiam vel pervenit vel pervenire potuit, l. Divæ 65. in fin. Cod. de decur. ita etiam lex naturæ & divina præcipuum, sed paulò remotius principium sunt actionum omnium, proximum legis utriusque cognitio. Ista verò cognitio conscientia est, unde illa à Joan. Damasc. 2. de orthod.

Quomodo conscientia sit principium actionum.

orthodox.fide cap 12. lex intellectus appellatur. Ab hac ergò tanquam proximo principio dependent & ad eam ut amussim exiguntur actus omnes, ut rectè faciat, qui id agit quod faciẽdum conscientia præcipit, vel certè contrarium non agit, malè qui non agit quod jubet, vel facit contrarium, ut docet Thom. 1.2.q.19.art.3.&4.& illic Vasquez disp.58.cap.2. Idq; tam certum est, ut nulla dispesatio efficere possit, ut agat quis cõtra cõscientiã propriè ita dictam & tamen non peccet: sicut enim quamdiu manet præceptum peccat qui contra illud agit: ita etiam quamdiu manet conscientia contradictio in objecto est agere contra eam & tamen non peccare. Potest equidem per dispensationem tolli præceptum, & ita etiam conscientia quæ præceptum illud proponit, sed ut manente hac non admittat peccatum qui contra eam agit, fieri non potest: quamdiu enim conscientia præcepti manet tamdiu manere ipsum præceptum censetur. Sicut igitur fieri nequit ut contra præceptum quis agat & tamen non peccet, ita nec fieri potest ut cõtra conscientiam agatur sine peccato, sicut multis ostendit Vasq. loc. cit. disp. 61. c. 2.

Nulla dispensatio efficere potest ut non peccet qui contra conscientiam agit.

IX. *Quotuplex sit conscientia.*

Cæterum quotuplex est judicium intellectus de re quapiam facienda aut omittenda totiplex etiam est conscientia. Iudicium autem istud propriè triplex est, rectum sive certum, probabile, & erroneum: quare etiam conscientia propriè loquendo triplex tantum est, *recta, probabilis & erronea.* Sed quia etiam dubitatio & hæsitantia intellectus interdum impropriè judicium

dicium intellectus appellantur, fit ut similiter conscientia aliqua *dubia*, aliqua *scrupulosa* dicatur. Greg. de Valentia tom. 2. disp. 2. q. 14. punct. 4. Vasquez disput. 59. cap. 1. nu. 5. unde in universum quintuplicem conscientiam vulgò faciunt.

Conscientia recta.

Est autem *conscientia recta* quæ ad faciendum aut omittendum dictat quod faciendum aut omittendum omninò est, sive quod cum jure divino aut humano certò & indubitatò cōsentit vel pugnat. Hæc simpliciter obligat ut ejus judicio obsecundetur. Caussa in promptu est, quia dictamen illius cum ipso jure tàm divino quam humano exactè congruit. Vbi tamen nota duo 1. quot modis conscientia imperet quidquam, 2. qui sint quibus aliquid imperat.

Quotuplex esse possit dictamen conscientia.

Modus imperādi multiplex est: aut n. dictat quid ut factu necessarium, quodq; in arbitrio nostro positum nō est omittere, aut nō ut necessarium, sed quod tamen fieri quam non fieri melius est. Prius est præcipere propriè, posterius consulere sive suadere. Similiter & vetat aliquid, vel tanquam necessariò fugiendum, vel ut ideò fugiendum, quia omittere istud quam facere melius est: illud est vetare simpliciter, hoc dissuadere. Ii autem quibus quid imperat in duplici differētia sunt: vel enim suo remigio rem gerunt, vel id quod agunt ex mandato superioris faciunt.

Quomodo obliget conscientia recta.

Quod igitur simpliciter *præcipit* conscientia recta illud faciendum omninò est, si tuo arbitrio rem agas, sin; saltem ita mandatum superioris exequi decet, ne quid contra illam fiat: sic pauperibus succurrere ubi opus est conscientia recta præcipit. Quare facien-

tiendum id omninò est, si de tuis rebus disponas. Quod si verò alterius negotium est cui præes, reliquum est sic id gerère ne illis noceas vel præjudices. Quod *suadet* id aut faciendum est, aut non temerè negligentium, maximè si tui res sit arbitrii. Quod *vetat*, facere non licet si tua res sit. Si jussu superioris quid agitur, distinguendę sunt tum personæ, quibus quid demandatur, tum res quæ demandantur. Personæ, cui quid demandatur, defertur vel judicium in ea re & cognitio caussæ, vel tantum pura & mera executio. Res quæ demandatur aut continet errorem tolerabilem aut intolerabilem. Quod si judex est & error intolerabilis, exequi mandatum non debet: Deo enim magis obediendum est quàm hominibus; Actor. 5. 29. Sin officio executoris tantum fungitur & est tolerabilis error, executioni rem mandare potest etsi injustam, nisi à superiori impetret, ut ab hoc onere ipsum absolvat, ut docet jus Canon. cap. Pastoralis §. quia verò de off. jud. deleg. Alex. ab Ales p. 3. quæst. 34. m. 1. a. 4. Thom. 22. quæst. 64. art. 6. ad 3. Angelus Clavasius in verbo Judicare num. 8. Rosella in V. Judex num. 28. Quare peccarunt provinciarum præsides in persecutionibus primitivæ Ecclesiæ, cum Confessorum & Martyrum causas cognoscerent & tamen injustas sententias pronunciarent: postulabantur enim Christiani pessimorum, imò absurdorum criminum, infanticidii, epuli ex infantibus, incestus & similum, sed nunquam convincebantur, imò nec in ea inquirebatur, sed sufficiebat, si quis se professus Chri-

ſtianum eſſe, quemadmodum notum eſt ex Juſtino Martyre apolog.2. Tertull. apolog. cap. 7. Minut. Felice *in Octavo*, ut etiam Plin. in cognitione pergere noluerit, donec de novo Imperatorem Trajanum ſuper ea cauſa conſuleret, lib. 10. epiſt. 97.

V. *Conſcientia errans quid ſit.* *Conſcientia errans* ſive *errónea* eſt cujus judicium à jure divino aut humano diſſentit, ſive quæ id judicat faciendum vel omittendum, quod faciendum aut omittendum non erat. Eſtque error iſte vel vincibilis vel invincibilis, & vel de re per ſe bona aut mala, vel de indifferenti. Quis ſit error vincibilis, quis invincibilis, notum eſt, quantum hic ſufficit, & explicabitur accuratè infra, quum de invito per ignorantiam agetur. Error de re per ſe mala eſt, ſi exempli gratia perſuaſus quis ſit contra magiſtratum legitimum ultrò arma capienda eſſe quoties id Eccleſiæ Catholicæ expedit: per ſe enim malum eſt legitimo magiſtratui rebellare. Error de re indifferenti eſt, ſi quis putet homini Chriſtiano militandum non eſſe: militare enim & non militare licet.

Quomodo obligat. Obligat autem conſcientia iſta longè aliter quàm recta. Rectæ ea eſt conditio, ſicut patuit, ut rectè faciat qui juxta eam agit, pravè qui contrà. At errantis, niſi error ſit invincibilis aut de re indifferenti, iſta eſt natura ut peccet tàm qui juxta eam agit, quàm qui contra eam.

Peccat tàm qui juxta quam qui contra eã agit, ſi error ſit vincibilis & de re per ſe mala. Peccat, ut notum eſt, qui juxta eam agit: errorem enim cum poſſit deponere non vult. Quicquid autem ex errore vincibili fit à peccato non excuſat, ſicut ſuo loco dicetur. Sed peccat etiam qui contra illam agit:

agit: quamvis enim quod agit legi divinæ aut humanæ non repugnet, prout in se spectantur, quia judicium conscientiæ errat, repugnat tamen utrique prout ille statuit id quod agit lege divina aut principis prohibitum esse, etsi revera prohibitum non erat. Ita docent Thom. 1.2.q.19. a.5. Bonavent. 2. sent. dist. 39. a.1. quæ. 3. Durand. ibid. q.5. Occamus 3. sent. quæst. 13. Ariminensis 2.d.39.q. unica a.2. Biel. ibid. a. 3. & Scholastici ad eum locum communiter. Et potest hoc facilè sic ostendi. Primò argumentor isto pacto: Quisquis quantum in ipso est agere vult contra legem Dei aut Principis is peccat. At quisquis facit contra conscientiam errantem is, quantum in ipso est, agere vult contra legem Dei aut Principis. Ergo quisquis agit contra conscientiam errantem is peccat. Deinde potest etiam tale argumẽtum fieri: Qui contemnit legem divinam aut Principis is sine omni dubio peccat. Sed omnis qui agit contra conscientiam errantem id facit, Ergo ille peccat. Major manifesta est. Minor explicatur: nemo enim facere potest quod lege divina aut Principis vetitum esse statuit, nisi legem illam contemnat. Ni facit, obediat utique ei, nec committat quod ea prohibitum credit. Nec obstat quod legi divinæ aut principis consentanea certo modo agit qui contra errantem conscientiam facit, cum omne istud per accidens, imò ab invito fiat: per accidens, inquam, & invitus id facit, quia non juxta sed contra legem illam agere ipsi propositũ erat. Quare peccat, ut diximus, tàm qui contra quam qui juxta con-

Conscientia erronea deponenda. conscientiam errantem agit. Nec potestaliter fieri quamdiu eam non deponit. Itaque id opera danda est, ut error exuatur, quod fieri utiq; potest quia vincibilis est, id est, aut fuit affectatus, aut certè ex negligentia obrepsit, quia satis accuratè in rem inquisitum non est. Vnde totum negotium, in quo erratur; diligentius excutiendum est, quàm ante factum erat, ut rectius judicium tibi formes, atque ita conscientiam errore, te culpâ liberes. Hæc est ratio conscientiæ errantis, cum error ejus est vincibilis & de re per se mala. Verùm quando error invincibilis est, aut de re per se indifferenti, aliter statuendum est. *Quatenus obliget quum error est invincibilis aut de re indifferenti.* Sanè peccat tum etiam qui contra conscientiam facit, non tamen qui secundum eam. De errore invincibili res manifesta est. In rebus autem indifferentibus ideò illud fit, quia etsi propter conscientiam unum fieri oppositorum, nequit alterum tamen facere licet, cum utrumque concessum sit. Sic qui credit prohibitum Christiano esse militare & militat, peccat: contra conscientiam enim facit. Non peccat tamen cum non militat. Similiter qui sub initia Ecclesiæ N. T. persuasum habebant etiam Christiano abstinendum esse à cibis illis quibus sub V. T. interdictum erat Judæis, nec abstinebant tamen, peccabant: contra conscientiam enim, id est, contra id quod credebant fieri debere faciebant. Erat hæc conscientia errans: *nihil enim cõmune est per se ipsum, nisi ei qui existimat quid commune esse, illi commune est,* inquit Divus Paulus ad Rom. 14. 14. Sed quod utrinque non peccabatur, ideo fiebat, quod tum adhuc

adhuc propter neophytos opinio illa tollerabatur, juxta illud: *Qui manducat Domino manducat: gratias enim agit Deo: & qui non manducat, Domino non manducat: gratias enim agit Deo*, ibid. 6. Vide gloss. ord. in verba, *Omne quod non est fide*, D. Ambrosium ibid & in verb. *Beatus qui non judicat semetipsum*. D. Hieronym. in verba, *Nihil commune nisi ei qui existimat* & Lyram. ibid. Hæc de conscientia errante. Vbi obiter notetur, etiam ex lib. Sapientiæ cap. 14. penult. disci peccare eos qui contra conscientiam errantem aliquid agunt, cum ibi dicatur eos etiam puniri qui per falsos Deos pejerarint. Et veteres Theologi eadem de causa Arrianos, quum ipsum Christum adorabant, idololatras appellare: cum enim quisquis creaturam adorat idololatra sit, Christus autem ex sententia illorum tantum creatura sit, quoties ipsum adorabant nudam creaturam sua opinione adorabant: hæc autem idololatria est. Ita disertè statuit Gregorius Nyssenus libello de fide ad Simplicium: Τί ποιοῦσιν, inquit, οἱ λέγοντες ὅτι κτίσμά ἐστι; προσκυνοῦσι τὸν Χριστὸν αὐτὸν ἢ οὐχί; εἰ μὲν γὰρ οὐ προσκυνοῦσιν, Ἰουδαΐζουσιν· εἰ δὲ προσκυνοῦσιν εἰδωλολατροῦσιν. *Quid faciunt qui dicunt eum creaturam esse, adorantne creaturam illam annon? Quod si non adorant Iudæis adstipulantur: sin adorant, idololatriam committunt.* Vide Isaacum Causabonum notis ad epistol. Gregor. ἀνέκδοτον p. 8.. ubi plura loca allegantur.

VI. *Conscientia probabilis sive opinativa quid sit.*

Conscientia probabilis est ea cujus judicium est probabile. Convenit hæc cum recta quod rectè judicat, sed differt ab ea quia certitudinem non

Quid sit opinio

habet, ut illa. Vocant aliàs conscientiam *opinativam*: opinatio enim & probabilis sententia heic coincidunt. Voco autem opinionem, cum intellectus rei assentitur, non quidem sufficienter ab objecto permotus, sed ob rationabilem electionem qua voluntas in unam partem magis declinat, quàm in alteram, cum formidine tamen oppositi. Ita ferè eam describit ex Thoma Clavasius in V. opinio. Vnde liquet duo requiri a i opinionem sive probabilem sententiam: unum est ut intellectus assensum rei præbeat, & ad unam partem contradictionis declinet, idque ob certas rationes: nam ubi in neutram partem vergit, non opinatur sed dubitat. Quod si autem propendeat in unam quidem partem, sed nulla ejus est ratio, probabilitatem non habet. Alterum est ut intellectus sufficienter non moveatur ab objecto, sed permixtus sit ad sensus formidine oppositi: nam aliàs non probabilis sententia aut opinio, sed certum judicium est.

In opinione est ad sensus sed cum formidine oppositi.

Vbi tamen nota per formidinem heic loci non intelligi dubitationem, cum dubitare propriè sit, ut pòst dicetur, pendere intellectum inter utramq; partem contradictionis & neutri determinatè assensum præbere. Fortitudo autem determinatum assensum non excludit, sed in eo posita est, ut statuas rationes illius partis cui assentiris, tantum probabiles esse, non evidentes aut certas, sed fieri posse ut reipsa opposita pars vera sit, cum tamen rationes illius id non ostendant, sicut id explicat Vasquez loc. cit. disp. 61. cap. 5. num. 26. Conscientia ergò probabilis sive opina-

Quid heic per formidinem intelligatur.

opinativa est quæ ex ejusmodi opinione formatur. Vt autem intelligatur, quomodo ea obliget, nonnulla præmittenda sunt. Primò sciendum est inter opiniones probabiles unam sæpè esse magis tutam, sed minus probabilem, alteram magis probabilem, sed minus tutam. Probabilior est, quæ pluribus aut firmioribus rationibus nititur; tutior in qua non ita facilè peccatur, etsi pauciores aut infirmiores rationes sunt, quibus illa fulcitur. Ita exempli gratia compellatur quis de debito. Fieri potest, ut putet ille se nihil debere. Creditor tamen ait ipsum debere. Rationes sunt utrinque, sed plures ac firmiores quod non debeat. Hic probabiliorem sententiam sequitur debitor, si in eo perseveret, se non debere, nec reddendum; tutiorem si alterum amplectatur & statuat reddendum: in illo enim peccari potest, in hoc non potest. Secundò potest probabile quid videri cuiquam duplici de causa, vel propter principia interna vel externa. Principia interna sunt, quę ex ipsa rei natura petuntur, externa quę ab auctoritate Doctorum. Vasq. c. 3. n. 11. Tertiò is qui opinionem de re aliqua habet, aut est sui juris aut alteri subjectus, idque in ea re de qua est illa opinio. Quartò deniq; idem ille aut est litteratus aut illiteratus.

Opinionum alia probabilior, alia tutior.

His notatis dico conscientiam probabilem obligare planè ut rectam, sive ita ut rectè faciat qui juxta eam agit, malè qui contrà. Sed potest judicium illud conscientiæ multipliciter formari. Et primò quidem vel formatur ex opinione tutiori, sed minus probabili, vel ex minus

VII. Conscientia probabilis obligat ut recta.

nus tuta & probabiliori. Posse judiciū conscientiæ probabilis formari ex opinione tutiori nullum est dubium; cum enim in eam partem peccari nequeat, nec errare conscientia potest si illam sequatur. Sed formari etiam potest ex opinione minus tuta, dummodo sit probabilis, ut jam liquebit. Secundò formatur vel ex opinione propria, vel ex aliena. Tertiò formam aliter à docto, aliter ab indocto. Ex propria opinione ita conscientiæ probabilis judicium doctus sibi format: Si rationes partis contrariæ expenderit, idque operam dederit, ut negotium, de quo quæstio est, rectè cognosceret, nihil absurdi facit si sententiā suam esse statuat, licet improbatā aliis: qui enim acumine ingenii & judicii maturitate pollet facilè fieri potest, ut, ubi diligentiam adhibeat, id animadvertat quod cæteri momentis rationum non satis ponderatis haut perceperit. Vasquez loc. cit. cap. 4. num. 13. Alia ratio est si temerè & levi de caussa aliorum sententiam quis reijciat. Idem ex opinione aliena formare judicium sibi potest, ut quamvis statuat opinionem, quam ipse propriam de re quapiam habet, probabiliorem esse quàm quæ Dd. communiter, eique ob principia interna assentiri non desinat, tamen id deferat auctoritati Doctorum, ut illorum potius, quàm suo judicio acquiescat. Et certè facilè potest apud hominem non infrunitum efficere multorum, vel paucorum, sed præstantium, auctorum præjudicium, ut statuat id verius esse, quod minus ipsi tamen probabile & minus tutum aliâs apparet. Neque hoc

Judicium conscientiæ probabilis in viro docto ex opinione propria.

Judicium conscientiæ viri docti ex aliena opinione.

hoc modo quis imprudenter facit, cum judicium optimorum in re aliqua artificum suo præponit. Quare si quis tale quid sibi persuasit probabiliter sentit & judicat. Ita se habet judicium conscientiæ probabilis hominis docti. At indoctus rectè facit cum eam opinionem sectatur, quæ maximè ipsi probabilis apparet, quamque doceri à peritis & probis videt, licèt illa quoque non usque adeò tuta sit. Vasquez cap. 8. num. 43. Postremò subditus non tantum potest sed debet contra propriam opinionem id amplecti quod superiori visum est, modò & illud non sit improbabile: obædiendum enim superiori est quoties licitè id fieri potest. Licitè autem fit quod probabilitatem habet. Sed heic observa, probabilitatem non esse inde metiendam simpliciter quod superior sit ille cui sententia placet, sed quia vel subditus scit eam à multis Doctoribus comprobari, vel quia superior doctus ipse & probus est, vel deniq; quia hominum prudentum consilio omnia administrat. Unde etiam est, quod subditi Principi obedire tenentur, vocanti eos ad bellum, licet ipsi dijudicare non possunt justumne illud fit, an injustum: sufficit enim ijs scire, Principem viris sapientibus instructum, de quorum consilio omnia gerat. Vasquez cap. 6. n. 33. & 34. Ita agitur secundum conscientiam probabilem: ut facilè etiam intelligitur, quomodo contra eandem aliquid fiat. Hactenus de conscientia probabili. *Iudicium hominis indocti.* *Iudicium subditi.*

VIII. *Conscientia dubia* vocatur, cum quis dubitat & nescit, utri parti contradictionis assentiendum

 sit,

Conscientia dubia quid sit. sit. Quod quidem fieri dupliciter potest: vel enim simpliciter judicat, rem esse incertam, vel secum disputat negotium in utramque partem, nec tamen uni harum accedit sed utrinque ambiguus hæret, quia majorem convenientiam extremorum non videt in una contradictoriarum, quam in altera. Vnde etiam est quod supra diximus conscientiam dubiam & scrupulosam impropriè tantum conscientiam vocari: cum enim conscientia propriè sit judicium, quo statuitur de re quapiam, fieri ne an omitti debeat, dubia vel planè non judicat se nescire quid sectar dum sit. *Peccat qui dubia conscientia aliquid agit.* Peccat autem quisquis dubia conscientia quidquam agit: idquè multis modis ostendi potest. Primò, Qui exponit se periculo peccandi, ille peccat. At omnis qui dubitans, an bonum quid sit an malum, illud facit, is exponit se periculo peccandi. Ergò is peccat. Deinde, Qui vult peccatum ille peccat. Sed qui dubiâ conscientiâ quid agit ille vult peccatum. Ergò peccat. Minor probatur: quia enim dubitat an bonum quidquam sit an malum, utrumque fieri posse putat, id est, ut rectè faciat, si id agat, & ut malè. Quum itaque id agit, utrumque alio modo vult. Ni vellet, non ageret. Tertiò docet idem ipsa scriptura Roman. 14. ultim. *Qui dubitat si ederit condemnatus est.* *Idque fit sive quis dubitet theoreticè sive practicè.* Distinguunt equidem heic vulgò inter dubitare theoreticè & practicè. Theoreticè dubitare est, cum quis de re universali dubitat, puta simpliciter, an exempli gratia veritum sit accipere usuras: practicè, cum dubitatur de re singulari, nempe, an huic vel illi,

& hoc

& hoc vel illo tempore usuras accipere prohibitum sit. Qui practicè dubitat eum peccare ajunt si cum dubio illo aliquid agat, non tamen illicò qui theoreticè, quod theoreticè dubitare quis de re possit, qui tamen de eadem practicè certus sit, id est, possit esse incertus de universali qui tamen certus sit de singulari. Ita docet Cajetanus tom.1.opusc.tract.31.resp. & ex eo alii. Sed quanquam distinctio ipsa judicii conscientiæ in speculativum & practicum optima est, & verum etiam, judicium speculativum esse remotum tantum principium actionis, cum practicum sit proximum principium, eousque tamen non discrepant, ut judicio speculativo existente incerto practicum certum aut probabile esse possit, cum perpetuò unum alteri respondeat. Sic quamdiu quis dubitat in universum, an liceat Christiano usuras accipere, certus utique esse nequit, sibi hoc aut isto tempore id concessum esse. Sanè potest illud fieri, ut de universali propositione quis dubitet, nec tamen dubitet de singulari quæ sub ea continetur, sed si ignoret singularem illam sub illa contineri. Ita fieri potest ut quis statuat simpliciter non esse licitum usuras accipere, & tamen arbitretur licere sibi hoc aut illud facere, quod aliâs revera est usuram accipere, sed ipse ignorat. Quod si autem non ignorat id quod facit esse usuram accipere, & statuit usuras accipere non licere, non potest etiam non statuere id quod facit illicitum esse, sicut rectè contra Cajetanum ostendit Vasquez disputat.62.cap.5.n.22. Quare simplici-

pliciter verum eſt, conſcientia dubia egere quidquam non licere, ſive dubitetur theoreticè ſive practicè. Interim ſicut ſæpè quis quod intuitu internorum principiorum rei putat minus eſſe probabile, illud tamen amplectendum judicat propter externa principia ſive auctoritatem aliorum aut ſimile quippiam: ita etiam de quo quis dubitat quatenus intrinſeca principia conſiderat, idem illud ſine dubitatione amplecti poteſt propter aliorum præjudicium. Sed hoc nihil ad diſtinctionem Cajetani, cum ſtatim atque id fit practicè, ſimul etiam fiat theoreticè. Ita qui intuitu auctoritatis aliorum judicat ſibi hoc tempore uſuras accipere licere, quamquam multæ rationes ſint in contrarium, idem eo ipſo etiam ſimpliciter judicat liceto hoc aliquando facere, ubi non tam rationum momenta quàm auctoritatum expendantur. Cum igitur peccet quisquis dubitãte conſcientia quid agit, id reliquum eſt ut dubitatio deponatur: quod rectè fecerit qui ſui juris eſt ſi partem tutiorem elegerit, qui alteri ſubjectus, ſi id amplectatur quod ſuperior mandat. Hæc eſt conſcientia dubia.

IX. *Conſcientia ſcrupuloſa.* Poſtremò *Conſcientia ſcrupuloſa* appellatur, cum ſtatuitur quid licitum eſſe, ſed ita tamen ut ſubſit ſcrupulus aliquis. Scrupulus autem hic vel rationabilis eſt vel irrationabilis. Si rationabilis, rectè fecerit, qui ejus rationem habuerit, etſi ad id propriè non obligatur. Si irrationabilis, negligendus eſt, & quantum fieri poteſt animo ejiciendus. Tantùm de conſcientia.

Quomo-

Quomodo ea quæ sponte facimus à scientibus fiant hucusque explicavimus: addendum nunc est quomodo quid spontaneum dicatur ratione principii interni. Sanè etiam scientia est internum principium, quia inest subjecto quod quid agit, sed sicut intellectus caussa actionum non est nisi interveniente appetitu, ita nec scientiis principium est nisi mediante appetitus inclinatione. Quare fit ut inclinatio illa appetitus κατ' ἐξοχὴν heic principium vocetur. Est autem appetitus, qui actionum humanarum principium esse potest duplex, sensitivus & rationis; quorum hic alias propriè voluntas dicitur. Sed de voluntate infrà agetur, de sensitivo heic quæstio est: iste enim tàm latè patet quàm spontaneum. Dicitur autem fieri aliquid sponte ratione principii interni quatenus nostra cupiditate aut in universum animi inclinatione aliqua in rem quampiam ferimur: cupiditas enim animum inclinat ad id sectandum cujus cupidi sumus; Thom. 1.2. quæst. 6. artic. 7. imò ideò appetitus sensitivus & ejus cupiditates animalia natura tributæ sunt & ad illius conservationem faciunt, ut persequi possit quæ ei salutaria sunt, & declinare quæ inimica & noxia, sicut alibi hoc explicatur. Verùm potest id quod diximus cōtingere duplici ratione: quemadmodum enim in Physicis duobus modis aliquid dicitur secundum naturam esse, uno, ratione principii activi, altero actione passivi: (ita non tantum naturale est igni calefacere, sed cælo etiam moveri) ad eundem modum dupliciter aliquid

Quomodo quid dicatur spontaneum ratione principii intrinseci.

Principium intrinsecum duplex: activum & passivum.

aliquid fit juxta animi inclinationem, aliter cum inclinamur ad agendum, aliter cum ad patiendum. Perinde itaque est sive cupiditate animi inductus quis quid faciat, sive patiatur: utrumq; enim est spontaneum & utriusque principium in nobis, etsi unius activum, alterius passivum. Poterant plura hac de re adferri, sed pergendum est ad alia.

XI. *De invito Invitum per violentiam.*

Quid sit spontaneum hactenus copiosè satis exposuimus, sequitur invitum. INVITUM autem aliquid dicitur dupliciter per violentiam & ignorantiam. Violentum est cujus principium foris est, & tale quidem, ut nihil ad id conferat is qui agit aut patitur 3. Ethic. cap. 1. tex. 4. Sic violentia est cum quis tempestate aut venti impetu aliquò abreptus fertur, quò nolebat, aut cum vi quis manum tuam arripit eaque alterum pulsat. Prius est pati, posterius agere, sed ita ut utriusque rei principium externum sit, nec quicquam per se conferat ad eam agens aut patiens. Vbi observa primò quod dicitur, principium ejus quod vi fit, non tantum foris esse, & extra subjectum cui vis fit, sed ita ut nihil actum istum adjuvet subjectum illud. Equidem omne aliâs objectum, quod allicit animum, foris est: nec tamen propterea ejusmodi actio est violenta; cæteroqui non tantum ea quæ ultrò facimus & & magna animi cupiditate, per vim fierent, sed in universum omnes actiones nostræ violentæ essent. Ne nunc dicam quod actionem violentam comitatur dolor, hanc talem voluptas: item,

Quomodo in violentis principium sit extra subjectum.

quod

quod poteramus cavere, ne objectum illud nos pelliceret. Quare sicut violentum illud propriè est in Physicis, quando patiens immutatur ab agente contra naturam suam (nam aliàs omnes alterationes & generationes, præsertim corporum simplicium, essent violentæ) ita etiam violentum propriè in homine est, non cujus principium simpliciter externum est, sed ita ut res illa sit contra animi nostri inclinationem. Deinde & hoc nota, cum sponte quid fieri dicatur non tantum ratione principii activi, sed etiam passivi, ut paulò ante monuimus, utrumque hic excludi, quando dicitur, eum cui vis fit, nihil conferre ad id quod fit: intelligi enim id ita debet, ut nec unâ agendo is adjuvet rem illam, nec voluntatem patiendi adferat. Tertiò considerandum heic est, quid de iis sentiendum sit, quæ per metum facimus. Non fieri illa ab omni parte sponte sed permixtum iis aliquid esse inviti nullum esse dubium. Et docet disertè ita Aristoteles 3.ethic.cap.1.tex. 5. & 6. Nemesius de nat hom.cap.30. Damascen.2. de fid. orthod. cap.24. Thom.1.2.quæ.6.art. 6. Ratio in promptu est: fiunt enim per metum, quæ nemo aliâs faciat. Vnde etiam est quod veniam sæpè impetret, si quid isto modo minus rectè committatur. Verùm nec violenta ista sunt simpliciter: etsi enim nemo quod metus caussa facit, id demto metu faceret, tamen quandoquidem eo loco quis constitutus tum est, ut effugere imminens malum alio pacto non possit, omninò vult ita agere ut agit, aut pati quod patitur, imò

Quotuplici ter dici possit subiect. nihil conferre ad principium extrinsecum.

Quid sentiendum de iis quæ motus caussa fiunt.

rebus

rebus sic comparatis nunquam aliter faceret: Huc accedit quod vix explicari potest quomodo metus caussa esse queat violenti aut inviti, nisi violenta omnia dicas etiam quæ metu iræ divinæ fiunt & pœnarum quas vel lex divina vel II. Reipubl. delinquentibus statuunt. Ita utrinque est difficultas. Sed quidquid sit, censendum tamen est, actiones illas omnes magis spontaneas quam invitas esse, ut ipse Philosophus docet, imò spontaneas simpliciter, violentas secundum quid, ut censet Thomas. Quod ut intelligas sciendum est, cum actus omnes versentur circa singularia, æstimari eos præcipuè ex circumstantiis ut talis simpliciter quisve sit, qualia sunt quæ actum circumstant. Et aliàs etiam res unaquæque talis est simpliciter qualis est in re ipsa, secundum quid autem, prout à nobis sub certa conditione esse cogitatur. Quapropter quando ea quæ metu fiunt considerantur ut simpliciter sunt, id est, cum ijs circumstantiis, cum quibus fiunt, spontanea sunt. Nec certè id tantum spontaneum est, quod per se expetimus, ut finem, sed id etiam quod experitur propter aliud. Sic quanquam merces projicere in mare nemo vult per se, vult tamen eo fine, ut vitæ hoc pacto consultat. *Expetitur*, inquit Philosophus, *actio, tum cum fit, & finis actionis in temporis conditione consistit.* Quare merces ejicere cum magnitudo periculi illud suadet spontaneum est simpliciter: si quid autem violenti habet, id omne oritur ab addita illa conditione, *si periculum non immineret.* Quod igitur metu fit, spontaneum

Quæ per metum fiunt spõtanea sunt simpliciter, violenta secundum quid.

neum est in se & simpliciter. Idem tamen violentum est secundum quid, puta quatenus consideratur extra ejusmodi casum, sive prout à circumstantiis illis mente abstrahitur. Tantum de invito quod ob vim sive violentiam tale dicitur.

XII. *Invitum per ignorantiam.* Invitum per ignorantiam est, *quod ob ignorantiam fit, ita tamen ut eum qui fecit illius postea pœniteat* 3. ethic. 1. t. 14. Multiplex autem esse potest ignorantia: suntque omnes ejus differentiæ heic expendendæ, ut recte intelligas qui & quomodo ea actionem invitam reddat. Sed antequam exponatur, quotuplex ignorantia sit, præmittendum est primo quid per eam heic denotetur, deinde quomodo ea causa actus alicujus esse possit. Primo igitur id observandum est, ignotare simpliciter idem non esse quod nescire, cum ea etiam nescire homo dicatur, quæ scire plane non potest, ignorare autem proprie quæ scire potest.

Quid per ignorantiam heic intelligatur. Quare simplex *nescientia* negationem magis dicit, *ignorantia* privationem. Vide Thom. 1. 2. q. 76. art. 2. Sed ignorantiam vicissim vel dicit puram privationem tantum, vel pravam dispositionem, ut docetur 1. post. c. 15. ignorantia *pravæ dispositionis* est, cum quis judicat rem illud esse quod revera non est. Hic alias error proprie vocatur. Ignorantia *puræ privationis* est quum simpliciter quid ignoratur & nullum intellectus judicium intervenit.

Ignorantia pravæ dispositionis & puræ privationis. Sic quum quis inter venandum hominem transfigit, quem feram esse putabat, ignorantia pravæ dispositionis est: sin transfigat casu, & dum nihil petit, ignorantia est puræ privationis.

Ignorantia furiosorum amentium &c. Angel. Clausius in V. Ignorant. Vtraq; ignorantia causa invitae actionis esse potest. Hoc primo sciendum est. Deinde nota & istud, sermonem heic esse de ignorantia illa tātum, quae est in hominibus quibus ratio constat: nam alias etiam furiosi, amentes, melancholici, &c. ignorāt quid agunt. Sed haec ignorātia huc non pertinet, cum nec actiones humanae sint proprie quae ab ejusmodi hominibus proficiscuntur, quod nullus in his usus rationis sit. Sed heic jam quaeritur, quomodo rei positivae causa esse possit privatio. Vbi recolendum ex metaph. est, dupliciter quid posse esse causam alterius, uno modo proprie, altero improprie. *Proprie* aliquid causa alterius est, cum rem simpliciter efficit, *improprie* cū tantum removet impedimentum, quod obstabat ne aliquid fieret. Ita Arist. 5. metaph. c. 2. t. 2. absentiam gubernatoris à navi causam esse ait quare navis submergatur. Equidem causa naufragii alias proprie est tēpestas quae navi incūbit eamq; submergit.

XIII. *Quomodo ignorantia causa alicuius rei esse possit.* Sed quia praesentia gubernatoris submersionem impedire poterat, fit ut ejus absentia etiam causa submersionis dicatur: *quod enim cum praesens est causa huius, idem cum abest causa est contrarii*, ait Philosophus. Similis ratio est cum remotionem columnarum causam dicimus cur fornix collabatur, qui columnis illis fultus erat, ut notat Aristot. Phys. cap. 4. t. 32. etsi enim gravitas corporum, ex quibus constat fornix, proprie causa lapsus est, non minus tamen usitata est altera ratio loquendi, imo in communi vita & mobilib

libus usitatior. Quando igitur ignorantia causa dicitur actionis, sive cui hoc aut illud fiat, non est alia ratio causæ nisi illa: quoties enim fieri quid dicimus ob ignorantiam; toties id volumus, ignorantiam illam tollere scientiam quæ prohibitura sive impeditura actum istum fuerat. Sic Oedipus cum Thebas iter faceret & à Lajo parente; cui occurrens de via non cesserat, sceptro percuteretur, parentem, sed quem non norat, interfecit. Sophocles in Oedipo tyrann. Causa cædis erat dolor ex accepta injuria, & ignorantia: sed ille proprie: per se enim dolor instigat ad ultionem; hæc improprie & eatenus tantum; quatenus tollebat quod ultionem & cædem impedire poterat: si enim patrem esse scisset non interfecisset. Thomas *loc. cit.* vocat causam *per se* & causam *per accidens*: quod enim impedimentum tantum tollit, per se rem non movet; nec tamen motum ipsum efficit, quam quod cum motu necessario conjunctum est, ut idem docet 5 metaph. lect. 3. Dico quod necessario cum motu conjunctum est: neque enim heic *per accidens* illud voco, quod opponitur necessario, sed quod quid efficit per aliud. Ita fornix necessario collabitur subrutis columnis, & necessario agit quis id per ignorantiam sæpe, quod nunquam alias facturus erat. Quod quia non observat Cajetan. ad 1.2. quæst. 76. articul. tertio expedire etiam nequit, quomodo Thomas illic dicat, *ignorantiam de se hoc habere quod faciat actum quem causat involuntarium*, cum

Ignorantia causa rei est improprie & per accidens.

Z 2 tamen

tamen supra art.1. doceat ignorantiam per accidens tantum caussam rei esse.

XIV. *Quotuplex sit ignorantia.*

His suppositis sciendum est tripliciter fieri aliquid ab ignorante posse: vel enim facit quis quid ignorans, sed non ob ignorantiam, vel facit ob ignorantiam, sed ita ut postmodum, ubi rem resciverit, ejus ipsum pœniteat; vel denique facit ob ignorantiam ita ut non pœniteat. Sic docet Arist. eth. 1.t.14. & seqq. Hinc & Thom. 1.2.q.6. artic.8. ignorantiam triplicem facit, unam quæ concomitatur tantum actum voluntatis, alteram quæ consequitur eum, & tertiam quæ antecedit. Ignorantia *concomitans* voluntatem est, cum ignorans quis quid facit, sed id quod facere idem vellet, etiamsi sciret. Sic se habet qui hostem interficit ignorans, quem interfecturus tamen alias erat: ibi enim ignorare & agere, sive velle aliquid agere, uni subjecto accidunt, sed unum tamen alterius causa non est. Ignorantia *consequens* voluntatem est illa cujus voluntas causa est: quod fieri dupliciter potest, aliter cum quis simpliciter quid ignorare voluit, & dicitur ignorantia affectata, aliter cum non quidem simpliciter ignorare voluit, sed ignorat tamen quod scire oportebat & debebat. Quod iterum fit dupliciter: vel enim non considerat aut advertit nunc, quod advertere debebat, ut contingit, cum sive propter affectum aliquem, sive propter malum habitum, minus recte de rebus judicamus: vel plane ignorat etiam alias quia notitiam ejus rei quam poterat & debebat sibi non comparavit.

Aristot. Thom.

Ignorantia concomitans actum voluntatis.

Consequens.

Igno-

Ignorantia deniq; *antecedens* voluntatem quę ipsa est causa volendi quod alias quis non vellet. Talis ignorātia est cum ea quis ignorat quæ nec scire poterat in hac aut illa re, nec scire tenebatur. *Antecedens.*

Aliter distinguitur ignorantia in vincibilem & invincibilem. *Vincibilis* est cum ea ignoramus quæ scire poteramus & tenebamur, *invincibilis* quum ea quæ scire quis non poterat. Porro distribuit eam Aristot. tex. 14. in ignorantiam universalium & ignorantiam particularium. *Ignorantia universalium* est, si quis vel nesciat simpliciter, quid sequendum sibi in vita sit & quid expediat, ut an res mala sit scortatio aut adulterium, an furari liceat, & similia; vel alias ignoret universalia ista, an in actionibus nostris ratio habenda sit temporis, personæ & loci, an verò omnia omni loco & tempore apud omnes æque recte fiant. *Ignorantia particularium* est, si quis singulariū rerum, quæ actionem circumstāt, aliquam ignoret, puta, si propalet quæ nesciebat tacenda esse, filium in prælio interficiat, quem sibi persuasisset hostem esse, hasta feriat quenquam, quam præpilatam esse nesciebat, neci dedat præter spem, quem emendandi tantum causa verberare animus fuerat &c. Postremo non absimilis distinctio ignorantiæ apud Jurisconsultos est in ignorantiam juris & facti. Vid. tot. tit. ff. C. de juris & facti ignorant. Ignorantiam *juris* vocant, cum quis jus suum ignorat, *facti* cū ignorat quid contigerit. Ita ignorare bonorum aliquorum possessionem sibi deferri ignorantia juris est, sed ignorare

XV. *Ignorantia vincibilis & invincibilis.*

Ignorantia universaliū & particularium.

Ignorantia juris & facti.

rare decessisse eum, cujus bonorum possessio defertur, ignorantia est facti. Et hæc ignorantia vicissim distinguitur: ignorantia enim juris alia est juris *divini*, alia *juris naturalis*, alia juris *positivi*: sive ejus quod ipse quis facit, alia *alieni*.

XVI. *Quæ & quatenus ignorantia actionem invitam faciat & excuset.*

Hactenus ostendimus quot modis ignorantia dicatur. Quibus ita explicatis id nunc dispiciendum est, quænam ignorantia, & quatenus, actionem invitam reddat, quæ item eam excuset, quæ non excuset: neq; enim omnis ignorãtia invitam actionem facit, sed ea tantum quæ scientiam tollit prohibituram actum illum, ut docet Thom. loc. cit. & nos jam ante etiã diximus. Prohibet autem scientia actum aliquem, quatenus voluntatem agendi tollit; unde ignorãtia etiam tum demum actionem invitam reddit, cum facit ut id quis velit, quod plane alias nolebat, sive nollet, si sciret. Quapropter *primo* nulla ignorantia *consequens* voluntatem, nulla item *vincibilis* actionem simpliciter invitam reddit aut excusat: qui enim ignorare voluit, aut ignorantiam, cum posset, animo nõ expulit, ei & per illã agere placuit, quod scientia, quam acquirere noluit, aut qua, si habebat, nõ utitur, impedire poterat. Hæc conditio ignorantiæ est in omnibus malis: cum enim sponte sua vitia contrahant, ultro etiam ipsi sibi ignorantiam præceptorũ virtutis accersunt, quam vitia secum trahunt. Et quamvis ubi semel animi oculum cœno nequitiæ immerserunt, recte de rebus judicare amplius, etiam quũ volunt, non possint: tamen neque hoc involuntarium

Ignorantia consequens & vincibilis invitam actionem non reddit.

plane

plane est, quia ob longam peccandi consuetudinem ejus rei ipsi sibi auctores extiterunt. Quod si diligenter expendisset magnus Plato nunquam eo absurditatis prolapsus fuisset, ut vitia in vitis accidere putasset, qua de re infra.

XVII. *Nec ignorantia universalium aut juris semper hoc facit.*

Deinde nulla ignorantia *universalium*, nec omnis ignorantia *juris* invitam actionem facit aut excusat. De ignorantia universalium & juris naturalis: (nam de jure divino agere hujus loci non est) modo communissima ejus præcepta spectes, idque, ut nude, & sine peculiaribus circumstantiis proponuntur, res manifesta est. Nam expresse hoc docet Aristot. 3. ethic. 1. tex. 14. Thom. 1. 2. quæst. 94. art. 6. Imo usq; adeo illa præcepta evidentia sunt, ut nec ignorari aut ex animo deleri possint nisi ipsi naturæ vim feceris. Fuere quidem in nonnullis rebuspub. & gentibus aliqua licita, quæ diserte cum illis præceptis pugnant, sicut apud Lacedæmonios furta & adulteria, apud Locrenses Ozolos, Ætolos & Acarnanes prædationes, Plutarch. in Lycurgo. Xenophon de republ. Lacedæmon. Thucydid. lib. de primo sed ideò tamen ignorantia talium rerum invita non est aut excusationem meretur: jam enim ignorare non potuere fœda illa & turpia esse, ut non aliqua ratione remanserit; vel si reliqua nulla erat, sua culpa & amore peccandi ipsi eam extinxere, quod fieri posse Aristotel. 6. ethic. capite quinto testatur. Certe alias in re tam evidenti fieri facile non potest, ut non interdum se vindicet ratio, & toto vitæ tempore nulla cogitatio

Ius humanum. animum subeat, hæc talia minime licere. Vasquez in 1.2.disp.122.cap.1. De ignorantia autem juris humani etsi non est eadem plane ratio: tamen nec illa in foro exteriori excusat aut actionem invitam reddit: *leges* enim *quæ constringunt hominem vitas intelligi ab omnibus debent* ait lib.9.Cod. de ll. Equidem indultum est in certis casibus jus ignorare militibus, fœminis, rusticis & in universum qui an. XXV. minores sunt, sed id speciale est. Imo nec in foro conscientiæ excusat ignorantia illa, si diligentiam debitam quis non adhibuerit, maxime quatenus leges illæ ad cujusq; statum proprie pertinent. Vasq.disp.124.cap.2.

XVIII. Cautela. Prima. Verum hic tamen cautelæ aliquæ addendæ sunt. *Primò* nota ignorantiam consequentem, si affectata proprie non sit, sed per negligentiam, aut inadvertentiam potius aliquam, obrepserit, licet non excuset simpliciter, minuere tamen nonnihil delictum. Thom.1.2.q.6.art.8. *Secundo* *Secunda.* diligenter observa quod diximus, ignorantiam juris naturæ non facere actionem invitam, si cõmunissima ejus præcepta spectes & prout unde ac sine peculiarib. circumstantiis proponuntur. Nam alias conclusiones sunt, ex jure naturæ deductæ, tam longe à cõmunibus & evidentissimis illis præceptis abeuntes, ut obscuritatem & difficultatem habere possint. Cujusmodi multa docti è jure naturæ eruunt, sed quas non nemo vix suspicetur jure naturali consentaneas esse. Quod si etiã cõmunissimis illis & evidentissimis præceptis certæ circumstantiæ adjiciantur, fieri potest

potest ut quis ea invincibiliter ignoret. Ita quanquam ignorare nemo potest, non esse occidendum, ignorare tamen hoc potest, nec ei qui lethaliter jam vulneratus est mortem, si ipse te roget, approperandam esse. *Tertiò* sciendum est, quum de jure humano agimus, non loqui nos de lege quæ vel promulgata nondum est, vel nondum in notitiam omnium pervenire potuit, aut saltem communiter recepta non est: hujus enim ignorantia sine dubio excusat. Vnde more suo, id est, tyrannicè faciebat C. Caligula imp. quod vel vectigalia indiceret, sed non proponeret, & si legem proposuisset id minutissimis literis & angustissimo loco fieri curaret, ne cui describere liceret. Sueton. *in Caligula.* Quin cum quis invincibiliter ignorat legem etiam promulgatam & receptam excusatur in foro conscientiæ, licet in foro exteriori id non fiat, quod illic legis promulgatæ & receptæ ignorantia nisi crassa & supina non præsumitur, nec facile alia edoceri potest. Ludovicus Molina de just. & jur. tom. 5. tract. 4. disp. 71. nu. 20. *Quarto* distinguendum est inter jus commune, sive cujus explicatio obvia est, & abstrusum atque intricatum. De priori item hic præcipue sermo est, de posteriori eatenus solum, si is qui ignorat vel habuit quem consuleret, vel sua prudentia ipse instructus sit, ut facile ei fuerit scire. l. regula. §. sed juris ignorantia ff. de ignor. jur. & fact.

Tertia.

Quarta.

Cæterum omnis ignorantia *antecedens* actum voluntatis, omnis item *invincibilis* invitam actio- XIX. *Ignorantia.*

 nem

antecedēs & invincibilis in vitam facit. nem reddit, modo non tantum in se, sed etiam in sua causa invincibilis sit, eamq; subsequatur pœnitentia. De antecedente res liquida est: planè enim voluntatem tollit, cum nec affectata sit, nec ex negligentia orta: nam alias non antecederet, sed sequeretur voluntatem, tanquam effectus ejus. De invincibili itidem hoc patet. Sed, ut dixi, oportet ut non tantum in se, sed etiam in sua causa sit talis. Sic qui ex ebrietate peccat, plane nescit sæpe quid faciat, ut ignorantia illa in se spectata simpliciter sit invincibilis. At in sua causa vincibilis tamen est: poterat enim non inebriari. Vide Durand. 2. sent. d. 32. art. 4. Deinde oportet pœnitentiam subsequi: alias ne sic quidem actio invita erit. Ad eundem modum invitam actionem facit & excusat ignorantia *particularium*, ut docet Arist. 3. eth. t. 16: & apud JCtos ignorantia facti, L. 1. 4. 8. & 9. ff. de ignor. jur. & fact. sed ita tamen; si supina aut crassa non sit, ut est d. l. 9. §. sed facti ignorant. Ubi enim factum quis ignorat quod scire optime poterat, sed observare neglexit aut ignorare voluit, hoc ad ignorantiam consequentem pertinet, cum scire debuerit, aut operam dedisse, ut sciret. Quod tamen rursus ita intelligendum est, ut scientiam neq; curiosissimi neq; negligentissimi hominis accipiamus, quemadmodum id ICtus l. & §. cit. explicat.

Ignorantia invincibilis in se & in sua causa.

Etiam ignor. particul. & facti excus.

XX. Postremo ignorantia *concomitans* (nam de hac nondum diximus) actionem quidem invitam proprie non reddit, ipsa tamen quoque excusat. Invitam non reddit: nam id tantum invitum est, quod

Item ignorantia concomitans.

eſt, quod ſi cognoſceremus averſaremur. Atqui ex ignorantia concomitante quid facit, eo animo eſt, ut idem faceret ſi ſciret. Sed nec ſponte tamen fit, quod ita committitur, cum id tantum ſponte fiat in quod fertur appetitus, ferri autem in ignotum nequit. Ariſtot. talia dicit nec ſponte nec invitò, ſed non ſponte fieri. Excuſat hæc ignorantia, quia excuſatur omne quod ſponte tantum factum non eſt. Ita qui inopinato occidit hominem, cui infenſus alias erat, & quem forte etiam ſi ſciviſſet occidiſſet, excuſatur, ſi ignorantiam eam in ſufficienter docere poſſit: quanquam enim affectus ejus à peccato immunis nunquam fuit, quamdiu animum occidendi habuit, peccat etiam quum poſt approbat quod ignoranter fecit; actus tamen ille exterior in ſe conſideratus excuſationem vulgo invenit. Et hoc modo ignorantia actionem invitam reddit & excuſat.

Duo adhuc notanda ſunt. Primum eſt omnem ignorantiam quæ actionem invitam reddit excuſare *in totum* à re ignorata, ſed ſæpe *in quantum* ſive ſecundum quid tantum ignorantem, idq; tũ fit quum quis operam dat rei illicitæ. Sic Oedipus quia ignorabat, nec ſcire poterat, patrem eſſe quẽ occidebat, excuſatur à parricidio, nec tamen ab homicidio: quemadmodum & Judam Gen. 38. quũ Thamar nurũ ſuam ignorãs comprimeret, ignorantia ab inceſtu liberabat, nec tamen plane inculpatum alias reddebat: fornicationem enim commiſit. Deinde & hoc obſervãdum eſt.

XXI. Aliud excuſari à re ignorata & excuſari ignorantem.

Dixi-

Diximus supra ignorantiam quę ex ebrietate aut affectuum vehementia oritur ideo non excusare quia in causa sua non sit invincibilis. Quod ita tamen accipiendum non est, quasi nunquam allevare tale quidquam delictum possit: omnino enim potest, præsertim si præter opinionem quis inebriatus sit aut per ebrietatem aut affectum id designarit, quod alioqui facere non solebat, nec ipse prospicere poterat se facturum. Vnde Plutarchus συμποσιακ. q. 1. tradit veteres Baccho oblivionem cum ferula consecrasse, ut ostenderent, aut non esse recordandum eorum quæ in vino peccata essent, aut levi plane & puerili pœna ea afficienda. Nec obstat quod Pittacus Mitylenæus, ut est 5. eth. c. 6. t. 72. ebrios duplici pœna afficiendos censuerit; nec enim ideo id faciebat, quod ebrietati putaret nunquã veniam concedi posse, aut ipsam etiam aggravare delicta, sed ut cives tam severa lege à temulentia hoc magis revocaret & publico bono cõsuleret, præsertim cũ Lesbus insula, ubi est Mitylene, vino abundet, sicut expresse docet Aristot. 2. politic. c. ult. & Diog. Laërtius in Pittaco. Tantum de invito.

XXII. *De electione. Quid sit.* Exposuimus quid sit spontaneum, quid invitum: pergamus ad electionem sive proæresin. Cujus natura ut eo rectius percipiatur ostendendum primo quid sit Electio, deinde quarum rerum sit. Vbi initio facile constare potest, non esse illam unum plane & idem quid cum spontaneo: sponte enim certo modo etiam bruta & pueri agunt, ut in initio diximus, quibus tamen

electio

electio competit. Adde quod ea etiam quæ subito à nobis fiunt sponte facimus, nec ex proæresi tamē. Multo minus aut cupiditas aut ira esse potest, ut veterum quidam opinati sunt; quod illa non tantum itidem in brutis reperiantur, sed sæpe etiam electioni adversentur, sicut hoc ubertime disputat Philosophus. Imo in universum electio non est in anima sciente, nec eorum quidquam, quæ etiam in brutis sunt. Sane potest brutum animal, cum pascitur, ex multis herbis pro lubitu, & prout hæc aut illa magis arriserit, hanc præ illa decerpere, electio tamen ea non est nisi vocabulo abutaris. Causa hæc est, quod electio ex multis ante inter sese collatis libere unum accipit: bruta autem nec conferre res inter se possunt, & solo naturali instinctu in eas feruntur. Improprie ergo electio dicitur cum brutis tribuitur, proprie autem ita vocatur illa tantum quam consultatio præcessit, quæque in homine est. Verum hic jam statim quæritur, sitne igitur actus intellectus an voluntatis? Dicimus autem voluntatis esse: etsi enim nihil eligimus nisi præcedente actu aliquo intellectus, imo voluntas ab intellectu dirigitur in eligendo: unde Aristot. 6. Ethic. cap. 2. t. 25. ait, electionem esse aut intellectum appetitivum aut appetitum intellectivum; dubium tamen non est, quin præcise & in se spectata sit actus voluntatis. Patet hoc ex definitione ejus 3. ethic. capit. 3. t. 61. ubi diserte vocatur appetitio. Vnde etiam Thom. 1. 2. quæst. 13. art. 1. expresse vocat actum potentiæ appetitivæ; & Henr.

Electio nō est in anima sciente aut in brutis.

An sit actus intellectus an voluntatis.

Est Actus voluntatis.

Henr. quodlib. 1. quæst. 16. per se & completive dicit voluntatis esse, licet semper præcedat cognitio. Facile autem hoc ostenditur & iisdem quidem argumentis, quibus Aristoteles probat eam non esse opinionem: *Primo* enim intellectus versatur circa res omnes, id est, tam æternas, quæque in nostra potestate non sunt, quam quæ nostri sunt arbitrii, & fieri à nobis queunt, quod electioni non competit. *Secundò* judicium intellectus vero & falso distinguitur, electio bono & malo: neque enim veram aut falsam electionem dicimus, sicut veram aut falsam sententiam, sed bonam vel malam, rectam aut pravam. *Tertiò* ab electione boni vel mali dicimur primo & per se, à judicio intellectus non item. *Quartò* persequi aliquid aut fugere eligimus, non judicamus. *Quinto* denique laudatur electio, si sit rei bonæ, judicium si rei veræ. Ita constat electionem actum intellectus proprie non esse. Quare relinquitur, ut sit actus voluntatis. Verum non est quivis actus ejus, sed talis quem præcessit aliqua deliberatio: cum enim eligere nihil sit aliud quam ex iis, quæ ante inter se contuleris, unum accipere, ut supra diximus, sive ex multis; quæ consideraris, unum alteri præoptare, illud, velle demum erit eligere quod fit præcedente certa rerum consideratione & disquisitione. Sic patet quid sit electio.

Qualis actus voluntatis sit.

XXIII. *Quænam res eliguntur.*

Res quæ eliguntur sunt primo *possibiles*, secundo tales, ut *fieri à nobis possint*, tertio *media* potius quam fines. Electionem esse rerum possibilium tantum,

tantum, facile liquet: eligere enim est rem agere velle voluntate completa. At stultus sit qui velit agere quod scit fieri non posse. Eligi ergo nihil potest, nisi quod possibile est. Vbi nota voluntatē completam vocari cum simpliciter & absolute quis quid vult, incompletam cum quid vult sub certa ista cōditione, si res illa esse possit, quæ vulgo ut à voluntate completa distinguatur, velleitas dicitur. Hæc impossibilium esse potest, illa non potest: impossibilia enim quis velle potest ea conditione si possibilia sint, at non simpliciter sive prout sunt impossibilia. Esse porrò electionē eorum tantū quæ à nobis fiunt inde constat; quod velle quidem possumus, ut hoc aut illo pacto fiant quæ alii faciunt, eligere non possumus. Postremo mediorum potius est quam finis. Causa hæc est, quia illud solum sub electionem cadit quod in consultatione conclusum fuit. Finis autem in syllogismis practicis conclusio non est sed principium, ut docet Aristoteles 7. ethic. cap. 8. tex. 61. Ita inter sanitatem & morbum nemo electionem instituit, sed media tantum eligit quibus sanitatem vel præsentem conservet vel amissam recuperet. Nihil tamen obstat cum finis unus subordinatur alteri ejus quoque esse electionem; sed tum ille naturam medii induit, ut docet Thomas loc. cit. art. 3. Quibus ita expositis natura electionis manifesta est. Definitur autem sic: *Electio sive proæresis est earum rerum quæ in nostra potestate sunt ex consultatione profecta appetitio.* Hæc de electione.

Voluntas completa & incompleta.

Consul-

XXIV. *De consultatione. Pertinet ea ad intellectum. De quibus rebus consultetur.*

Consultatio cum electione ratione objecti convenit, tantum subjecto differt: cum enim consultare sive deliberare sit dispicere quid in re quapiam facto sit opus, consultatio utique ad intellectum pertinet. Verum sicut electio non est omnium rerum indifferenter, sed earum tantum quæ in nostra potestate sunt & fieri à nobis possunt: ita nec consultatur de rebus omnibus, aut de iis quæ uno & eodem modo semper fiunt, sed de illis tantum quæ aliter atque aliter evenire solent. Nec etiam de his cunctis: quarum enim natura aut fortuna causa est, eæ sub consultationem non cadunt. Sic nemo deliberat de siccitate aut imbribus; nemo de inventione thesauri, etsi hæc interdum contingunt, interdum non contingunt. Quare de iis solum deliberatio instituitur, quæ agi ab homine possunt. At nec rursus hæc omnia sub deliberationem cadunt, sed ea tantum, quæ fieri à nobis possunt: ecquis enim nostrum de rebus e.g. Scytharum, Chinensium aut Brasilianorum consultet, cum eæ nihil ad nos attineant? Porro vero etiam res illæ quæ fieri à nobis possunt in duplici sunt differentia: quædam enim nihil dubii habent, quædam multum habent. Nihil dubii est in ijs, quæ vel parvæ sunt, ut contemnantur, vel tam exacte ab arte aliqua comprehensæ, ut uno & eodem modo semper fieri à nobis possint. Sic nemo dubitat, quomodo pingendæ sint literæ, si artem scribendi norit, nemo etiam inquirit quid fieri de ijs debeat, quæ parum juvare ejus propositum possunt,

possunt. Contra multum dubii est in ijs rebus quæ non semper æq; succedunt. Ita medicus etiam, qui optime artem medendi callet, dubitat sæpe qua ratione morbum hunc aut illum quam felicissime curet. Atque harum, non illarum, est consultatio. Postremo sicut electio non est tam finium quam mediorum, quorum ope finē consequimur: ita etiam consultatur de mediis tantū: cum enim finis, ut ante dicebamus, principium sit in practicis, dubii nihil habet, nec sub inquisitionem venit, sed tanquam certū & notum quid supponitur. De fine ergo non est deliberatio, nisi forte quod finis est unius rei mediū fiat alterius. Nam tum fit quod alias etiam in demonstrationibus fieri solet: quemadmodum enim quod est principium unius demonstrationis sæpe fuit cōclusio alterius, ut docetur in apodicticis & ex toto 1. lib. elem. Euclidis patet: ita etiam *quod accipitur ut finis in una deliberatione, accipi potest ut aliquid ad finem in alia*, inquit Thom. l. c. q. 14. art. 2. Tantum etiam de consultatione.

Omnis consultatio de mediis ad finem.

XXV. *De voluntate.*

Vltimum principium actionum est *Voluntas.* Quod autem nomine voluntatis hic denotemus jam ab initio dictum est: duplex enim ejus consideratio in Ethicis esse potest, una ubi de objecto agitur, altera heic ubi de principiis. Illic ipsa potētia volēdi, heic actus volūtatis spectatur. Quare etiam illic explicatur, quid sit voluntas, quod ejus subjectū, & quod objectum, &c. heic tantū, qui & quatenus actio aliqua exterior ab ipsa de-

pendeat sive voluntaria aut involuntaria sit. Et differt voluntas tum à cæteris principiis, tum ab electione consultatione. Quomodo distinguatur à spontaneo supra dictum est. Ab electione differt, quod illa potissimum media spectet, voluntas fines, item quod ea quæ subito facimus volumus nec tamen eligimus, ut dicitur 3. ethic. cap. secundo. A consultatione, qua ista actus intellectus est.

Quomodo differat à cæteris principiis.

XXVI. Quotupliciter quis quid dicatur velle.

Sed ut recte intelligatur quatenus actus exteriores dependeant à voluntate, tria breviter exponenda erunt. 1. Quotupliciter quis quid possit velle. 2. Qua ratione aliquid fiat magis minusve voluntarium. 3. Quid actus exterior, quid item eventus, voluntati superaddat. Principio igitur velle quis quid dicitur, non tantum quum ipse quid facit, sed etiam quum approbat quod alius facit. Potest autem hoc fieri multiplicitor, primo enim approbat qui jubet, dein qui consentit, tertio qui facientem collaudat, quarto qui commodi particeps fit, quinto qui cum possit & debeat non impedit, & sexto denique qui auctorem rei receptat. Thomas 2. 2. quæstion. 62. articul. 7. his versibus inclusa hæc recitat: *Iussio, consilium, consensus, palpo, recursus, Participans, mutus, non obstans, non manifestans. Iubet* autem fieri aliquid non tantum qui expresse id mandat, sicut David Vriam interfici jussit, sed etiam qui signis ostēdit rem sibi placere, imo jussisse, etiam censetur qui quod factum est ratū habet. *Consentit* quisquis vel consilium alteri suggerit,

gerit, vel ipsum sciens adjuvat, vel etiam veniam concedit absque qua facere ille id non poterat. Dico qui sciens adjuvat: nam si vel nesciat quid faciat alter, vel eum finem, quem ipse propositum sibi non habeat, alia ratio est *Collaudat* qui in instituto alterum confirmat eumque ad faciendum invitat, vel id quod facturum scit, utile & pulcrum esse ipsi ostendit. *Particeps* commodi fit, qui vel ex furto, vel rapina aliquid accipit, etsi prædonem aut furem non adjuvit. *Non impedit*, qui vel ipse non obstat cum obstare posset & teneretur, vel non indicat alteri qui impedire potest, cum indicari oporteat. Denique *receptat* qui vel hospitium præbet alteri, ut eo facilius & tutius perficiat, quod animo destinavit, vel post factum occultat auctorem, eo fine ne ad pœnam trahatur, sed porro facultatem delinquendi habeat. His & si qui sunt alii modi culpam quis ejus quod alius facit in se transmovet, ut perinde sit ac ipse fecerit. Vnde & ll. pœnam statuunt eadẽ iis qui ipsi homicidium aut furtum committunt & qui cædem alicui mandant, vel furem ope sua juvant, imo latroni & qui eum receptant §. interdum Inst. de oblig. quæ ex delict. nasc. l. in furti 50. ff. de furt. lib. 15. ad l. Corn. de sicar. & t. I. ff. de receptatoribus.

XXVII. *Quomodo augeatur vel minuatur ratio voluntarii.*

Augetur autem & minuitur ratio voluntarii *primo* prout quid fit vel sine errore & ut perturbationum, vel per errorem & ob perturbationem, deinde prout proposito voluntatis aliquid accedit & decedit. Maxime voluntarium est

est, quod nec errore seducti, nec vi affectuum abrepti, ipsi facimus. Ita agunt qui ex certa malitia quid faciunt. Sed & voluntarium cum primis est quod per affectum fit, si huic quis locum ultro dedit ut eo confidentius peccaret. Minus voluntarium est, quum vel errore deceptus quid agit, vel ex imbecillitate humana affectui alicui cum ingratiis succumbit, ut ira aut amore abreptus aliquid designet. Propositum voluntatis augetur & auget voluntarium tripliciter, ob *numerum, extensionem* vel *intensionem*. Ob numerum, quum quis bene aut male facere quid semel animo proposuit, sed tum non fecit, post iterum sibi proponit & facit: ob extensionem quum ita quis quid facit, ut diu illud animo proposuerit: ob intensionem, quum ita facit, ut quo magis facit eo cupiat magis, quia majorem ex re illa voluptatem percepit, quam ante sperarat. Thom. 1. 2. q. 20. art. 4.

XXVIII. *Quid actus exterior superaddat actui voluntatis.* Superaddit porro actus exterior voluntati aliquid quatenus est terminus voluntatis & perfectio actus interioris: sicut enim motus perfectus non est nisi cum terminum agit, ita nec velle perfectum nisi cum actio subsequitur. Potest autem hoc fieri dupliciter: vel enim plene quis quid vult, vel plene non vult; sed ex parte tantum. Si priori modo se habeat voluntas, actus exterior addit majorem tantum delectationem, & vel commodum vel damnum proximi: si posteriori, supplet etiam quod voluntati deerat. Ita si omnino dare velis eleemosynam & impediaris forte, æque acceptum illud

Deo

Deo est, quam si dedisses, nisi quod alterum in commodum proximi magis cedit: si item peccare voluisti & impeditus es, æque malum illud est ac si perpetrasses factum, nisi quod tanta libido non adfuit, quanta est cum facinus perpetratur, nec damnum proximo illatum est: sin vero non plene volueris facere quod facis & facis tamen, perinde hoc est, ac si facere omnino voluisses, Thom.loc.cit. Et hoc est quod apud Ciceron. 3. de finibus dicit Cato: *Vt peccatum est patriam prodere, parentes violare, fana depeculari, quæ sunt in effectu, sic timere, mærere, sic in libidine esse peccatum est, etiam sine effectu.* Postremo eventus qui supervenit actui aut est à nobis prævisus aut non est. Si prævisus, omnino auget bonitatem & malitiam actus. Si non prævisus, erat vel talis, ut necessario actum illum sequeretur, & itidem addit ei aliquid, vel plane per accidens supervenit & nihil superaddit. Hactenus etiam de Voluntate. Hæc sunt actionum nostrarum principia, quæ cum in potestate nostra posita sint, actiones quoque ab iis profectæ in nobis sitæ erunt, adeoque & virtutes & vitia. Idque ut recte ex iis, quæ explicata hactenus sunt, deducitur, ita cum primis heic observandum est. Quod tamen quum dicimus de actionibus aut virtutibus aliis quam civilibus sermo non est, sicut nec aliarum principia tota hac dissertatione consideravimus: quæ enim natura & conditio sit actionum, quarum sola Spiritus S. gratia in homine principium est, alio pertinet explicare.

Quid superaddat eventus.

De principiis actionum civilium heic tantum tractatum esse.

XXXI. *Error Platonis statuentis omne quod malum fieri ab invitis.*

Supereſt ut heic obiter notemus errorem Platonis, qui virtutem tantum voluntariam eſſe ſtatuebat, vitia involuntaria, reprehenſus eo nomine & rectiſſime confutatus ab Ariſtot. 3. ethic. cap. 5. Eſſe hanc ejus ſententiam ex pluribus locis manifeſto colligitur, quorum aliqua tantum ſcribemus. In Protagora ſic ait: *Arbitror equidem ſapientem nullum putare, quemquam hominem eſſe qui ultro aberret, malaque & turpia ſponte committat: ſciunt etenim quod qui mala turpiaque committunt præter voluntatem peccant.* Et 9. u. ll. *Rurſus videamus o Clinia quomodo nos de his conſentimus. Clin. Quem dicis conſenſum? Athen. In ſuperioribus diſerte mihi dictum arbitror. Clin. Quo pacto? Athen. Quod ſi ſupra dictum non eſt, nunc ſaltem me dicere exiſtimate. Clin. Quidnam? Athen. Malos omnes omnino male eſſe contra voluntatem ſuam.* Idem accommodat ad injuſtitiam 5. de ll. *Noſſe imprimis oportet nullum injuſtum ſpōte injuſtum eſſe: nemo enim unquam maximorum malorum aliquid alicubi vellet habere, multoq; minus in his quæ ipſi præſtantiſſima ſunt.* Hæc Plato.


Alcinous.

Alcinous rem hanc ex ejus ſententia ita proponit & diſputat de doct. Platon. cap. 30. *Quod ſi quis in vitium fertur,* inquit, *primum quidem non ut in malum, ſed velut in bonum potius inclinatur: & ſi in malum nihilominus labitur, certe decipitur, quod hac via per minus aliquod malum ad maius aliquod adſpirat bonum, atq; hoc modo invitus accedit: neque enim fieri poteſt, ut quis eo animo ad mala feratur, ut hæc conſequatur, non ſpe boni alicuius aut metu maioris mali. Quamobrem omnia quæ improbus improbe agit involuntaria ſunt.* Hæc ille. Verum

rum enim vero enormiter labitur, summus Philosophus: nec tantum error est in fidem Christianam, sed ipsam Philosophiam graviter impingit. In fidem: tantum enim abest, ut inviti mala perpetremus aut mali simus, ut nullam in rem pronior aut proclivior sit animus postquam semel naturam peccati originalis labes insedit & penitus corrupit, ut id in scholis Theologicis docetur. In Philosophiam impingit: aut enim actiones malæ non sunt nostræ actiones, aut ab illis principiis proveniunt quæ in nobis sunt & hactenus explicavimus. Nec enim alia esse principia possunt. Adde quod omnes legum latores viro illi alias incomparabili refragentur, imo privatus etiam quisque, cum eos qui male faciunt uno ore pœnis destinant & tradunt, ac contra iis qui recte se gerunt honores & præmia decernũt, quod profecto absurdè fieret, si sponte sua nemo malus esset: nec enim quæ aliter fieri simpliciter non possunt aut poterant, pœnis coercentur, aut legibus prohibentur, nisi quis etiam ad solem stanti imperare velit ne caleat, aut ei qui pulsatur ne doleat. Nec alicuj⁹ momẽti est quod de ignorantia affertur: præterquã enim quod manifesto falsum est, omnia quæ malefiunt ab ignorãtibus committi, notum etiam est omnem ignorantiam actionem invitam nõ reddere. Dubiũ igitur nullũ est quin ut principia actionũ ita & ipsę actiones nostrę in potestate nostra sint, imo non tantũ actiones, sed & habitus qui ex iis in nobis gignuntur. Tantum hoc sciẽdum adhuc est actio-

XXX. *Confutatur error Platonis.*

num quidem & principium & finem in nobis & in manu nostra esse, habituum vero principium tantum, puta quod sciamus ex hujus vel illius modi actionibus hunc aut illum habitum tandem oriri, licet is ubi jã adest in potestate nostra esse desinat. D. Augustinus lib. 8. Confess. cap. 5. præclare hoc docuit de habitibus vitiorum. *Ex voluntate perversa,* inquit: *facta est libido, & dum servitur libidini, facta est consuetudo, & dum consuetudini non resistitur, facta est consuetudo, & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas.* Tantum de principiis actionum.



CAPUT

De virtute mali in specie & primo de Fortitudine.

SUMMARIA.

1 *Nomen fortis late patere.*
2 *Quænam res mutantur.*
3 *Democritum non territum spectris.*
4 *Objectum fortitudinis metum mortis.*
5 *Quinque genera eius. Primum.*
6 *Secundum.*
7 *Tertium.*
8 *Quartum.*
9 *Quintum.*
10 *Quinam revera sint fortes.*
11 *Duplex munus fortitudinis.*

12 De

12 *De αὐτοχειρία.*
13 *Quantopere multis probata sit.*
14 *Non esse licitam.*
15 *De facto Razia.*
16 *Αὐτοχειρίαν pugnare etiam cum recta ratione.*
17 *Vitia fortitudini opposita.*

HActenus in genere de virtute morali tractatum fuit, nunc unamquamque earum singulatim consideremus. Quod etsi parum interest quo ordine fiat, nos tamen ductum Aristot. sequemur & ordinem eum servabimus, quem ipse in ethicis Nicomacheis tenuit. Dicemus igitur primo de fortitudine. Late autem patet nomen fortis & fortitudinis: interdum fortis idem est quod celer, si Nonio credimus. Ita accipitur in illo Lucretii lib. 3. *I. Fortis late Nomen patet.*

Quidnam tremulis facere artubus hedi
Consimile incursu possint ac fortis equi vis.

Item in Enniano isto quod apud Cic. in Cat. Majore legitur;

Sicut fortis equus, spatio qui sæpe supremo.
Vincit olympia, nunc senio confectu, quiescit.

Interdum idem est quod robustus, sicut in illo mimi apud Capitolinum, quod Maximino imperatori, qui propter robur & magnitudinem corporis occidi se non posse putabat, occentum legimus.

Leo fortis est & occiditur,
Tigris fortis est & occiditur,
Cave multos si singulos non times.

Interdum etiam pro pulcro accipitur, sicut a-

pud Plautum in Milite. Item pro divite & nobili, ut in Trinumo. Sæpe porro fortitudo idem est quod laborum tolerantia aut etiam continentia. Sic Horat. lib. 2. epist. 1.

Agricolæ prisci fortes parvoq; beati.

Et lib. ep. 6.

---fortis omißis

Hoc age deliciis.

Quo sensu etiam Plato 1. de legibus *majori fortitudine opus esse dicit ad voluptatem vincendam, quam dolorem.* Et sæpius adhuc usurpatum illud vocabulū invenitur pro tolerantia & constantia in rebus adversis. Ita B. Aug. lib. de l. arb. c. 13. dicit: *Non intelligo quem fortem verius appellare poßim, quam eum qui rebus iis quas neq; ut adipiscamur, neque ut obtineamus in nobis situm est, æquo & tranquillo animo caret, quod hunc necessario facere compertum est.* Et Ambros. 1. offic. c. 36. utramq; acceptionem conjungit & *contemnere divitias voluptates, honores, res adversas,* numera fortitudinis facit, imo cap. 39. ait *fortitudinem munire animum contra omnia vitia & facere ne ab ullo eorum quis vincatur.* Sed omnes hæ acceptiones minus propriæ sunt accepta tātum ultima: maxime proprie fortitudo illa dicitur quæ circa fiduciam & metū versatur, id est, confidēti & intrepido animo esse docet. Cujus eximię virtutis natura ut eo rectius percipiatur duo exponenda cū primis erunt, primo objectum ejus, sive quæ res sint in quibus fidere oportet, & quarum metum tollat fortitudo, & quantum vel ad eam accedant vel ab ea abeāt

S. August.

Ambros.

Proprie dicitur fortis qui circa metum recte se habet.

cæte-

cæteri habitus, qui speciem tantum fortitudinis præ se ferunt, vel similitudinem ejus aliquam habent.

Plurima autem sunt quæ metui ab hominibus solent & inter cætera etiam infamia, paupertas, morbus, plagæ, solitudo sive vita amicis orbata, si quid his est affine. Sed hæc materiæ fortitudinis proprie non sunt: infamia enim recte metuitur & metuit eam optimus & sapientissimus etiam quisq;. Paupertas autem, morbi & plagæ, etsi semper metuenda non sunt, fortis tamen statim non est qui ista non metuit, cum plagas etiam nequam servi contemnant & paupertatẽ prodigi. Morbos vero & calamitates magno animo tolerare etsi fortitudine affine est, fortitudo tamen proprie non est, ut Arist. 3. eth. c. 6. tex. 88. docet. Causa est quod fortitudo ut omnis virtus versetur circa ea quæ maxime ardua sunt: unde fit ut quod minus est terribile sub fortitudinẽ ita proprie non cadat. Metuuntur præterea terræ motus, inundationes fulmina, ruinæ, dæmonum illusiones, & conspectus sive phantasmata, ac similia. Verum nec in his fortitudo occupatur, quia supra hominis virtutem & constantiam posita sunt, eaque etiam fortis ut homo metuit. Quin plerisque his contra ire hominis est vel admodum stupidi vel oppido insani dicente Aristot. c. 7. tex. 95. Certe insaniebant olim Celtæ sive Galli, si vera sunt quæ de iis subindicat Arist. 3. eth. c. 7. exponit autem Ælianus li. 12. c. 23. Dicit *adeo ignominiosum eos duxisse fugere ut à corruentib. & collabentib. ædibus sæpe nn exirẽt, sed ne ex ardentibus*

II. Quænam res metuantur.

Quarum rerum metus constantiam hominis superet.

ardentibus quidem, ita ut incendio ignique circumveni-rentur. *Multi & inundans mare sustinebant & quidem insuper in fluctus armati se iniiciebant, atque eorum impetum excipiebant, protensis gladiis evaginatis & hastis vibratis, perinde ac si vel terrere vel vulnerare possent.* Hæc Ælianus. Quanquam autem eadem ista Cimbris olim tribuit Ephorus, falsa tamen sunt, ut jam olim docuit Posidonius & post eum Strab.lib.7.in descript. Germaniæ,ut in nostris notis ad 3. ethic. observamus. Verius forte est, quod de Cannis refert Herodotus lib.1.*eos armatos aerem hastis pulsasse, dicentes se eiicere Deos peregrinos*,aut quod idem de Phyllis, *qui arma contra austrum ventum capiebant,quod iniuria se ab eo affectos dicerent*,ut habetur li. 4. Et similis est Xerxis stultitia, cum transiens in Græciam compedes in Hellespontum iniiceret & verberari eum juberet,ut refert idem lib.9. Hæc,inquam, non fortitudinis sunt sed furoris aut certe magnæ stultitiæ.

Canniorũ & Phyllorum insania.

III. Democritus non perterrefiebat spectris.

De spectris autem etsi paulo alia ratio est, neque hic tamen fortitudini fere locus relinquitur quidem Democritus Abderita adeo hæc talia non metuit, ut *perdius & pernox sæpe extra portam in monumentis viveret, ibi scriptionibus & commentationibus vocans. Cumque aliquando illudere & perterrefacere ipsum aliquot adolescentes vellent, & nigra veste in modum cadaveris ornati, ac laruis cranium humanum repræsentantibus induti eum circumsilirent, ille nihil commotus & nec inter scribendum respiciens, id tantum dixisse fertur, inepti ire desinerent*, ut testatur Lucianus in Philopseude. Sed hic persuasus

erat

erat nihil spectrorum esse in rerum natura posse. Major animi præsentia in Marco Bruto fuit, qui *spectrum horrendum & terribile de nocte sibi oblatum non tantum intrepido animo vidit . sed ultro etiam compellavit, rogans quis esset & qua de causa venisset, cumque respondisset phantasma : molus tuus genius sum, Brute, in Philippis me videbis, subjecit Brutus, videbo*, ut refert Plutarch. in Bruto. Nec absimile facinus est Athenodori Philosophi Atheniensis, qui non tantum ædes propter spectra infames ultro habitatum immigravit, sed cum spectrum concubia nocte apparens ei innueret, ut se in aream ædium subsequeretur, sublato lumine, ad quod scribebat, secutus est & locum ubi evanesceret notavit, sicut narrat Plinius lib.7.ep.27.

Nec M. Brutus.

Aut Athenodorus.

Verum hoc admodum rara sunt ; nec si talia metuat vir fortis vitio ei id vertitur. Quare relinquitur ut in iis intrepide se gerat, quæ ita terribilia sunt & metum incutiunt, ut constantiã tamen hominis nõ superent. Inter hæc autem præcipuũ est vitæ periculum sive mors ipsa illa enim est rerum omnium maxime terribilis. Nec mors tamẽ omnis huc pertinet: nam etsi in illa quoq; quam vel in mari tempestas vel morbi vis affert, animo abjecto vir fortis non est, tamen hæc nõ est præcipuum fortitudinis munus: indicio sit, quod istã mortem etiã moleste fert quia virtuti & præclaris factis in ea locus non est. Sane vir fortis nõ detrectat mori, sed ita ut morte sua de multis præclare mereatur. Hinc Achilles apud Homerum & Æneas

IV. Objectum fortitudinis metus mortis.

Nec omnis mors tamen.

Æneas apud Virgilium cum hic metueret naufragium, ille ne in Scamandro fluvio periret, conqueruntur; quod non in prælio plurimis hostibus prius interfectis cadere sibi licuerit potius, quam ita miseriam & ingloriam mortem opportere. Verba Achillis sunt:

Achilles Δ.Φ. cxxc.

Ὥς μ' ὄφελ Ἕκτωρ κτεῖναι, ὃς ἐνθάδε τέθραφ' ἄριστος.
Τῷ κ' ἀγαθὸς μὲν ἔπεφν', ἀγαθὸν δέ κεν ἐξε αρίξεν.
Νῦν δέ με λευγαλέῳ θανάτῳ εἵμαρτο ἁλῶναι
Ἐρχθέντ' ἐν μεγάλῳ ποταμῷ ὡς παῖδα συφορβὸν,
Ὅν ῥά τ' ἔναυλος ἀποέρσει χειμῶνι περῶντα,

Lib. 1. Æneas.

Necaliter Æneas:

----- O terque quaterque beati.
Queis ante orta patrum Troiæ sub mœnibus altis
Contigit oppetere: ô Danaûm fortissime gentis
Tydide, méne Iliacis occumbere campis
Non potuisse? tuaq; animam hanc effundere dextra?
Sævus ubi Æacidæ telo iacet Hector, ubi ingens
Sarpedon, ubi tot Simonis correpta sub undis
Scuta virum galeasque & fortia corpora voluit.

Vnde Cimbros etiam & Celtiberos scribit Valerius Maximus lib. 2. cap. 6. in acie exultasse tanquam gloriose & feliciter vita excessuros, lamẽtatos autem in morbo quasi turpiter & miserabiliter perituros, quod etiam Cicero Tuscul. 2. refert. *Epaminondas.* Eadem de causa Epaminondas Dux Thebanorum post prælium ad Mantineam tranquillo animo spiritum tum demũ efflavit cum sua morte patriæ victoriam partam esse intelligeret, ut testatur Iustinus lib. 6. c. 8. In morte ergo honesta & præ-

præclara atque iis quæ hanc afferunt virtus viri fortis potiſſimum emicat, ibi fidit & imperterritus eſt. maxime autem ſi quid ſubito accidat: repentina enim & inexpectata fortius animum percellunt & facilius de ſtatione deturbant quam præviſa: virtus autem in iis cum primis occupatur quæ ardua maxime ſunt 2. eth. 3. text. 9 Adde quod hoc magis ab habitu eſt ſi in repentinis recte ſe quis gerat; nam quæ multo ante perſpecta ſunt ea ſolo conſilio & ratione ſuſcipere quis poteſt 3. eth. ca. 8. tex. 118. Hoc eſt obiectum fortitudinis. *V.*

Quod ſi autem naturam ipſam ejus conſideres, quinque præcipue fortitudinis genera vulgo occurrunt. *Quinque genera fortitudinis quæ vulgo putatur.* Vnum eſt civile ſive civium in republica, qui præmiis & honoribus invitati, vel ignominia quam metuunt compulſi, fortes ſe gerunt, ſicut Lacedæmone fuiſſe legē, quæ ignominia notabat cives qui è prælio fugerant, conſtat ex pugna Leuctrica. *Primum.* Vide Plut. in Lacon. apopth. c. 21. Hi ad veram fortitudinem proximè omniū accedūt: namq; & amore rei honeſtæ ac pulchræ cujuſmodi quid eſt honor. & evitādi cauſa quod turpe eſt, pericula adeunt. Eo animo erat Hector apud Homerum cum exclamaret:

Ὤμοι ἐγὼν, εἰ μέν κε πύλας καὶ τείχεα δύω, λ. χ.
Πουλυδάμας μοι πρῶτος ἐλεγχείην ἀναθήσει. XCIX.
Hei mihi ſi portas rediens muroſque ſubibo,
Polydamanta probro primum mihi credo daturum.

Neque alio Diomedes cum ad Neſtorem dicit: λ. θ.
Ἕκτωρ γάρ ποτε φήσει ἐνὶ Τρώεσσ' ἀγορεύων, CXLVIII.
Τυδεΐδης ὑπ' ἐμεῖο φοβεύμενος ἵκετο νῆας,

Ὥσποτ

Ὥς ποτ' ἀπειλήσει, τότε μοι χάνοι εὐρεῖα χθών.
Hector apud Troas, dum sese extollit & ornat,
Tydides dicet, nostra formidine dextrâ
Fugerat ad naves nam sic iactabit: at ipse
Malim terra mihi penitus prius ima dehiscat.

Ad hanc civilem fortitudinem referri & illorū ausa solent, qui coacti se viros præstant, puta si pœna decreta sit iis qui fugiunt, vel qui verberibus aguntur in hostem, aut undiq; ab hoste obsessi sunt, ut nulla elabendi via pateat. Hoc pacto pugnabatur sub Astyage ultimo rege Medorum contra Cyrum: ille enim *à tergo partem exercitus copiis suis ponebat, denuncians iis ut vincerent, non minus fortes etiam post terga inventuros quam à frontibus viros.* Iustin. lib. 1. c. 6. Eodem animo erat Clearchus Lacedæmoniorum dux, cum diceret, *Imperatorem potius quam hostem metui debere, significans eos qui in prælio dubiam mortem timuissent, certum, si aciem deseruissent, manere supplicium.* Frontinus lib. 4. strateg. c. 1. Nec minus Agamemnon cum ait.

Clearchus.

Agamemnon.

λ. β.

CCCXCI.

Ὃν δέ κ' ἐγὼν ἀπάνευθε μάχης ἐθέλοντα νοήσω
Μιμνάζειν παρὰ νηυσὶ κορωνίσιν, οὔ οἱ ἔπειτα
Ἄρκιον ἐσσεῖται φυγέειν κύνας ἠδ' οἰωνούς.
-- Quem (inquit) *sese pugnæ subducere cernam,*
Ut fiat canibus mox fixa voracibus esca.

Sed qui sic pugnant horum virtus conferri cum altera illa civium fortitudine nequit, nec enim amore honestatis sed metu & necessitate compelluntur, neque dedecus effugere cupiunt, ut illi, sed pœnas. Nō potest autem quis facile esse igna-

rus,

vus, cui non ex desperatione crescat audacia: nam *tum spei nihil est, sumit arma etiam formido, & libenter cupit commori, qui sine dubio scit se moriturum*, ait Vegetius lib.3. de re militari cap.3.

Alterum fortitudinis genus est militum. Hi ideo plerumque multum audent; & pericula contemnunt, quod bellis assueti sunt & armorum peritiam habent: *scientia enim rei bellicæ dimicandi nutrit audaciam & nemo facere metuit, quod se bene didicisse confidit*, dicente iterum Veget. lib.1. cap. 1. Sed isti tamdiu præsente animo sunt quam diu scientiæ & peritiæ suæ fidunt; eaque hostibus longe se superiores esse autumant. At ubi deprehendunt hanc non esse tantam quantam putarant, vel successus præter opinionem non respondet, primi sæpe fugiunt, multum deteriores civibus fortibus; qui acriter pugnant etiam ad interitum usque. VI. *Alterum genus.*

Tertium genitus illorum est qui ira, dolore aut alio aliquo animi affectu concitati, nihil metuunt. Verum nec hi fortes sunt. Sane addit ira calcar ei qui periculum subit & adiuvatur eâ vir fortis. Sic docet Aristoteles capit. 8. titul. 195. quem frustra hoc nomine reprehendit Seneca lib.1. de ira c.13. & 14. & ex recentioribus Franciscus Philelphus lib.4. de disciplina morali in fine. Sed nec tam affectu aut impetu fertur fortis quam consilio, nec ob iram aut dolorem sed honestatē pugnat. Vnde Lucius Paulus *imperatorem semen moribus dicebat esse oportere ac moderatiora consilia sequi*, ut refert Frontin. 4. stratagem. cap. septimo. Et Agesilaus VII. *Tertium.* *Vir fortis non tam affectu quam consilio rē gerit.*

silaus in pugna ad Mantineam hortabatur Lacedæmonios, *ut omißis reliquis in solum pugnarent Epaminondam, solos, inquiens, prudentes esse fores, & illo necato facilem fore de reliquis victoriam, fatuis & nullius pretii hominibus*, idque ait Plutarchus, *consilium eventus comprobavit*. Vnde eum in Apopth. Lacon. c. 21. *Mens una sapiens plurimum vincit manus*, inquit Euripides, idque Polybius lib. 1. hist. c. 35. in Xanthippi victoria de Regulo parta liquido constitisse ait: Vnde etiam Iulianum à prudentia commendat Amm. Marcellin. lib. decimo sexto cum ille contra Allemannos pugnaret: *Hinc & deinde*, ait, *nec itinera nec flumina transire posse sine insidiis putans, erat providus & cunctator: quod præcipuum bonum in magnis doctoribus opem ferre solet exercitibus & salutem* Pugnaces itaque illi sunt, qui solo animi affectu impulsi pericula intrepide adeunt, fortes revera non sunt, cum & belluæ dolore atque ira incensæ periculum præsentissimum contemnãt, imo nec asinus, animal omnium alias ignavissimum, cum esurit, ullas plagas metuat, aut iis à pastu abigi se sinat. Inter pugnacem autem & fortem multum inter esse vel ex Scipione Africano disces: nam cum & hunc *quidam parum pugnacem esse dicerent, respondisse fertur: imperatorem me mater non bellatorem peperit*. Front. l. c.

Aliud est pugnacem aliud fortem esse.

IIX. *Quartum genus.* Quartum genus fortitudinis est, cum ii ferociunt, qui crebro ante vicerunt. Verum & hi instar ebriorum magna spirant tantisper dum persuasum habent se solos virtuti & marti litasse.

Atque

At ubi spes hæc decollat, actutum & clypeo & animo abjecto fugiunt.

IX. *Quintum.* Quintum & ultimum eorum est qui ideo aliquid audent quod periculi magnitudinem sæpè ignorant. His autem quanto intervallo à fortibus distent facile intelligitur, cum proxime ab audacibus & temerarii absint. Hæc sunt quinq; genera fortium, quæ vulgo occurrunt: sed omnia à vera fortitudine, etsi unum altero longius, recedunt. Potest tamen ex his optime judicium fieri de ista: ubi enim id demiseris, quod in superioribus reprehendimus, vera fortitudinis idea ob oculos ponetur.

X. *Quinam revera sint fortes.* Fortes igitur revera ij sunt, qui non tam honore aut præmiis, nec adeo fiducia peritiæ suæ, quam honestate sive honestissimi ac pulcerrimi facinoris conscientia ducti, nō animo affectibus excæcato, aut ob felices successus ferociente, sed pleno & bono consilio pericula sibi non ignota adeunt, animose pugnant, & ubi opus est intrepide mortem ipsam oppetunt. Hoc animo cum essent Miltiades & postmodū Themistocles Athenienses, ille in pugna Marathonia, hic in bello Medico, totam Græciam à jugo Persico suis temporibus liberarunt. Quibus par erat Thrasibulus qui libertatem Athenarum à Lacedæmoniis oppressam recuperavit, & Leonidas Spartanorum rex, qui cum trecentis Lacedæmoniis ad Thermopylas occubuit, multis millibus Persarum prius interfectis. Hac item virtute Epaminondas rempublic. Thebanorum nullo ante ipsum me-

Miltiades *Themistocles.* *Thrasibulus.* *Leonidas.* *Epaminondas.*

morabili bello claram eo usque evexit, ut ipsi Lacedæmoni terribilis esset. Hac denique Curii, Camilli, Fabritij, Marcelli, Reguli, Scipiones, Pauli, Luculli, & similia hominum dæmonia rem Romanam cum à promiscua pastorum & convenarum multitudine ortum sumpsisset, ad id fastigium perduxerunt, *ut Romana magnitudo tantum hostium vinceret quantum vel ipsa vellet, vel rerum natura permitteret*, sicut loquitur Veget. l.3. de re milit. c.3. Vnde accipimus tantā semper fuisse fortitudinis laudem, ut *multæ gentes eam solam pro virtute habuerint*, ut autor est Aristot. 7. Polit. c.2. Ea mente fuit Lacedæmoniorum respubl. ut ex 2. Politic. & Platone 1. de lege notum est. Quare ipsa etiam musica, quā in festis utebantur eò spectabat: tres enim chori constituebantur, secundum ætates distincti. Chorus senum initio facto canebat.

Laconum fortitudo.

Iuvenes eramus olim nos perstrenui.

Tum juvenum chorus respondebat.

Ii nos sumus. fac si lubet, periculum.

Post tertius chorus puerorum canebat:

Nos fortiores erimus olim plurimo.

Vide de hac & universa fortitudine Laconū Plutarchū in Lycurgo. Et profectò, nisi fortitudine resp. præstet, salva diu esse nequit. Quare rectè dicebat Antisthenes philosophus, ut auctor est Plutarch. de fort. & virt. Alexandri lib. secundo *omnia bona precanda hosti esse præterquā fortitudinē: ita enim ea fore nō possidentium, sed qui vicerint.* Quantum etiam majores nostri isti virtuti tribuerint tum à prima usque origine tum adhuc superiori seculo histo-

Item Germanorum

historiæ loquuntur. Vtinam autem hodie plane à veterum institutis non recessserimus & militarem artem, quam illi solam olim, nos nunc una cum literis tractemus, sine dubio meliori loco simus. Hæc ex natura fortitudinis. XI.

Vbi tamen adhuc observa, cum geminum ejus munus sit, unum, viriliter ferre, si quid adversi aut acerbi in bello accidat, alterum fidere & optima sperare, illud hoc præclarius esse, quia majoris constantiæ virtutis est. Sed & id præterea sciendum est. Quanquam vir fortis nec vulnera nec mortem ipsam, ut diximus, exhorrescit, si publice ita intersit: omnia enim postponit honestati & communi bono, idque cogitat, *neminem ignavia immortalem factum, neque quenquam parentem liberis uti æterni forent optavisse, magis, uti boni honestiq; vitam exigerent*, ut inquit C. Marius apud Sal. in Iugurtha, item *mensuram vitæ honestatem non temporis diuturnitatem esse.* μέτρον τοῦ βίου τὸ καλὸν οὐ τὸ τοῦ χρόνου μῆκος εἶναι, ut Plutarch. consol. ad Apollonium scribit: Imo quo majus est periculum, hoc libentius id subit. *Duplex munus fortitudinis.*

--- Serpens sitis, ardor, arena
Dulcia virtuti, gaudet patientia duris:
Lætius est quoties magno sibi constat honestum,

ait Cato apud Lucanum lib. nono. Non tamen id circo statuendum est, hunc ipsi finem propositũ esse simpliciter, ut aut vulneretur, aut mortẽ oppetat. Quin illa ipsi molesta sunt, ut homini, & in se considerata nolenti etiam ac invito obtingũt: & quisq; quo virtute magis præstat & patriæ re- *V. 402 & seqq.* *Vir fortis non odit vitam suam.*

 ctius

ctius cupit, hoc magis sæpe dolet, se incommodo tempore illi eripi. Præclare hoc intellexit C. Marius, cujus jam mentionem fecimus: cum enim in bello Cimbrico & Teutonico, quod postquam aliquot vicibus cæsi & castris exuti Romani essent, ipse tandem feliciter gessit, *Teudo quidam cum provocaret, & postularet ut prodiret, respondit: si cupidus mortis esset, laqueo eum vitam finire posse, cumque demonstraret ei gladiatorem, contempta statura & prope exactæ ætatis, obiecit ei, dixitq; si eum superasset, cum victore congressurum*, Frontinus lib. quarto strateg. cap. septimo scilicet vir ille *in quo ea tempestate spes atque opes civitatis sita erant*, dicente Salustio Jugurtha in fine. *& tantus ut nisi illo seculo contigisset, actum de Romana Republica fuisset*, ut Florus loquitur lib. tertio capit. tertio, eo fine expeditionem illam non susceperat, ut vita sua ambiguo monomachiæ eventui commissa patriam in discrimen porro adduceret, sed ut salvus ipse cum exercitu suo eam ab inundatione tot bellicosissimorum populorum liberaret. Hinc etiam Varroni post prælium Cannense à senatu & populo gratiæ actæ sunt, quod vitæ suæ consuluisset, nec desperasset de republica, cum collega ejus L. Paulus amisso exercitu & offerente equum Lentulo, quo fugeret, superesse cladi (quanquam nó per ipsum contractæ) noluisset, sed in eó saxo, cui se vulneratus acclinaverat persedisset, donec ab hostibus oppressus confoderetur. Liv. lib. vigesimo secundo capit. ultimo. Valerius Maxim. lib. tertio cap. quarto. Front. loc. cit. cap. octavo. Quæ cum ita sit recte docet Arist. cap. nono, 1.

Marius.

Varroni gratiæ actæ quod reip. se servasset.

114.

114. etiam Fortitudinem conjunctam quidem esse cum voluptate & delectatione, ut cæteras virtutes omnes, sed ita ut illa non tam ex ipsa actione semper capiatur, quam ex fine ob quem actiones suas suscipit. Quemadmodum ergo dulce est forti viro vulnerari, & mori etiã, cum honestas aliter non patitur, sicut Codrus Atheniensium princeps, Leonidas Spartanorum rex & Decius Mus pater ac filius consules Romani ultro se devoverunt, cum omnes oraculo edocti essent sola ratione salvam & incolumem rempubl. fore, Iustin. lib. 2. cap. 6. & 11. Herodotus lib. 9. Livius lib. 8. c. 9. & lib. 10. c. 28. ita contra non fortis viri, sed hominis in semetipsum injurii & insani est absque ulla necessitate vitam projicere.

Codrus. Decius Mus Pater & filius.

XII. *De αὐτοχειρία.*

Quod propterea acurate hic observandum est, tum ut recte intelligatur Fortitudinis indoles, nec ejus loco habeat quod audaciæ & timiditatis sæpe est, tum ut sciatur quid de istis sentiendum sit, qui ultro ipsi sibi manus inferunt. Fuit hæc res olim familiaris admodum & multis magni animi atq; fortitudinis nomine commendata. Non dicã nunc, quod à solo Hegesia Philosopho Cyreniaco, *exaggeratẽ pro concione vitæ huius miserias persuasi sint, ut voluntariã mortem oppeterent, idq; tanto munero ut Ptolomæus rex vetare coactus fuerit, ne ulterius de hoc argumento dissereret.* Valerio Maximo lib. octavo ca. vigesimo & Cic. 1. Tuscul. Nec adferam quod de virginibus Milesiis ex Plutarcho parrat Agellius lib. decimo quinto capi. decimo.

Hegesias. Cyrenaicus.

Virgines. Milesiæ.

omnes scilicet, quæ in ea civitate erant aliquando repente sine ulla evidenti causa volūtatem cepisse obeundæ mortis, ac plurimas vitam suspendio amisisse, ut decreverint tandem Milesij omnes quæ corporib. suspensis demortuæ essent, nudas cum eodem laqueo, quo essent pervincta, efferre: qua decreto demum medicina malo illi facta est. Id mirum videri potest viros alias etiam sapientissimos idē partim fecisse, partim ut recte & præclare factum comprobasse. Sic Saul Rex Iudæorum ne vivus perveniret in manus hostium in suum ipsius gladium irruit 1. Sam. cap. ult. v. 4. & tempore Iudæ Maccabæi Razias quidem ex senioribus Hierosolymitanis, ne traderetur Nicanori, primū gladiose petiit, cumq; aberrasset de muro præcipitē dedit, & cum ne sic quidē moreretur tandē discerptis sua manu intestinis periit 2. Maccab. 14. 37. Similis fere mors est Eleazari 1. Maccabæorū c. 6. cujus meminit honorifice B. Ambros. 1. offic. c. 40. Idem apud Romanos fecit Cato Vticensis vir sua tempestate maximus, cum republ. à Iulio Cæsare occupata vitæ ipsum tæderet. Dio Cassius lib. 43. Flor. lib. 4. c. 2. Eius exemplum imitatus est M. Brutus ipsius ex sorore nepos & gener, avunculo & socero doctrina & virtute non multo minor, & Cassius, qui post cladem Philippicam servis suis se confodiendos præbuere. Dio. li. 47. in fin. Plut. in Bruto. Sed & ipse Zeno Citticus & Cleanthes præcipua disciplinæ Stoicæ lumina ultro & nulla de causa mortem sibi consciverunt, ille cum è schola abiens offendisset & digitū perfregisset; hic cū ex gingiva putrescente labo-

Etiam homines sapientes. αὐτόχειρες facti. *Saul.* *Razias.* *Brutus.* *Cassius.* *Zeno Citticus.* *Cleanthes*

laborans ab biduum jussu medicorum cibo abstinuisset. Vide Dioge. Laert. in vita eorum. Vt nunc omittam Mithradaten Regem, Annibalē & alios imperatores ac milites, qui rebus desperatis ne in manus hostium vivi venirent, vel veneno hausto vel suis pugionibus se interemerūt. Florus lib. 3. c. 5. Liv. lib. 39. cap. 51. *Mithradates.* *Annibal.*

XIII. Placuit autem hæc αὐτοχειρία multis præsertim Stoicis, etsi ante eos etiam Diogenem Cynicum in ea sententia fuisse tradunt. Princeps Stoicorum hac de re ista statuebat, *iuste & cum ratione sapientem educere se è vita vel pro patria vel pro amicis vel si in acerbis doloribus versetur, itemque membrorum mutilatione vel morbis ægre curandis.* Idem docet Epictetus apud Arianum lib. 1. cap. 24. in fin. *Quod caput est, inquit memento apertam esse ianuam: ne sis pueris timidior, sed ut illi dicunt, cùm re aliqua non amplius delectantur, se diutius lusuros non esse. sic & tu, cum quadam eiusmodi esse videbuntur, ubi te diutius esse lusurum negaris, recedito.* Et Seneca non tantum laudat Tullium Marcellum, qui morbo correptus non insanabili, sed longo & molesto, suasu cujusdam Stoici vitam sua sponte finiit epist. 77. & Drusum Libonem adolescentem, qui itidem ægrotus ad cohortationem Scriboniæ animæ suæ id fecerat epist. 70. Imo epist. 70. refutat sententiam Pythagoræ, Socratis & aliorum qui contrarium sentiunt, *Invenies, inquit, etiam professos sapientiam, qui vim adferendam vitæ suæ negent, & nefas judicent ipsum interemptorem sui fieri; expectandum esse exitum, quem natura dedit. Hoc qui dicit non videt se libertati viam claudere. Nil melius æterna lex fecit, quam* *Quid de αὐτοχειρία sentiat Zeno.* *Quid Epictetus.* *Item Seneca.*

quod unum introitum nobis ad vitam dedit, exitus multos. Vide illic cætera. Sententiam autem suam hac de re ita exponit, epistol. 58. *Non relinquam, ait, senectutem, si me totum mihi reservabit, totum autem ab illa parte meliore. At si cœperit concutere mentem, si partes ejus convellere, si mihi non vitam reliquerit, sed animam, prosiliam ex ædificio putrido ac ruenti. Morbum morte nõ fugiam, duntaxat sanabilem, nec officientem animo: non afferam mihi manus propter dolorem. Sic mori vinci est. Hunc tamen, si sciero perpetuum mihi esse patiendum, exibo non propter ipsum, sed quia impedimento mihi futurus est ad omne propter quod vivitur. Imbecillus est & ignavus, qui propter dolorem moritur: stultus qui doloris causa vivit.* Hæc ille. Quare nec aliter Stoici αὐτοχειρίαν vocabant, quam εὔλογον ἐξαγωγὴν & factum ipsum ἐξάγειν ἑαυτόν. Vnde etiam Varro librum quendam suum inscripsit περὶ ἐξαγωγῆς. Qua de re vide P. Victorium lib. sexto var. lection. capit. undecimo. Et quid Philosophorum sententiis recẽsendis immoramur cum ipse author librorum de Maccabæis factũ Raziæ laudare videatur & generose eum mortuũ esse dicat, imo ipsi etiã Christiani in primitiva ecclesia pro fide αὐτόχειρες facti legantur. Ita in decima persecutione nõ nulli ne in manus quæsitorum, & tormenta inciderent, de tabulatis ædium ultro se præcipites egerunt, ut testatur Eusebius libr. octavo histor. Eccles. c. 24. Mulieres etiã & virgines, ne stuprarẽtur aliæ in profluentem insilierunt, aliæ se gladiis transfixerunt, ut idem auctor est tum loc. cit. tum capi-

te vi-

te vigesimo septimo. Idque laudat Eusebius ut præclare factum. Idem institutum Fœminarum multæ secutæ sunt, postea etiam, cum Gothi in Rom. imperium irrupissent, præsertim virgines sanctimoniales, ut notum est ex S. Augustino libro primo Civi. Dei capite primo & sequentibus.

Verum quicquid hujus sit, certum tamen est, *αὐτοχειρίαν* omnem illicitam esse, & non tantum cum lege divina, sed ipsa etiam, ubi res accurate expenditur, recta ratione pugnare. Cum lege divina pugnat: nam *si homicida nefarius* est, ait Lactantius libro tertio institut. c. 18. *qui hominis extinctor est, eidem sceleri obstrictus est qui se necat, quia hominem necat*. *Ne frustra*, inquit D. Augustinus lib. 1. de civitate Dei cap. 20. *in sanctis canonicis libris nusquam nobis divinitus preceptum permissumve reperiri potest, ut vel ipsius adipiscendæ immortalis, vel ullius carendi cavendique mali causa nobismetipsis necem inferamus. Quin & prohibitos nos esse intelligendum est, ubi lex ait:* Non occides. Et iterum c. 23. *Non fecerunt Patriarchæ, non Prophetæ, non Apostoli, quia & ipse Christus Dominus quando eos si persecutionẽ patientur fugere admonuit de civitate in civitatem, potuit admonere, ut sibi ipsis manus inferrent in manus hostium ac persequentium pervenirẽt. Porro si hoc illo non jussit aut monuit ut hoc modo ex hac vita migrarent; quibus migrantibus mansiones æternas se praeparaturum esse promisit, qualibet exempla apponant gentes, quæ ignorant Deum, manifestum est hoc non licere colentibus unum verum Deum.* Hæc D. August. imo

XIV. *Αὐτοχειρία est illicita. Pugnat cum lege divina. Lactantius. August.*

nec

nec Samson aliter excusatur, quod seipsum cum hostibus ruina domus oppreßit, nisi quia spiritus hoc latenter iusserat, qui per illum miracula faciebat, ut idem ait. c. 21.

XV. *Respondetur ad factum Raziæ.* Ad Raziæ autem factum responderi potest tripliciter: primo libros Maccabeorum non esse vere canonicos, ut vel ex illo loco Aug. ante adducto liquere potest, ubi ait, αὐτοχειρίαν in S. Canonicis libris nusquam præceptum aut permissam reperiri. Secundo, non dicit scriptura Raziā recte fecisse, sed intulisse sibi manus, quod mori mallet generose, quam contumeliis sua nobilitate indignis exponi. Narratur ergo *tantum factum, non approbatur*, vel generosum dicitur, quod ille putabat, aut tale esse vulgo tum persuasum erat. Ad hunc modum respondet D. Augustinus epist. 61. & lib. 2. contra Gaudentium cap. 3. Tertio respondet Lyranus peculiari instinctu & præcepto S. Sancti eum id fecisse. Vbi autem præceptum est, cessat peccatum: Deus enim qui vitam dedit repetere ubi vult sive nostra sive alterius manu potest. Quapropter concludimus cum D. Augustino c. 26. *neminem spōtaneam mortem sibi inferre debere, velut fugiendo molestias temporales, ne incidat in perpetuas, neminem propter aliena peccata, ne hoc ipso incipiat habere gravißimum proprium, quem non polluebat alienum, neminem propter peccata sua præterita, propter quæ magis hac vita opus est, ut poßint pœnitendo sanari, neminē velut desiderio vitæ melioris, quo post mortem speratur, quia reos suæ mortis melior post mortem vita non suscipit.* Hæc Augustinus. Ita ostenditur αὐτοχειρίαν pugnare cum lege divina.

Pugnat

Pugnat autem etiam cum recta ratione, ut optime ostendit Socrates apud Platonem in Phœdone: *sicuti*, ait, *in hanc vitam sponte nostra non venimus, ita nec rursus ex hoc domicilio corporis, quod tuendum nobis aßignatum à Deo est, ejusdem iniußu recedendum, qui nos in hoc corpus induxit tam diu habitaturos, donec jubeat emitti*: Sic enim Socratis verba exprimit Lactantius. Unde jam olim Pythagoras quoque vetabat, *iniussu imperatoris de præsidio & statione vitæ discedere*, teste Cic. in Catone majore. Idē Cic. in somnio Scipionis docet: *Piis omnibus*, inquit, *retinendus est animus in custodia corporis, nec iniussu eius, à quo ille nobis est datus, ex hominum vita migrandum, ne munus humanum aßignatum à Deo defugisse videamur.* Nec ipse Epictetus aliter sentit. lib. c. 9. etsi supra contrarium dicebat. Quin Aristotel. 5. ethic. cap. 11. 126. *αὐτόχειρα iniuriam reip. facere* ait, *& ideo mulctam ei imponi & ignominiam irrogari*. Et certe, ut egregie disputat sapientissimus Ebræus Iosephus lib. 3. de bello Iudaico c. 14. *nullum est animal, quod ex industria vel per se moriatur, siquidem naturæ lex validißima in omnibus est, ut velint vivere. Idcirco & qui nobis adimendum id putant, hostes ducimus, & quos nostros insidiatores putamus, pœna persequimur, Deum vero indigne ferre non arbitrabimur cum donum eius homo despiciat? ab illo enim accepimus, ut essemus, rursumq; ut esse desinamus, illi reddendum est. Corpora quidem cum eis mortalia sunt ex caduca materia fabricata, anima semper immortalis est, Deniq; particula in corporibus collocata. Si quis ergo depositum hominis surripuerit aut male tractaverit, peßimus statim ac perfidiosus habetur, si Dei deposi-*

XVI. Pugnare αὐτοχειρίας etiam cũ recta ratione. Socr. Pythagoras. Cicero. Aristot. Iosephus.

tûm ex proprio corpore quis ejecerit, eum se latuisse, quem læserit, existimabit? Et servos quidem fugientes ulcisci justum creditur, quamvis nequam Dominos fugerint; ipsi vero fugientes Deum & optimum Deum impie facere non videbimur? Hæc ille, quem ipse porro lege. Quamobrem nullo modo inter fortes referimus, qui manus sibiipsis adferunt; sed impie eos facere statuimus, imo timidis & mollibus accensemus cum Arist. cap. 7. l. 100. *Non minus enim timidus habendus est, qui mori vult, quum non oportet, quam qui non vult cum opus est*, ut rursus ait Iosephus, *& aliquando etiam vivere fortiter facere est* dicente Seneca, epist. 78.

XVII. *Vitia fortitudini opposita. Timiditas Audacia.* Vitia, quæ fortitudini opponuntur sunt *Timiditas & Audacia.* Timidus est qui omnia metuit, audax qui nihil. Utrumq; male fieri certum est. De timiditate quidem nullum est dubiū, sed non minus crimini datur, temere si quid ausis: *lactantis enim & levissimi ingenii est*, ut dicebat Octavius Augustus teste Sexto Aurelio Victore in epitome. *ardore triumphandi & ob lauream coronam & folia infructuosa per incertos eventus certaminum securitatem civium præcipitare, neque imperatori bono quicquam minus quam temeritas convenit. Satis celeriter fit quicquid commode geritur, armaq; nisi majoris emolumenti causâ nequaquā movenda sunt.* ita Augustus. Unde & optimi quoq; imperatores temeritatē acerrime semper punierunt. Lucius certe Papyrius Cursor. Dictator, Fabium Rutilium magistrum equitum in bello Samnitico, *quod adversum edictum ejus, quamvis prospere, pugnaverat, virgis poposcit cæsum, securi percussurus: nec contentioni aut precibus militum concessit a-*

Augustus

L. Papyrius Cursor.

nimad-

nimadversionem, eumq; confugientem Romam persecutus est, nec ibi quidem remissio prius supplicii metu quam ad genua ejus & Fabius cum Patre provolueretur, & pariter senatus ac populus rogaret. Frontin. 4. stratagem. c. 1. Autor lib. de viris illustribus in vita Papyrii. Sed hic exorari se demum passus est. Titius vero Manlius nullius precibus induci potuit, quin in bello Latino hac de causa ipsum filium suum securi percuteret. Livius l. 8. cap. 5. Frontinus loc. cit. Vnde ab ejus severitate proverbium natum est de Manlianis imperiis, Agellius lib. 9. cap. 13. Tantum de fortitudine & vitiis ei oppositis. *Manlius*

CAPVT VI.

De Temperantia.

SUMMARIA.

1 *Temperantiam versari circa voluptatem.*
2 *Maxime tactus.*
3 *Cupiditas communis & propria.*
4 *Quid Stoici temperantiam vocent.*
5 *Quam ex vita hominum necessaria sit.*
6 *Praestantissimos quosque temperantissimos fuisse.*
7 *Quanta vitae pestis sit intemperantia, & de temperantia Romanorum.*
8 *Cum intemperantia successit eo minus floruisse.*
9 *Quid sit intemperantia & ἀναισθησία.*

Tem-

Temperātia versatur circa voluptates. Temperantia, ut ex ipsa vocis acceptatione notum est, circa voluptates versatur; sive id agit ut voluptatibus modum ponat Voluptates autem duplices sunt, aliæ animi, aliæ corporis: At illæ huc non pertinent: neque enim qui vel ex honoribus voluptatem nimiam capiunt, vel fabulis aut inutilibus narratiunculis tempus perdunt, intemperantes vocari solent. *Sed corporis.* Tantum ergo voluptates corporis huc spectant. Verum nec hæ omnes: nam quas aut visu aut auditu, aut olfactu percipimus, intemperantes nō arguunt: nemo enim intemperantem dixerit; qui aut aspectu elegantium picturarum, aut auditione pulchræ cantilenæ, aut odore rerum suaviolentium delectetur, nisi ideo id fiat, quod ista forte memoriam aut imaginationem aliarum voluptatum continent. Sed hoc omne fit per accidens. *Nec illāc omnes tamen.* Ita enim & canis odore leporis, leo voce bovis capitur: nec tamen aut illi odor iste tam suavis, aut hic voce ista adeo demulcetur, sed uterque cibum & prædam inhiat; & gaudet, quia hanc in propinquo esse persentiscit. Quemadmodum & anus illa apud Plautum Curculione odore vini se delectari dicit:

Act.1.sc.2

Flos, inquit, *veteris vini meis naribus obiectus est,*
Eius amos cupidam me huc prolicit per tenebras!
Vbi ubi est, prope me est, evax, habeo. salve animi mi,
Liberi lepos, ut veteris vetusti cupida sum.
Nam omnium unguentum odor præ tuo nauteà est:
Tu mihi stacte, tu cinnamomum, tu rosa.

Tu tre-

Tu crocinum & cassia es, tu bdellium: nam ubi
Tu profusus, ibi me pervelim sepultam.

Causam enim statim subjicit:

Sed cum adhuc naso odos obsecutus es meo,
Da vicissim meo gutturi gaudium.
Nihil ago tecum, ubi est ipsus, ipsum expeto
Tangere, invergere in me liquores tuos
Sine ductim.

Hæc illa. Qua propter per se materia temperantiæ tantum sunt voluptates, quæ cæteros sensus; id est, gustum & tactum afficiunt. Neque porrò tamen tàm in gustu; quàm tactu Temperantia est: cum enim gustatus potissimùm fiat aut pitissando, aut cum rerum conditarum extremâ linguâ sapores discriminamus, parum ad intemperantis cupiditatem facere potest, qui non tam saporem, quàm solidam perceptionem & ingluviem cibi ac potus spectat, unde voluptatem etiam illam maximè probat, cujus diuturnior sensus est. Docuit id optimè Philoxenus Eryxii filius, insignis inter gulæ proceres, qui *ut diutius frui voluptate cibi ac potus posset, collum gruis optabat*, ut auctor est Aristo. el. 3. ethic. c. 10. & Athenæus libr. 1. cap. 2.

In solâ ergò voluptate tactus potissimùm consistit Temperantia. Sed neque in ista omni: quæ enim toto corpore percipitur, sive ex frictione, sive calefactione, aut re simili, liberalis per se est & ingenua. Relinquitur ergò ea, quæ gula percipitur, & ijs corporis partibus, quibus sexus distinguitur. Hæc enim voluptas, ut maximè communis nobis est cum brutis, ita cum primis

II. Sed tactui tantum.

Nec rursus ille indifferēter.

hominem dedecet, si modum excedat, atque ide coercitione opus habet. Vnde D. Augustinus libro 10. Confess. cap. 31. præclarè ait: *Cum salus sit causa edendi & bibendi, adiungit se tanquam pedissequa periculosa jucunditas, & plerumque praire conatur, ut eius causa fiat quod salutis causa me facere vel dico vel volo; nec idem modus utriusque est. Et sæpè incertum fit, utrum adhuc necessaria corporis subsidium petat, an voluptaria cupiditatis fallacia ministerium suppetat. At hoc incertum hilarescit infelix anima, & in eo præparat excusationis patrocinium, gaudens non apparere quid satis sit moderationi valetudinis, ut obtentu salutis obumbret negotium voluptatis.*

August.

III. Verùm & hæc ipsa voluptas iterum distinguenda est, cupiditas enim talis, & quæ eam explet voluptas, vel est communis, vel propria & peculiariter adscita. *Communis* est naturalis illa, quâ omnes homines quotidie cibum ac potum, ac convenienti ætate venerem appetunt. Propria quæ in certos cibos, certum potum, & hunc magis quàm illum, in certæ item fœminæ consortium fertur. In communibus & naturalibus cupiditatibus non ita facilè peccatur, sed eo tantum pacto, si simpliciter modum excedas, si ut qui comest & bibit quæ offeruntur, sed plus sumit quàm natura requirebat, id solum peccat quod modum superet. In propriis verò facilior lapsus est, nec is uniformis, fieri enim solet, ut quis non tantùm delectetur plus simpliciter re quapiam, quàm decet, sed & ea parte qua non decet, vel quomodo aut quo tempore

Cupiditas cōmunis & propria

Cupiditates necessariæ & adscititiæ.

pore non decet. Et hæc distinctio cumprimis est necessaria, quam Epicurum primùm animadvertisse dicit Torquatus apud Ciceron. II. de finib. Sed Socratis est, qui unum genus cupiditatum ponebat earum quæ essent & naturales & necessariæ; tertium quæ nec naturales, nec necessariæ, & harum hanc rationem esse dicebat, ut necessariæ nec operâ multâ nec impensâ expleantur, imò nec naturales quidem multa desiderare, propterea quòd ipsa natura divitias, quibus contenta est, & parabiles & terminatas habet, inanium autem cupiditatum nec modum ullum nec finem inveniri posse. Quapropter non tàm incupiditatibus illis communibus quã propriis, & ut Socrates vocat, inanibus restenandis operam suam ponit temperantia. Hinc Seneca epist. 90. *Simplici cura constant necessaria; in delicias laboratur.* Et rursus: *Ad parata nati sumus: nos omnia nobis difficilia facilium fastidio fecimus. Tecta tegumentaque & fomenta corporum & cibi, quæ nunc ingens negotium facta sunt, obvia erunt, & gratuita, & operâ levi parabilia: modus enim omnium prout postulabat necessitas erat: nos ista pretiosa, nos mira, nos magnis multisque conquirenda artibus fecimus. Sufficit ad id natura quod poscit.* Quò & Democriti illud spectat: *Ambitiosam mensam fortuna, parcam virtus apponit.* Ammianus Marcellinus libro 16. in pr. Et hæc quidem Temperantiæ essentia & ratio est: nam circa dolorem non versatur, nisi ubi aliquem intemperans ex privatione & absentia voluptatis capit. Si tamen & hujus

Cirba posteriores temperãtia occupatur.

Quousq; circa dolorem verßetur.

mentio facienda est, erit Temperantia directrix voluptatis & doloris pertinentium ad sensum tactus & gustus, docens & consuefaciens ita voluptate frui & dolore ex ejus absentia affici, quemadmodum decet & honestum est.

IV. Zeno longè aliter illam definit: dicit enim *dispositionem esse inseparabilem eorum quæ sunt rectæ rationis; sive habitum qui vinci à voluptatibus non potest.* Quod Cicero sic exprimit. *Temperantia est, quæ ut in rebus expetendis aut fugiendis rationem sequamur monet.* Sed manifestò abutuntur voce Temperantiæ: facere enim ut quis omnia gerat ex præscripto rectæ rationis, nec ulla in re à voluptate superetur, non unius, sed commune omnium virtutum munus est. Equidem Græci σώφρονα interdum dicũt omnem, qui frugi est, σωφρονίζειν communiter vocant ad bonam frugem redigere, sed ista vocis acceptione una certa virtus denotari nequit, de quâ tamen hic nobis quæstio est. Similiter abutuntur Stoici voce intemperantiæ, cum omnium perturbationum fontem hanc faciunt, & ita vocant *defunctionem à totâ mente & rectâ ratione sive aversionem à præscriptione rationis, quod nullo modo appetitiones animi nec regi nec contineri queant,* sicut docet. Cic. 4. Tuscul.

Quid Stoici temperantiam vocent.

Abutuntur voce.

V. Hæc ergò est temperantia, maxima post fortitudinem in republic. virtus, & non minus necessaria in otio, quàm fortitudo est in bello; ea etiam de causa sine dubio ab Aristotele fortitudini statim subjecta. In qua quantum momentum situm sit ipse Philosophus omnium optimè docuit 7. Polit. c. 15. *Civitatem*, inquit, *& temperantem*

Quam necessaria hominum sit temperantia.

rantem & fortem laborumque patientem esse oportet. Et paulò post: *Opus est fortitudine atque tolerantia in rebus gerendis, sapientia in agenda quiete: temperantia autem & hoc illo tempore, & magis iis qui pace fruuntur. Nam bellum ad justitiam temperantiamque nos adigit: at usus prospera fortuna & otium cum pace petulantes, contumeliosos, & confidenter improbos magis reddit. Multa igitur opus est justitia, multaque temperantia iis qui vivere ex animi sententia & omnium rerum, quæ felices & beatos faciunt, copia frui videntur.* Hæc Aristoteles. Vnde & Socrates apud Xenophontem lib. 1. de dictis & factis memorabilium, Socrat. in fine, *continentiam fundamentum* vocat *omniũ virtutum*, & hac primo loco animum instituti iubet, quod sine eâ nec disci nec cogitari quidquam præclari possit: imò *in continentibus Deos precandos* ait, *ut de bonis dominis ipsis provideatur: cæteroquin enim id genus hominum salvum esse non posse.* Vide locum integrum. *Aristotel.*

Quare ut quisque ab omni memoriâ præstantior existit, hoc etiam temperantior fuit. Alexander Magnus cum Darium Regem Persarum vicisset, & uxorem ac filias ejus cepisset, benè & pudicè illas habuit: Justinian. lib. 11. cap. 9. imò Philoxenum quendam *à præfectura removit, quod ad ipsum scripsisset, an pueros formosos emi sibi vellet*, teste Plutarcho in libello quod secundum placita Epicuri ne jucunde quidem vivere liceat, idem *optimos coquos* ajebat, *esse ad prandium parandum nocturnum iter, ad cœnam prandium parcè sumptum.* Epaminondas cum ab amico invitatus esset, & ille plus apposuisset, quàm pro facul- *VI. Vt quisq; optimus ita & temperantissimus fuit Alex. M.* *Epaminondas.*

cultatum suarum conditione cœnare noluit, inquiēs: *putasse se, ipsum convivium instructurum, non injuriam facturum.* Plutarchus ibidem & Scipio Africanus minor, cum devictâ Carthagine novâ, inter obsides ei virgo eximiæ formæ traderetur, & ipse eam nobili loco natam atque alteri desponsam comperisset, ultrò, etsi juvenis & cœlebs, inviolatam parentibus restituit. Valerius Maximus lib. 4. cap. 3. Agesilaus Lacedæmoniorum Rex etiam *osculum à formoso sibi oblatum repudiavit*, ut ait Plutarchus lib. de audiend. Poet. Res autem ita se habebat, ut idem in apophthegmatis Laconicis c. 6. refert: *Agesilaus Megabuten Mithridatis filium, qui erat formosissimus, offerendi osculi gratia accedentem, (admodum enim amari se putabat) declinaverat, cumque is finem fecisset accedendi, requirebat eum ultrò. Tum amicis dicentibus, ipsum esse in culpa, qui pulchri osculum formidasset, paullum tacitè secum meditatus Agesilaus, Nibil, inquit, attinet, eum à nobis adduci persuadendo: malle enim mihi videor hujusmodi vincere cupiditates, quàm populosissimam hostium repugnantium urbem capere: melius est enim suam ipsius libertatem conservare, quàm aliis eam adimere.* Idem assiduè hoc in ore habebat, *ducem non mollitie & luxu, sed tolerantia ac fortitudine debere subditis anteire*: imò admiranti cuidam ejus reliquorumque Lacedæmoniorum in victu & vestitu frugalitate *hac*, inquit, *sementi vita libertatem metimus.* Plutarch. in Apophth. cap. 7.

Scipio Æmilianus. *Agesilaus.*

VII. Quanta quæ pestis intempe-

Nec ferè major pestis est, quæ vel præclara facinora retardet, vel ipsas etiam respublicas, evertat, quam intemperantia. Norat hoc Cyrus

primus

primus Persarum rex : cum enim Lydi *gens industria quondam, potens,& manu strenua ab eo secunda vice debellati essent, (rebellaverant enim postquam semel subjugati essent) non aliter censuit eos iugo ferendo idoneos fore, nisi armis & equis ademptis, iubet et cauponas & ludicras artes & lenocinia exercere. Quod cum faceret, tota gens mollitie luxuriaque effœminata, virtutem pristinam perdidit, & quos ante Cyrum invictos bella præstiterant in luxuriam lapsos otium ac desidia superavit*, ut refert Iustinus libr. 1. cap. 7. Sic & Alexander Magnus intemperans jam factus in intimos amicos sævit, Iustin. libr. 12. cap. 7. morbum contrahit, & mortem ipsam sibi accelerat. ibid. cap. 3. Annibal secundo bello Punico Romam cepit, nisi Campanæ deliciæ impetum ejus fregissent. Flor. lib. 2. cap. 6. Imò intemperantia. Sardanapali regnum ab Assyriis ad Medos transtulit. Iustinus lib. 1. capit. 3. Idem vitium Tarquinios Româ ejecit: Flor. libr. 1. cap. 7. Et postmodum ipsa respubl. Romana paulatim inclinare cæpit, cum in urbem Attalicæ opes commigrassent. Idem libr. 2. cap. 20. Et sanè non potest illustrius hujus rei exemplum aliundè, quàm à Romanis peti. Nihil illis temperantius, nihil continentius ab initio, & multis adeò sæculis erat, quando adhuc.

Tempe-rãtia Romanorum primis sæculis.

Curius.

----Curius parvo quæ legerat horto
Ipse focis brevibus ponebat oluscula, quando.
Sicci terga suis rara pendentia crate
Moris erat tantum festis servare diebus,
Et natalitium cognatis ponere lardum,
Accedente nova, si quam dabat hostia, carne.

Cognatorum aliquis titulo ter consulis atque
Castrorum imperiis & dictatoris honore
Functus, ad has epulas solito maturius ibat,
Erectum domito referens à monte ligonem.

Cato major. Cato Major Mænilium, *consulatui ut credebatur propinquum, senatu movit, quod is interdiu vidente filia uxorem osculatus esset,* ut refert Plutarchus in ejus vita. Vnde nec patiebantur Romani generos cum soceris, aut filios unà cum parentibus balneum ingredi, *quod membrorum nudationem illis inspectantibus cum decore fieri non posse judicarent*, ut testatur idem loco allegato, & beatus Ambrosius libro 1. offic. cap. 12. imò Cicer. ipse l. 1. de officiis, *Continentia mulierum.* Nec virorum tantum magna tum erat continentia & abstinentia, sed major etiam fœminarum. Audiatur modo Plinius libr. 14. cap. 13. *Non licebat* inquit, *vinum fœminis Romæ bibere. Invenimus inter exempla Egnatij Meceny uxorem, quod vinum bibisset è dolio interfectam fuste à marito, eumque cædis à Romulo absolutum. Fabius pistor in annalibus suis scripsit, matronam, quod loculos, in quibus erant claves vinariæ cellæ, resignavisset, à suis inedia mori coactam: Cato, ideò propinquos fœminis osculum dare, ut scirent an temetum olerent: hoc tum nomen vino erat, undè & temulentia appellata.* Idem narrat Agellius libro 10. cap. 23. Valer. Maxim. libr. 2. cap. 1. Athenæus lib. 10.

VIII. Cùm intemperātia successit minus floruerūt. Quid poterat esse præclarius? aut quid mirum si tùm Respublica Romana floruit? At ubi postmodum luxus & intemperantia in locum tantæ abstinentiæ successerunt, paulatim etiam fortuna & felicitas in contratium vertit, & bella

bella civilia infinita orta sunt. Qua de re ita Salustius Iugurth. *Mos partium popularium & senatus factionum, ac deinde omnium malorum artium, paucis antè annis Romæ ortus est, otio atque abundantia earum rerum, quæ prima mortales ducunt: nam ante Carthaginem deletam populus & senatus R. placide modestèque inter se rempubl. tractabant, neque gloriæ, neque dominationis certamen inter cives erat: metus hostilis in bonis artibus civitatem retinebat. Sed ubi formido illa mentibus decessit licet ea, quæ secundæ res amant, lascivia atque superbia incessere. Ita quod in adversis rebus optaverant, otium postquam adepti sunt, asperius acerbiusque fuit. Namque cœpere nobilitas dignitatem, populus libertatem in libidinem vertere: sibi quisque ducere, rapere, trahere. Ita omnia in duas patres abstracta sunt: respubl. quæ media fuerat, delacerata.* Tantum mali luxus & intemperantia progignere solet. Vnde Socrates jubebat *quicquid persuadet, aut ut edamus quum non esurimus, aut bibamus quum nondum sitimus, aut adspectus & osculationes formosorum ita cavere, tanquam acrius venenum immittant atque scorpii aranea,* ut refert Xenophon. libr. 1. de dict. & fact. Soc. & post eum Clemens Alexandr. 2. stromat. Et hinc idem apud Platonem 2. de LL. adolescentibus ante XVIII. ætatis ann. prorsus intercidit vino; postea usum ejus moderatum concedit, sed ne ante XL. annum liberalius se invitent. Eodem libro extremo probat Carthaginensium legem, quæ vetabat vinum gustare eos, qui in castris essent, & ait, nec magistratui id concedi debere, dum cum imperio sit, nec ei qui consulere quicquam reip.

Præcepta Socratis.

velit, nec viro aut mulieri, quoties liberis operam daturi sint.

IX. *Quid sit intemperantia, quid ἀναισθησία.* Est autem intemperantia, ut constat; nihil aliud, quàm cum modus exceditur in voluptatibus corporis præcipiendis. Græci ἀκολασίαν vocant. Vitium quod in defectu hic peccat rarò occurrit, & ἀναισθησία vocatur, estque cum quis ne licitis quidem voluptatibus fruitur: qua de re pluribus in notis ad Aristot.

CAPVT VII.

De liberalitate magnificentia.

SUMMARIA.

1 *Liberalitatem circa pecunias versari.*
2 *Vsum pecuniæ magis consistere in dando quàm accipiendo. Quomodo det liberalis.*
3 *Dare etiam non rogatum.*
4 *Quis sit prodigus.*
5 *Illiberales plurium esse generum.*
6 *De magnificentia.*
7 *Eam principibus potissimè convenire.*
8 *De luxu.*
9 *De sordibus.*

DVas insignes virtutes, quarum una belli altera pacis tempore reipublicæ inprimis necessaria est, breviter percurrimus: pergamus nunc ad cæteras. Vbi primò se apud Aristote-

stotelem offert liberalitas sive beneficentia. Hæc ut notum est in dandis & accipiendis pecuniis locum habet : ubi tamen per pecunias intellige cuncta illa quorum æstimationem nummus metitur. Opus autem omninò est in vita hominum ejusmodi aliqua virtute, cum nihil facilius sit, quàm ut illis rebus malè quis utatur. Vnde Lycurgus apud Spartanos planè vetuit liberos homines quidquam attingere, quod ad rem pecuniariam pertineret, teste Xenophonte libello de re public. Lacedæmoniorum : imò & Plato interdicit republ. suæ custodibus tàm aurum quàm argentum attingere lib. 3. de republ. in fine. Sed fac ista nimis rigida esse, *ecquis usus est divitiarum & abundantiæ sublatâ beneficentia* ut rectè dicit Arist. 8. ethic. c. 1. Vnde & Boetius, nec minus eleganter, lib. 2. pros. 5. *Omnes divitiæ*, inquit, *effundendo magis quàm coacervando melius nitent & tum est pretiosa pecunia cum translata in alios largiendi usu desinit possideri.*

Lycurgus *Plato.* *Aristotel.*

II. Cæterùm cum usus pecuniæ, & rerum quæ pecunia æstimantur, magis consistat in dando quàm in accipiendo (accipere enim custodientis potius est, quàm utentis.) Liberalitas etiam in erogandis potius quàm accipiendis pecuniis sita erit. Imò erogare virtuti magis proprium est etiam aliàs, quia difficilius & laudabilius, Vnde Artaxerxes Longimanus Rex Persarum dicere solitus est : *Regium magis esse adijcere alicui aliquid quàm adimere* & Ptolemæus Lagius rex Ægypti, *ditem facere quam ditescere*, ut refert Plutarchus

Vsus pecuniæ magis cõsistit in dãdo quã accipiẽdo. *Artaxerxes.* *Ptolemaus Lagi.*

chus in apophthegmatis, Ne nunc dicam quod accipere unde & quod decet; id est, aliena non appetere ad justitiam magis quàm liberalitatem pertineat. Præcipuum ergo munus hominis liberalis est, ut aliis benefaciat, quantum in ipso est. Cui rei illi studet, non ut beneficium recipiat: *liberalitatem enim etsi jucundiorem debitor gratus clariorem tamen ingratus facit*, inquit Plinius minor in panegyrico Trajani num. 46. sed solius honestatis causa, sive quia id pulchrum & homine ingenuo dignum est. Quapropter dat quibus quantum & quando oportet. Nam *ambitio, jactantia, & effusio, & quidvis potius quam liberalitas existimanda est beneficentia, cui ratio non constat*, dicente eodem Plinio num. 38. Dat etiam libenter, citò & sine ulla dubitatione, cum *ingratum sit beneficium, quod diu inter manus dantis hæsit, quodque quis ægrè dimittere visus est, & sic dare, tanquam si sibi prærriperet*, ut ait Seneca libr. 2. de beneficiis cap. 1. Et certè *omnis benignitas properat & proprium est libenter facientis citò facere*, inquit libr. 1. cap. 3. Nec expectat semper, donec rogetur, nedum ut roganti durus sit: *beneficium enim ab homine duro asperè datum panis lapidosus est, quem esurienti accipere necessum est, esse acerbum*, dicebat Fabius Verrucosus. Seneca l. 1. c. 7. Unde & Scriptura Prov. 3. 27. ait; *Ne cohibeto bonum ab eis qui opus habent, quum est in potestate manus tuæ efficere illud. Ne dicito proximo tuo, abi & deinde revertere, cras enim daturus sum.*

Præcipuũ munus liberalis est benefacere.

Dat tamẽ quantum oportet.

Sed libenter & citò

III. Quemadmodum igitur *sol non exspectat preces aut præstigias, ut oriatur, sed statim splendet, & ab omnibus salutatur, sic neque hic applausus, & strepitus & lau-*

III. Interdum etiam non rogatus.

& laudationes expectat ut benefaciat, sed ultrò benemeretur ut æque ac sol ametur, sicuti præcipiebat Epictetus; Quin pauperi, sed paupertatem suam dissimulanti, nonnunquam etiam beneficium obtrudit, sicut Arcesilaus invisens Ctesibium ægrotantem, cum videret illum in egestate esse, clam cervicali crumenam nummis plenam supposuit. Illustrius in vita ejus, Seneca 1. de beneficiis, cap. 10. Verè enim liberalem delectat benefacere, non benefecisse videri. Hic beatus Ambrosius 2. offic cap. 16. *Videndus est ille*, inquit, *qui te non videt, requirendus ille qui erubescit videri: ille etiam clausus in carcere occurrat tibi, ille affectus ægritudine mentem tuam personet qui aures non potest.* Dat præterea plura & præstantiora aliis; quàm sibi relinquit: nec enim tàm se respicit quàm alios. Unde etiam rarò ditissimi sunt; qui liberalissimi. Nec magnitudine tamen & multitudine eorum quæ dantur, liberalitas mensuratur; sed animi habitu ejus qui dat, ut nihil obstet, quin æquè liberalis interdum sit, qui pauca dat, atque is qui plura, modò de paucioribus & facultatibus minoribus det. Largitur autem omnis liberalis de suo, & ideo etiam rem familiarem non negligit, ut sit unde date possit. L. Sylla equidem post devictum C. Marium *tanta profusione usus est erga amicos suos, ut etiam gregarii milites ipsius beneficentiâ regio victu & cultu ætatem agerent.* Sallustius in Catilin. cap. 37. Idem faciebat Iulius Cæsar post devictum Pompejum. Sed hi ea quæ suis dabant aliis eripuerant: quare *non liberalitas hæc erat, sed translatio tantum pecuniarum à justis*

Dat præstantiora quam sibi relinquit.

Se dominia de suo.

iustis dominiis ad alienos, ut rectè notat Cicer. lib. 1. de officijs. Quæ igitur sit natura liberalitatis ex ijs quæ dicta sunt intelligi potest.

VI. Prodigus quis sit.

Peccant hîc excessu prodigi, defectu illiberales sive avari. Prodigus erogat plus quam oportet, & ijs quibus nō oportet, nec eo fine quo debebat. Imò ubi ἀκμὴν venerit eo, ut verbo dicam, animo est quo olim. Nero imperator, qui *divitiarum & pecuniæ fructum non alium putabat* (verba sunt Suetonii in Nerone c. 30.) *quàm profusionem, sordidos ac deparcos esse dicens, quibus ratio impensarum constaret, prælatos vereq; magnificos, qui abuterentur ac perderent: quin laudabat mirabaturque avunculum Cajum nullo magis nomine quàm quod ingentes à Tiberio relictas opes in brevi spatio prodegisset.*

V. Illiberales plurium esse generum.

Illiberales autem non sunt unius generis, alii enim non dant, quantum debent, alii plus quàm oportet accipiunt. Est verò utrumq; vitium pessimum, sed peior tamen, ubi vitæ hominum incubuerit, avaritia: prodigalitas enim in adultis ita familiaris non est, & facilius emendatur, nec cum injustitia tanta conjuncta est, nisi ubi interdum in avaritiam degenerat. At avaritia longè familiarissima est,

-- -- -*& sanctissima divitiarum*
Majestas, etsi funesta pecunia templo
Nondum habitat, nullas nummorū ereximus aras,

Avaritia avertit Rempubl.

ut poeta ait. Eadem incurabilis est postquam semel invaluit, omnem justitiam evertit; ubi enim illa republic. occupavit, & eos, qui ipsi præsunt, ibi necesse est & judicia corrumpi, & omnia tandem venalia fieri, ut maturè etiam

ipsa

ipsa respublic. pereat, si emptorem inveniat, sicut de Roma dixerat Iugurtha, teste Sallustio in Iugurt. Et sanè, ut ait B. Ambrosius sermone 81. *non minus est criminis habenti tollere, quàm tum possis & abundes indigentibus denegare. Esurientium panis est quem tu detines, nudorum indumentum est, quod tu recludis, miserorum redemptio est, & absoluta pecunia quàm tu in terram defodis. Tot ergo te scias invadere, bona quot possis præstare si velis.* Vnde Aristoteles 2. Politic. cap. 5. & 6. tantum momenti in eo situm esse ostendit, animos civium in republic. virtute muniri contra avaritiam, ut magis eo pacto à se ditionibus immunis respublica præstetur quam si vel cum Socrate bona omnia communia facias, vel certus iis modus præscribatur cum Phalea Chalcedonio: *utut enim certum modum possessionum definias, improbitas tamen*, inquit, *hominum insatiabile quid est. Initio quidem etiam binis obolis contenti fore videbantur: cum hoc iam fuerit factum hæreditarium, semper plura desiderant, usque donec in infinitum procedant. Satietas* enim, ut rursus dicit ibidem Ambrosius, *nunquam, nec finis aderit cupiditati. Nam interdum pueris gulæ nimium deditis indulgemus, desideratos cibos avidiùs sumere, ut nimietate ipsa satiari horrescant & avertant se de reliquo ab hujuscemodi cupiditate. Avaritia tamen nihil tale patitur, sed quantò plus invenerit tanto amplius quærit.* Unde præclarè ait Marius apud Sallustium in Iugurtha, *omnibus bonis oportere plus gloriæ quàm divitiarum esse*, & Cicero 1. de ll. *ut quisque*, inquit, *maxime ad suum commodum refert quæcunque agit, ita minime est vir bonus.* Et tantum de Liberalitate.

Ambros.

Aristotel.

Libe-

VI. Demagnificentia. Liberalitatem excipit Magnificentia: nec enim multum hæ duæ virtutes inter se distant. Tantum hoc discriminis est, quod liberalitas de mediocribus opibus privatim, Magnificentia de magnis publicè potissimum benefaciat. Et est magnificus, qui sumptum magnum concinnè & decorè facit in res illas: quæ magno sumptu indigent. Res autem hujusmodi sunt primò exstructiones & reparationes templorum & publicorum ædificiorum. Ita Augustus imperator urbem Romam *usque adeò totâ vitâ suâ ornârat & inundationibus ac incendiis obnoxiam excoluerat, ut gloriaretur marmoream se relinquere quam lateritiam accepisset.* Suet on. in Augusto cap. 28. Sextus Aurelius Victor in epitome. Deinde talia sunt, quæ aliàs usus publicus requirit, putâ cum paupertas hominum tenuioris fortunæ sublevatur; aut subsidia annonæ comparantur, vel cum olim universo populo epulæ darentur, Indi exhiberentur, aut pecuniæ viritim dividerentur. Ita Cimonem Atheniensem Miltiadis filium *semper pedissequi cum nummis sequebantur, ut si quis opis ejus indigeret, haberet quod statim daret, ne differendo videretur negare. Hic sæpè cum aliquem offensum fortunâ videret minus bene vestitum, suum amiculum dedit, & quotidie sic cœna ei coquebatur, ut quos non vocatos vidisset in foro, omnes devoraret, quod facere nullum diem prætermittebat. Idem multos locupletabat, complures pauperes mortuos, qui unde efferrentur non reliquissent, suo sumptu efferebat.* Æmilius Probus in vita ejus. Nec alius erat Gillias ille Agrigentinus,

Aug. — Aug. — Cimon Atheniensis.

cujus

cujus domus quædam, quasi munificentiæ officina erat de quo legatur Valerius Maximus libr. 4.cap.8.

Hæc est magnificentia, virtus principibus & magnatibus cum primis digna:ideò enim hi cum imperio sunt,& inter mortales eminent,ut multis benefaciant,sicut Aristoteles ad Alexandrum Magnum scripsit. Vnde etiam Alexander *gloriari solebat à nullo se beneficiis victum*.Sen.5.de beneficiis cap.6.Et Titus imperator sibi persuaserat,non oportere quenquam à sermone principis tristem discedere, idque adeò penitus animo infixerat, ut *cum aliquando in cœna recordaretur, quod nihil cuiquam toto illo die præstitisset, in vocem eam erumperet, diem se perdidisse*,Sueton.in ejus vit.c. 8. Eodem animo Cyrum regem Persarum fuisse passim in libb.de ejus prædeja tradit Xenophon. Et hinc etiam Bocchus rex Maurorum ad Syllam ajebat, *regem armis quàm munificentia vinci minus flagitiosum esse*.Sallust.Iugurthâ. VII. *Magnificentia Principibus potissimum convenit.*

Vitia magnificentiæ opposita sunt luxus & sordities.Luxus est cum modus in sumptus faciendos exceditur; idque tum fit quando in res parvas aut nullius etiam momenti profusiones fiunt,opum tantum obstentâdarum gratiâ. Qua in re sæpè ad insaniam usq; peccatur & peccatum fuit maximè olim à Rom.Imperatoribus. Cajus enim Caligula *in histriones,equos, gladiatores & res similes,non toto vertente anno, omne istud quod moriens in thesauris reliquerat Tiberius, sive ad vicies septies millies H.S*.id est, ineunte rationes Lipsio, ultra sexaginta sex milliones & quinquaginta millia VIII. *Luxus.* *Caligula.*

Philippicorum, ut tradit Sueton. in vit. ejus c. 37. vel ut vult Dio Cassius lib. 59. *ad ter & tricies millies*, id est, octaginta milliones, *absumpsit*. Nero qui ut supra diximus, nihil magis quam hoc ipsum in Cajo avunculo suo admirabatur, non tantum *mirmillionem triumphalium virorum patrimoniis edibusq; ornabat* teste Suet. in Nero. c. 30. *sed uni etiam militi prætoriano dari aliquando iusserat centies* H. S. id est, ducenta quinquaginta millia Philippicûm, *cumque mater Agrippina eam pecuniam uno loco coacervasset de industriâ, ut ipsum intuentem summam, tantæ pecuniæ pœniteret, interrogabat quantum illic jaceret, & cognita summa eam duplicari jussit: non enim putavi*, inquiebat, *me tamen exiguum munus dedisse.* Dio libr. 61. Idem hic aurato reti piscabatur purpura coccoque funibus nexis & nunquam carucis minus mille iter faciebat, soleas mularum argenteas, muliones canusiatos habebat. Heliogabalus nunquam minus centies H. S. cænavit, aliquando etiam millies H. S. id est, duobus millionibus & dimidio, etiam meretricem centies H. S. redemit, imô ne quid insaniæ deesset in Euripis vino plenis navales Circenses exhibuit, Lamprid. in Heliogab. Hæc & similia exempla passim occurrunt in Suetonio, Dione & sex illis, ut vulgo vocantur, historiæ Augustæ scriptoribus.

Nero. *Heliogabalus.*

IX. Sordes. Sordities est cum in defectu hic peccatur, quod fit cum in res magnas minutus sumptus impenditur, vel etiā inde lucrum percipitur unde turpe est percipere, quo nomine malè audit Flavius Vespasianus Imperator, cū non tantùm nova &

gravia tributa provinciis adderet, sed negotiationes etiam privato pudendas propalam exercere, Sveton. in vit. ejus c. 16. & 23. Deterior adhuc Vespasiano fuit princeps ille Gallicus à quo cum quidā XX. aureos peteret in dotem filiæ, quam elocare ipse non poterat, & denegarentur, commendatitias ad vicinium Regem impetraret: cū autem literas illas offerret Principi obsignandas, is qui dictarat, unde papyrū deprompsisset, quærebat. Respondet hic, ex principis armario. Tum Princeps: *Siccine, ait, me expilatis omnibus. Si ita bona nostra prodigemus ad mendicitatem brevi redigemur. Malè hunc diem impendimus*, ut narrat Æneus Sylvius comm. in Panorm. de dict. Alphonsi lib. 2. c. 16.

CAPVT VIII.

De magnanimitate modestia.

SUMMARIA.

1 *Virtutes quæ circa honorem versantur.*
2 *Quod arduum sit verè esse magnanimum.*
3 *Quomodo is se gerat in secūnda & adversā fortuna.*
4 *Quomodo erga alios.*
5 *Nihil dissimulare.*
6 *Non temere alios laudare nec vituperare.*
7 *De elato & pusillanimi, item de modestia.*

I. *Virtutes quæ circa honorem versantur.* VIRTUTES quæ rectè uti pecuniâ & ijs quæ pecuniæ æstimari possunt, docent, explicavimus, sequuntur quæ circa honorem versantur. Hæ sunt magnanimitas & modestia. Sed de magnanimitate prius. Magnanimus est, vel nomen indicat, qui magna affectat sive magnis gaudet. Majus verò inter bona externa nihil est honore, tum quod ille Deo ipsi tribuitur, tum quod præmium hoc præcipuum est, quod optimè & præclarissimè meritis in republ. decerni solet. Magnanimus itaque is dicitur qui magna consequi & magnis dignus is dicitur qui magna consequi *Quis sit magnanimus.* & magnis dignum se præstare studet. Dico qui magna consequi & magnis dignus esse studet. quod si enim posterius illud absit, vanitas tantum & animi elatio est. Causa est quod magnanimus, etsi ad magna adspirat, in ipsis tamen illis modum non excedit, nec majora expetit, quàm quæ ipsum decent, ut magnitudine ipsa rerum quas gerit summus quidem sit, sed eo, quod ita ut oportet de meritis suis judicat, medius, sicut *Adest ei quidquid in unaquaque virtute eximium est.* dicit Philosophus. Vnde omnem magnanimum necesse est non tantum virum bonum esse, sed ei adesse etiam quicquid in unaquaq; virtute eximium est: nec enim animi magnitudo patitur ut quis vel turpiter è prælio fugiat vel intemperans & injustus sit, cum ea contemnat magnus animus quæ ad fugam, injurias & libidines homines pertrahunt. Et ut verbo dicam, sicut magnitudo animi quodam quasi concursu omnium optimarum & honestissimarum rerum constat: magno enim honore dignum se nemo alter

eti-

efficere poteſt : ita etiam magnanimitas ornamentum cæterarum virtutum eſt, omneſque illas ſplendidiores reddit & ampliores : Quare & arduum comprimis eſt vere magni animi eſſe.

Sed quis ſit character viri magnanimi porrò oſtendamus : inde etiam quid ſit ipſa magnanimitas facilè deprehendetur. Magnis itaq; , ut diximus, honoribus ille gaudet: ſed ſi ij à viris optimis & præſtantiſſimis deferantur qui æſtimare virtutem poſſunt: iſtis enim ſe & ſua probari cupit. Minutos autem, vel à quibuſvis hominibus ob res paruas delatos negligit : quemadmodum Alexander Magnus edixiſſe traditur, *ne quis ipſum alius quàm Apelles pingeret , quàm Pyrgoteles ſculperet, quàm Lyſippus ex ære duceret*, teſte Plin. lib. 7. cap. 37. & Cicer. libr. 1. epiſt. 18. ita omnis magnanimus laudari ſe lætatur, ſed ut Hector apud Nævium, *à laudato viro*. Vnde Ageſilaus Rex Lacedæmoniorum, *quoties laudantes, aut vituperantes audiret*, cenſebat, *non minus dicentium mores cognoſcendos eſſe, quã eorum de quibus dicerent*. Plutarch. in Apophth. Lacon. Et Auguſtus Imperator etſi ingenia ſeculi ſui omnibus modis fovebat, *& recitantes etiam benignè & patienter ipſe audiebat, nec carmina tantum & hiſtorias ſed & orationes & dialogos; componi tamen de ſe aliquid, niſi ſeriò & à præſtantiſſimis, offendebatur*, Sueton. in Auguſt. cap. 89. *Eſtque profectò magna dementia , ſi quem clamores imperitorum hilarem ex auditorio dimittunt, aut ſi lateris, quod hominib. iis laudaris, quos ipſe ſæpe laudare non potes, ut* inquit Senec. ep. 57.

II. Arduum eſt vere magnanimum eſſe.

Laudari cupit ſed à laudato viro.

Quomodo se erga calumnias gerat. epist. 56. Sic ergò honores accipit magnanimus. Calumnias verò, obtrectationes, invidiam & infamiam ipsam denique contemnit, quia ijs superiorem esse se novit. Ita Scipio major *cum à*

Scipio Africanus. *Petiliis & Nævio tribunis plebis repetundarum postularetur, ipsum librum rationum, quo tutari se poterat, in conspectu populi scidit, hac die, inquiens, Carthaginem vici: bonum factum, in Capitolium eamus & Diis supplicemus.* Sext. Aurel. in Scipione. Ita & Marius apud Sallust. in Iugurtha dicebat: *Me quidem ex animi sententia nulla oratio lædere potest, quippe vera necesse est benè prædicet, falsam vita moresque mei superant.* Imò suaviter ridere talia magnanimus potest & sicut Neronis tempore faciebat Agrippinus vir præstantissimus, cùm malè audit, etiam laudationem infamiæ conscribere. Vid. Epictet. in sententijs.

III.

Quomodo se gerat in secunda & adversa, fortuna. Idem in divitiis, principatu, & omni tam bona quàm adversa fortuna rectè se gerit, ut nec rebus secundis efferatur, nec frangantur adversis. Et quanquam magnum momentum ad magnanimitatem habet summo loco natum & opulentum esse: tamen ut nec honorem, cui alias studet, maximum bonum statuit, ita multò minus cætera fortunæ bona eo loco habet. Pericula parva non subit, nec in universum ulli leviter se objicit, quia pauca virtute sua digna putat. Quod si autem periculum adit, magnum adit, & tum nec vitæ parcit. Beneficium non libenter accipit, sed libentissimè in alios confert:

Beneficiũ libentius confert quàm accipit. illud enim inferioris est, hoc virtute superioris. Remuneratur etiam si quid beneficij acceperit multò

multò pluribus, & ita ut qui beneficium præstiterit, non tantum redhostimentum habeat, sed ipse jam ei debere incipiat. Quapropter & meminit eorum libentius, quibus ipse benefecit, quam à quibus beneficium accepit. Ægrè etiam alios quidquam rogat, aut prensat honorem, sed id magis operam dat, ut tanta virtute excellat, ut ultrò honor ipsi deferatur. Ita cum Appius Claudius censoriam dignitatem contra Scipionem minorem prensaret, & diceret, omnes Romanos nominatim à se salutari, cum ipse penè omnes non nosset, respondit Scipio: *Verum dicis, mihi enim curæ fuit non tam multos nosse, quàm ne à nemine ipse ignoraret.* Plutarch. in apoph. *Scipio minor.*

IV. *Quomodo se erga alios gerat*

Porrò erga magnos magnum se præbet, erga inferiores moderatum: inter illos enim dignitatem suàm accuratè tueri debet, inter hos id ineptum fuerit. Nec gerit nisi quod præclarum cum primis est: quare & cunctatur, neque enim omnem occasionem apprehendit se ostendendi, sed pulcerrimam expectat. In amore & odio apertus est; metuere enim videtur qui hæc dissimulat. Sic Iulius Cæsar, etiam cum captus esset à piratis, continere se non potuit, quin saltem per jocum & dum luderet cum illis, minaretur eis crucem, Plutarch. in vit. ejus. Ita Alexander M. *cum ad Gaugamela ei amici auctores essent, ut noctu Darium adoriretur, & magnam hostium multitudinem, quæ suis terrorem incutere de die posset, tenebris absconderet, noluit id facere, sed respondit: Non soleo furari victoriam.* Plutarch. in Alexandro. Eodem *Cũctator est & apertus.*

Fur. Camillus. Fabricius animo fuere Furius Camillus & Fabricius, quorum ille cum obsideret Faliscos ludimagistrum urbis proditorem, hic in bello Tarentino medicum Pyrrhi, sive, ut alii volunt, literas medici caput regis venale offerentes, regi ultrò remisit, Flor. libro 1. cap. 11. Cicer. 3. off. Plutarchus in apophtheg. Frontinus 4. strateg. cap. 4 Parem virtutem fuisse accepimus Iohannis Patris Caroli IV. Imperatoris: cum enim longa & difficilis ei contentio esset cum Henrico Carinthiæ Duce de regno Bohemiæ, & clanculum Ioanni se offerret, qui Henricum se veneno occisurum promitteret, respondit: *Si me nescio Henricum inter emisses atq; ad me venisses, crux tibi futura erat præmium, qui regio sanguine manus commaculasset, & tu me modo auctorem tanti sceleris facis?* Æn. Sylvius in Panor. libr. 3. cap. 23.

V. Nihil dissimulat. Veritas insuper potius rationem habet quàm ut curet quæ sit hominum de se opinio: nec dissimulat in universum quidquam, nisi ubi ad populum id opus est. Non potest vivere ad alterius arbitrium, nisi ille amicus fuerit; nec admiratur facilè quæ videt: nihil enim magnum ipsi est. Sed nec facilè meminit injuriarum; *Contemnit injurias.* quin eas despicit ac pro nihilo habet. *Qui enim citò injuria movetur facit se dignum videri contumeliâ, dum vult eâ indignus probari. Melior est itaque qui contemnit injuriam quàm qui dolet: qui enim contemnit, quasi non sentiat, ita despicit, qui autem dolet quasi senserit, torquetur,* inquit B. Ambrosius 1. officior. cap. 6.

Corpo-

Corpora magnanimo ſatis eſt proſtraſſe leoni,
Pugna ſuum finem cum cadit hoſtis habet:
At lupus & triſtes inſtant morientibus urſi
Et quæcunque minor nobilitate fera eſt.

Unde Marcus Livius fuſo Haſdrubale hortantibus eum quibuſdam, ut hoſtem ad internecionem perſequeretur, reſpondit: *aliqui ſuperſint qui de victoria hoſtibus nuncient.* Hoc etiam Plinius in Julio Cæſare admiratur: *Magnanimitatis,* inquit, *perhibuit exemplum, cui comparari non poſſit aliud: ſpectacula enim edita effuſaſq; opes aut operum magnificentiam in hac parte enumerare, luxuriæ faventis eſt. Illa fuit vera & incomparabilis invicti animi ſublimitas, captis apud Pharſaliam Pompeij Magni ſcribiis epiſtolarum, iterumq; apud Thapſum Scipionis, ea optima concremaſſe fide atq; non legiſſe.* Unde Plin. lib. 7. c. 25. Idem fecerat antea Pompejus in Hiſpania debellato Sertorio. Plutarch. in apoph. *M. Livius.* *Plinius.* *Julius Cæſar.* *Pompeius*

Cæterum qui magni animi eſt non laudat quoq; temere quenquam, & nemini facilè maledicit: quin in univerſum non loquitur multa vel de ſeipſo vel de aliis, præſertim humilibus: nec enim curat ut ipſe ab obvio quovis laudetur, nec vituperentur alii. Motus ſedatos habet, vocem gravem & tardam. Idem non eſt querulus, magnus enim animus adverſa omnia ſuperat. Poſtremò pulcra mavult poſſidere quàm fructuoſa in quibus ſplendor tantus non eſt. Hujuſmodi ergò eſt magnanimus. *VI. Non temere laudat alios nec vituperet.*

Peccat hic in exceſſu qui eo honore dignum ſe reputat, quo dignus nō eſt, ſive ad magna & ſumma enititur ijs mediis quib. ad illa nō pervenitur. *VII. Elatus.*

Græci talem vocāt σχῦνον, Latinè inflatus aut ela-tus dicitur: nam quod Agyrophylus lentum vo-cat nimis absurdum est. In defectu peccat Pusil-lanimis sive qui omissi & abjecti animi est nec quicquam suscipit quod præclarū sit: vitio enim merito vertitur, si quis ita honorem contemnat, ut negligat etiam actiones virtutis quib. honorē consequimur. Quod si tamē hoc non fiat, id est, agat quis omnia quæ maximo honore digna sunt, & tum enim nihilominus contemnat, jam non vitium est contemptus ille honoris, sed he-roica quædam modestia, quam Theolog. Humi-litatem vocant. Tandū de magnanimitate. Mo-destia est quæ circa mediocres honores versa-tur, & tantum à magnanimitate distat quantum liberalitas à magnificentia. Quare modestus ille vocatur, qui in mediocrib. honoribus sic se ge-rit ut decet & honestum est. Extrema hæc sunt, in excessu ambitio, in defectu ἀφιλοτιμία.

Pusillanimus. *Humilitas.* *Modestia.*

CAPVT IX.

De mansuetudine & humanitate.

SVMMARIA.

1 *Opus esse virtute quæ iram compescat.*
2 *Quid sit mansuetudo.*
3 *Eam alias clementiam ac misericordiam vocari, & Stoicorum error misericordiam in vitio ponētium.*
4 *Quatuor classes eorum qui nimium irascuntur.*

5 De

5 *De humanitate.*

6 *De adulatoribus & quid sit adulatio, item de morosis.* I.

VIRTUTES quæ fidere in bello & voluptatibus corporis modum ponere, quæque in re pecuniaria & honorib. capessendis rectè omnia gerere nos docēt, explicatæ sunt: pergimus ad eā quæ iræ moderatur, & illas in universum omnes, quarum in convictu & congressionibus usus est, nullum autem dubium est comprimis opus esse virtute aliquâ, quæ iram compescat; nec enim affectus alias facilè est nobis familiarior, aut qui majores plerumq; turbas det. *Nullam hic transit ætatem*, inquit Senec. l. 3. de irac. 2. *Nullum hominum genus excipit. Quædam gentes beneficio egestatis non novere luxuriam, quædam quia exercitæ & vagæ sunt, effugere pigritiam: quib. incultus mos agrestis vita est, circumscriptio ignota est, & fraus & quodcunq; in foro malum nascitur. Nulla gens est quam non ira instiget, tam inter Græcos quàm Barbaros potens, non minus perniciosa leges metuentibus, quàm quib. jura distinguit modus virium, Deniq; cæteros singula corripiunt, hic unus affectus est qui interdum publicè concipitur. Nunquam universus populus unius fœminæ amore flagravit, nec in pecuniam aut lucrū tota civitas spem suam misit: ambitio viritim singulos occupat: impotentia non est malum publicum. Sæpe in iram uno agmine itū est: viri fœminæ, senes pueri, principes vulgusq; consensêre, & tota multitudo paucissimis verbis concitata ipsum concitatorem antecessit: Ad arma protinus ignesque discursum est & indicta finitimis bella aut gesta cum civibus, &c.* Plura enim illic ipse vide.

Opus esse virtute quæ iram compescat.

Seneca.

Iræ Thyesten exitio gravi
Stravere, & altis urbibus ultimæ.

Ste-

Stetere causa cur perirent
Funditus, imprimeretque muris
Hostile aratrum exercitus insolens.

ait Poeta. Vnde etiam Stoici etsi omnes affectus malos esse statuunt, maximè tamen iram aversantur, *cætera enim vitia*, inquit idem Seneca, loco citato capite. 1. *impellunt animos, ira præcipitat.*

II. *Quid sit mansuetudo.* Cæterum virtus, quæ huic malo medetur, mansuetudo est sive lenitas. Mansuetum autem illum dicimus qui irascitur quidem sed super ijs rebus, super quibus irasci debet, & ijs quibus ac tàm diu quàm diu irascendum est. Quo animo erat Paulus Macedonicus erga Persem *Paulus Macedon.* regem Macedonum ultimum, in bello Macedonico secundo, eum à se devictum, sibique supplicem ita tractaret, *ut nemo ipso reverentior esset captæ majestatis, quin & liberos eâ occasione de inconstantia fortunæ diligenter admoneret.* Nec minor virtus fuit Syllæ in bello Mithridatico, cum *Athenienses, quos subegerat, hominum, ut ipse dicebat, ingratissimos, in honorem mortuorum sacris suis fama que donaret.* Flor. libr. 2. cap. 11. & lib. 3. cap. 5. Nec militares tantùm homines eâ re insignes nonnunquam fuere, sed maximè quotquot verè doctos *Archytas Tarentin.* fuisse accepimus. Sic Archytam Tarentinum ferunt ad villicum suum dixisse: *O te infelicem, quam te afflictarem, nisi iratus essem*, ut ait D. Ambrosius 1. offic. cap. 21. Similiter Plato, *cum baculum levasset* *Plato.* *coram puero, diu stetit, & iram se domare dicebat*, ut refert Plutarch. libro de sera Dei vindicta. Vnde Socra-

Socrates narrante eodem ajebat: *Minus esse malum, si quis incidens in aquam turbidam præ incontinentia non expectet donec pura reddatur, sed statim bibat, quàm si ira & furore perturbatus, pœnam ab homine sumere non differat, donec animus subsistat, & purus denuò fiat, cum homo cognata cuique natura sit.* Et scriptura Proverbiorum XVI. 32. dicit, *meliorem esse patientem viro forti, & eum qui dominatur animo suo, expugnatore urbium.* Κρείσσων, inquit, *ἀνὴρ μακρόθυμος ἰσχυροῦ, ὁ δὲ κρατῶν ὀργῆς καταλαμβανομένου πόλιν.* *Socrates.* *Prov. 16.*

Porrò mansuetudo aliàs clementia & misericordia vocatur. Stoici tamen etsi clementiam magnifaciunt, misericordiam tamen in vitio collocant. Caussas has reddit Seneca libro secundo de clement. capite quinto. Primò, quòd misereri sit animo ad speciem alienorum malorum succidere. Deinde quia misericordia sit animi ægritudo aut tristitia, cum ægritudo in virum sapientem non cadat. Tertiò quod vicina sit miseriæ, & habeat aliquid trahatque ex eâ. Sed hæc controversia tantum est de voce, ut quum iidem veniam dandam censent, sed nemini ignoscendum, quod ignoscere sit eum non punire qui jure puniendus esset. Nec ipse Seneca id diffitetur. Et vero quamvis vox misericordiæ dicatur à miseria, non tamen appellatur ita à miseria aut ægritudine ejus qui miseretur, sed illius erga quem misericors est, ut ludicra & tantis viris indigna in voce captiuncula esse videatur. Vnde rectè eos refutat Beatus Augustinus libro de *III. Mansuetudo alias clementia & misericordia dicitur. Stoici misericordiam in vitio ponunt. Refutantur à B. Augustin.*

de moribus Ecclesiæ Catholicæ, capite vigesimo septimo. *Illa omnia, quibus hujuſcemodi malis incommodiſue reſiſtitur, qui officiosè atque humaniter præbent, miſericordes vocantur, etiamſi ſapientes uſque adeò ſint, ut jam nullo animi dolore turbentur: nam quis ignoret ex eo appellatam eſſe miſericordiam, quod miſerum cor faciat condolentis alieno malo? Et quis non concedat ab omni miſeria liberum eſſe debere ſapientem cum ſubvenit inopi, cũ eſurienti cibum præſtat, potumque ſitienti, cum veſtit nudum, cum peregrinum tecto recipit, cum oppreſſum liberat, cum denique humanitatem ſuam uſque ad ſepulturam porrigit mortuorum, etiamſi id faciat mente tranquilla, nullis aculeis doloris inſtinctus, ſed adductus officio bonitatis. Miſericors tamen vocandus eſt: huic enim nihil obeſt nomen, cum abſit miſeria. Stulti vero, cum miſericordiam quaſi vitium devitant, quia officio ſatis moveri nequeunt, ſi nec perturbatione commoventur, congelaſcunt potius rigore inhumanitatis, quã rationis tranquillitate ſerenantur.* Hæc Auguſt. & tale quid eſt manſuetudo ſive clementia.

IV. Quatuor claſſes eorum qui hic in exceſſu peccant.

Peccant hic in exceſſu, quicunque iraſcuntur vel quibus non decet, & ob quas cauſſas non decet, vel qui plus quàm decet & longiori tempore. Ariſtoteles quatuor eorum claſſes facit: alios enim dicit iracundos eſſe; alios planè cerebroſos, alios item amaros, alios, & deniquè ſævos & crudeles. Iracundi & cerebroſi ſunt qui facilè & celeriter iraſcuntur, ſed cito tamen finem faciunt: at amari ſævi, qui iram ſemel conceptam retinent, nec concoquunt facilè aut deponunt antequam ulti pro lubitu injuriam fuerint.

Quo-

Quorum posteriores hi illis longè deteriores sunt. Vnde apud Sen. nutrix Medeam hortatur, ut iram contra Iasonem tegat: ita enim rectius ipsam eum ulcisci posse:

Sile inquit, obsecro, quæstusq; secreto abditos
Manda dolori: gravia quisquis vulnera
Patiente & æquo immotus animo pertulit,
Referre potuit. Ira quæ tegitur nocet.
Professa produnt adit in dicta locum.

Senec. Medea act. 2. v. 20. 130.

Iracundi, sive potius hominis admodum cerebrosi exemplum insigne est in Alex. Magn. Hic cum Clytum præcipuum inter amicos videret sibi non assentari, ut cæteros purpuratos, & fiducia amicitiæ regiæ cujus palmam tenebat, memoriam Philippi patris sui tueri, ejusq; res gestas laudare, adeò excanduit, ut telo à satellite rapto, eum in convivio trucidaret. Etsi autem in principio cæde illa exultabat, statim tamē postquam animus ab excandescentia conquievit, ita ipsum pœnituit, ut sibi etiam manus inferre voluerit. Iustin. lib. 12. c. 6. Crudelitatis exempla passim occurrunt. In defectu hic peccant qui ita nunquam irascuntur, ut injuriam nullā propulsent, sed se suosque ultrò ludibrio haberi patiantur. Hoc vitium quia rarum est, nomine caret, & aliàs multò tolerabilius est, quàm iracundia aut sævitia. Tantum de Mansuetudine. *Alexand. Magn.*

Huic affinis est Humanitas, quæ sic vivere cum aliis docet, ut ijs consuetudo tua non molesta sed jucunda sit, & ut facias quæ grata aliis sunt, sed ita tamen ut nec dissimules rursum *V. Humanitas.*

tibi displicere, si quid turpe committant, aut id quod magno malo ipsis fore putes, imò ut modestè interdum etiam eos reprehendas. Habet item affinitatem cum amicitia: ita enim vivere; ut diximus, amicorum esse videtur. Sed id interest, quod humanus ita se gerit tã erga ignotos, quàm erga notos, amicus erga notos & amicos tantum, idque ex amore & affectu peculiari quo illos prosequitur. Observat autem qui humanus est id præcipuè, qua conditione sit ille qui cum vivit: aliter enim se gerere debet erga superiorem, aliter erga æqualem, & aliter denique erga inferiorem.

IV. Peccant hic in excessu qui nimis obsequentes sunt aliis, neminique in ulla re adversantur. Atque hi in duplici sunt differentia; alii enim id faciunt solo placendi studio qui Græcè ἄρεσκοι dicuntur, alii ut utilitatem inde capiant. Prioris generis pauciores sunt, ad posterius omnis assentatorum & adulatorum natio pertinet, quorum egregium characterem habes non tantum passim in Comicis, sed etiam apud Theophrastum & apud Iuvenalem satyr. 3. *Laudat*, inquit, de adulatore.

Ἄρεσκοι.

Sermonem indocti, faciem deformis amici,
Et longum invalidi collum cervicibus æquat
Herculis, Antæum procul à tellure tenentis;
Miratur vocem angustam, quod deterius nec
Ille sonat, quo mordetur gallina marito.

Adulatio sub amicitiæ specie latet.

Et sanè vitium est quod facilè sub specie honesta tegi potest. Unde Seneca ep. 45. *Adulatio*, inquit, *quàm similis est amicitia? non imitatur tantum illam,*

illam, sed vincit & præterit, apertis & propitiis auribus recipitur, & in præcordia ima descendit, eò ipso gratiosa quo lædit. Hæc Seneca. Imò quam similis est ipsi virtuti interdum! Messala Valerius cum initio principatus Tiberii in senatu præsente Tiberio censuisset, renovandum per annos sacramentum in nomen Tiberii, interrogatus à Tiberio, num se mandante eam sententiam prompsisset; sponte dixisse, respondit: *neque in iis quæ ad rempubl. pertinerent consilio nisi suo usurum, vel cum periculo offensionis*, ut refert Tacit. lib. 1. annal. Sic multi etiam quum offendere videntur pejus adulantur: *sunt enim qui adulationi libertatem veluti sub austerum condimentum admiscent, quo protervæ loquacitati tædium & sanitatem dimoveant, idq; consequantur ut assentientes & concedētes quoties de re gravi sermo inciderit, non gratiam captare, sed prudentia inferiores videantur*, sicut. Plutarchus dicit evenisse ab adulatoribus suis M. Antonio. Plutarch. in Anton. Nihil homine ingenuo indignius. Sed & valde noxium est hoc vitium tum privatim, tum maximè in Republ. & aulis principum: *regum enim opes sæpiùs assentatio quam hostis evertit*, ut ait Curtius lib. 8. Vnde Gordianus jun. Imperator ap. Capitolinum confitetur, *miserum esse imperatorem, apud quem vera reticentur.*

In defectu hîc peccant morosi & contentiosi, qui in re omni aliis adversantur & parum pensi habent si eos, quibuscum vivunt, etiam ob rem non magni momenti, gravissimè interdum offendant. *VII. Morosi.*

CAPVT X.

De veritate & urbanitate.

SUMMARIA.

1 *Veritas seu candor.*
2 *Ex mendacio disci potest quid sit veritas, & quid sit mendacium.*
3 *Omne mendacium peccatum esse.*
4 *Mendacium triplex.*
5 *Aliud mentiri, aliud veritatem celare.*
6 *Cautela, & objectionum aliquot solutio.*
7 *Vitia veritati opposita.*
8 *Vrbanitas & vitia ei opposita.*

1. *Veritas seu Candor.* VEritas sive candor est virtus, quæ mendaciũ & simulationem vitare docet, nemo enim cum aliis rectè vivere, imò nec honestus esse potest, nisi nõ id tantum operam det, ut ijs voluptati potius, quam oneri sit, quod munus humanitatis est, sed etiam ut veritatem colat in rẽ omni, verbis pariter & factis. *Veritatis vox ambigua.* Vbi principio observetur vocem veritatis communiter accipi pro re quæ est vera, & hoc sensu huc non pertinet. Deinde vocatur veritas etiam quum quis dicit verum, eaq; alias solet veracitas appellari, ut notat Thom. 2. 2. quæst. 109. art. 1. Et hoc sensu veritas virtus est. *Verum dici potest in multis rebus.* Sed cum verũ dicere quis possit in multis, primò dũ vera docet, deinde dum in judicio verũ testimo-

monium perhibet, & tertiò si quis etiam extra judicium tota vita se talem demonstret, qualis est, nec aliud dicat, aliud sentiat, mendacium ac simulationem per se oderit, & veritatem ac candorem diligat, id præterea sciendum est, de veritate doctrinæ hic non agi quia, ad virtutes intellectivas magis pertinet, quàm ad morales. At nec de veritate illa altera, quã justitiæ vocat Thomas: pars enim justitiæ est. Vnde ipse Philosophus 4. eth. 7. t. 105. *non de illo dicimus*, inquit, *qui in stipulationibus verum dicit, & in iis quæ ad justitiam & injustitiã pertinent. (hæc enim ad aliam accommodantur virtutem) sed de eo qui in quib. hoc nihil refert, & in verbis & in vita ex eo verà dicit, quià habitu talis est. Atq; talis æquus & bonus esse videbitur. Quinamq; verum amat, & in quibus nihil refert, verà dicit, is multo magis vera dicet in quibus refert: ut turpe enim, mendacium fugiet, quod & per se fugiebat. Talis verò laudabilis est.* Sola itaque tertia acceptio huc pertinet. Et sanè non tantum virtutis est in contractibus, & ibi, ubi ideo verum dicendum est, ut alteri suum tribuas, veritati studere, sed ibi etiam ubi sine alterius noxa mentiri poteras: *per se enim mendacium improbum est & vituperabile, verum autem probum ac laudabile*, ut iterum præclarè ad modnm scribit Arist. t. 104. Et Th. loc. cit. art. 3. in corp. dicit, hominem homini ad veritatis manifestationem obstringi, *non tantum ex debito legali sed etiam morali, seu non solum propter justitiam sed & propter honestatem.* Hoc igitur hujus virtutis munus est, eaq; ut cũ Poeta loquar, id docet

De veritate justitia hic non agi.

De qua veritate hic agatur.

Claudiã. Stili 2.

--nullo livescere fuco,
Nunquam falsa loqui, nunquam promissa morari,

invisos odisse palam, non virus in alto
Condere, non lætam speciem prætendere fraudi,
Sed certum mentique parem componere vultum,
Occultè sævire vetat, prodesse remittit.

11. *Ex mendacio disci potest quid sit veritas* Cæterum quid sit veritas, ex mendacio, ejus opposito, quàm rectissimè intelligetur. Est autem mendacium nihil aliud quam *falsa significatio vocum cum intentione fallendi*, ut dicit Ius Canon. 22. quæst. 2. ille ergo. Intelligitur autem per vocem omne signum seu nutus ille sit, seu scriptura, seu factum, seu vox & sermo denique. Dicitur esse falsa significatio, sed additur cum intentione fallendi: nec enim statim qui falsum dicit mẽdacio se obstringit, quia fieri potest ut dicat quod res non est, sed inscius & sine animo falsa proferendi. *Quid sit mendacium.* Nec tum est mendacium nisi materialiter tantum, cum mendacium formaliter tum sit, si quis contrà quàm novit rem se habere enunciat, atq; adeò voluntatem falsa dicendi habet. Imò usque adeò voluntas requiritur ad mendacium, ut etjamsi quis vera dicat, sed inscius & animo fallendi, mentiri censeatur, sicut etiam alias qui animo occidendi quenquam verberat, occidisse censetur, licet revera vitam ei non ademerit. Causa est, quod formalis ratio actionis moralis ab electione & voluntate dependeat, ut suo loco ostẽsum fuit quidquid ergo actui competit prout voluntarius est, per se ei inest, quod sine voluntate, per accidens. Vnde & id porrò intelligitur, mẽtiri esse dicere falsum, sed assertivè, non recitativè aut repræsentativè: quod si n. quis illud quod falsum

est

est dicat sciens, & volens, sed ita tantùm ut alterius verba recitet, vel sub aliena persona id faciat & facere se ostendat, tum ut animum fallendi non habet, nec tam ipse sic rē se habere dicit, quā id alios dicere significat, ita nec mentitur, licet ea asserat quæ falsa sunt.

Nullum autem dubium est quin mendacium omne peccatum sit. Causa est, quia, ut ait B. August. enchirid. cap. 22. *homo debet loqui quod animo gerit. Omnis autem qui mentitur, contra id quod animo sentit, loquitur. Et utique verba propterea sunt instituta non per quæ se invicem homines fallant, sed per quæ in alterius notitiam cogitationes suas proferant. Verbis igitur uti ad fallaciam, non ad quod instituta sunt, peccatum est.* Idcirco non tantum Aristotel. supra dicebat mendacium per se improbum & vituperabile esse sed etiam scriptura sacra passim illud detestatur: unde & Psalm. 5. dicitur: *Perdes omnes qui loquuntur mendacium.* Et B. August. toto li. de mendacio hoc multis ostendit, eousque etiam, ut cap. ult. & penult. *nec mendacium simplex statuat ob salvandum proximi animum ab æterna damnatione.* Quare insigniter errat Eustratius ad 3. eth. c. 1. quum mendacium dicere negat peccatū esse, si utilitatis alicujus caussa id fiat, non tantum enim id rectæ rationi, sed ipsi etiam Aristot. directè repugnat, ut in notis ad eum locum sufficienter ostēdimus. *Interest equidem plurimum qua causa, quo fine, qua intentione quid, fiat, sed ea quæ constat esse peccata, nullo bonæ causæ obtentu, nullo quasi bono fine, nulla velut bona intentione facienda sunt,* ait iterum B. August. loc. cit. cap. 7.

III. Omne mendacium peccatum August.

Error Eustratii.

VI. *Mendacium triplex.* Sed ut hæc eò rectius intelligantur, observandũ est mendacium vulgò ex glossà ordinaria ad Ps. 5. distingui tripliciter, ut aliud sit, quod joco seu ex vanitate quadam tantum dicitur, aliud quod pro salute & commodo alicujus, aliud quod ex malignitate, & in perniciem alterius. Primum appellari solet jocosum, alterum officiosum, tertium perniciosum. *Vnum altero majus peccatum.* Quanquam a. mendacium, quod per jocũ dicitur, tam malum non est, atq; quod in perniciem alterius, & ipsum tamen quatenus mendacium est, peccatum & malum est: vanitas enim est & *ἀταξία* delectationem ex illa re percipere, quæ abesse ab homine longè debet. Similiter etiam qui peccat ut alteri commodet, minus peccat, quam qui eo fine id non facit, nihilominus tamen rectè simpliciter nõ agit: *nec enim facere mala licet, ut bona eveniant* ut docetur ad Rom. 3. 8. Et sanè si mendacium in se est improbum, ut Arist. expresè dicit, omne mendacium, etiã minimũ, turpe est & peccatum. Vbi nota, incosum non dici, si quis falsum dicat non seriò, sed joco, ita ut omnes facilè intelligant aliud illũ significare, quã dicit: nã cũ ibi non sit significatio falsi, mendacium non est; sed id demum cum animi caussa & quo delectatio nẽ inde capiat falsa quis narrat, quæ aliis, ut seria, persuasa esse cupit.

V. *Aliud mentiri aliud veritatem celare.* Verũ n. verò etsi hæc ita se habent, nec mendacium dicere ullatenus licet, veritas tamẽ celari interdũ & honestè reticeri potest: etsi enim virtus hæc vetat falsũ dicere & quidquid asseritur præcipit ut verũ sit: non tamẽ id efflagitat, ut semper effutiatur quod tale quidẽ est sed efferri non cõvenit: unde & in Ecclesiastico dicitur; *Non omni ho-*

mini cor tuum manifestes c. 9. 22. Tum autem id facere licet, quum quis non tenetur alteri ex mente ipsius respondere: ita enim primò dicere licet quod verum est sensu uno, licet ille fortè de altero quærat & responsum accepturus sit. Ita Abraham Gen. 12. 10. de Sara Pharaoni & Gen. 20. 2. Abimelech respondit eam sororem suam esse. Idem facit Isaacus Gen. 26. 7. Et tamen ex utroq; quærebatur, utrum uxores essent. Dixit uterque verum; & Sara n. Soror erat Abrahæ, & Rebecca Isaaci, id est, illa illius hæc hujus agnata, nam & hæ sorores Hebręo idiomate appellãtur. At neuter ad propositum respondit, licet ita respondisse percunctantib. visi sint. Deinde quum ad unam interrogationem multiplex est responsio, respõderi potest unum & reticeri alterum, sicut Sam. 1. Reg. 15. 6. quũ Bethlehemũ veniens interrogatus quare venisset, respondit ad sacrificandum Deo, etsi præcipuè ad unguendum Davidem venerat. *Quando posterius id sit concessum.* *Exempla è sacris.*

Sed sicut hæc contra virtutem veritatis non sunt & licent tum, ubi quis veritatem dicere non tenetur, ità contrà an judicio vero & legitimo, aut ubi alias quis veritatem confiteri obstrictus est, aut denique se dicturum eam de re quapiam planè, ut quæritur, recepit, non valent. Dices legi tamen in ipsis scripturis nonnullos ex sanctis mentitos, imò mendacium alicubi commendari. Ita Exod. 1. leguntur obstetrices Ægyptiæ mentitæ: dicebant enim Hebræas mulieres sine sua ope parere, cum tamen dicantur vivos conservasse Hebræorum natos, Nec minus tamen dicitur ibi Deus ea de caussa ijs benefecisse *VI. Cautela.* *Obiectio.*

Solutio. fecisse. Respondeo primò cum Thoma, Deum iis benefecisse quod non interfecissent infantes, non quod mentitæ fuissent; unde etiam dicitur v.21. *& quia obstetrices timuerant Deum ædificavit illis domos.* Deinde dici potest, non esse mentitas; verum enim erat mulieres Hebræas vividas esse & sæpè non accersita obstetrice parere, etsi semper id factum non fuerat.

Alia obiectio. Oggetes porrò, verè tamen mentitum esse Iacobum Genes. 27. 21. cum se Esavum esse patri affirmaret, mentitam item Iuditham & alios. Respondeo primum cum Lyra loc. illum Genes. exponente, non esse necesse excusare sanctos à mendacio officioso, cum multi eorum etiam in graviora peccata incidisse legantur. Deinde possunt etiam mysticè vera esse quæ non sunt secundum litteram ut quod Iacob se primogenitum dixit.

VII. Vitia veritati opposita. Vitia veritati opposita sunt iactantia seu mentiendi libido & dissimulatio. Mendax & gloriosus in excessu peccant, & alter quidem ob meram vanitatem, alter propter gloriæ cupiditatem; dissimulator peccat in defectu, qui omnia sua extenuat, ea etiam quæ levia sunt & in aperto posita: qui tamen mendacibus & gloriosis longè tolerabiliores sunt, cum civilius sit sua extenuare, quàm efferre.

VIII. Vrbanitas Vrbanitas officium sum facit in consuetudine & congressibus quotidianis, quum iocosa tractantur, sicut humanitas & veritas versantur in rebus seriis. Posse autem in iocis etiam exorbitari, nemo est qui ignoret. Rectè itaque hic se gerit & urbanus est, qui in loco concinne & eleganter ioca-

jocari novit, ita ut nihil proferat, quod vel ipsum dedecet dicere vel alterũ audire. In excessu peccat scurra & cavillator, quorum ille ita jocatur, ut nec dignitatis suæ nec in universum honestatis rationem habeat, hic tam salse alios sæpe perstringit, ut quem jocum esse vult convitium meritò putare possis. In defectu impingit homo agrestis, qui nec ipse recte jocari didicit, nec alios civiliter jocantes audit sine stomacho. Tantum etiam de illis virtutibus, quæ homileticæ appellantur. Nunc ad justitiam pergendum est. Ἀγροικία.

CAPUT XI.

De Iustitia in Communi.

SUMMARIA.

1 *Iustitiam esse virtutum moralium principem.*
2 *Homonymia vocabuli justitiæ.*
3 *Quid iustitia universalis differat à virtute & Thomæ hic opinione.*
4 *Aristotelis & verior sententia.*
5 *Argum. Soti pro Thoma.*
6.7.8.9. *Soluuntur.*
10 *Quomodo iustitia referatur ad alium.*
11 *De iustitia universali.*
12 *De iustitia particulari.*
13 *Quare de iustit. universali peculiariter non tractetur, & quo-*

& quo modo particularem Aristot. definiat.
14 *Quomodo ICti.*
15.16.17.18.19. *Explicatur definitio ICtorum.*
20 *Eam competere soli justitiæ particulari.*
21 *Alia definitio, & quæ hic sit ratio medij.*
22 *Quotuplex sit justitia particularis.*
23 *Quæ sit hic specifica differentia.*
24 *Sententia Valent. & Molinæ item vera sententia.*

1. *Iustitia virtutum moraliũ princeps.*

INter omnes virtutes, quibus cõtinetur & perficitur vita civilis, principem locum obtinet justitia: etsi enim illa ceteris etiam, præsertim fortitudine & temperantia cum primis opus habet, justitia tamen minimè omnium carere potest. Imò tãtum abest, ut salva esse Respubl. ulla queat sine justitia, ut nec latronum aut furum cohors aggredi quidquam possit aut efficere, si ipsi inter se ab injuriis non abstineant, ut Plato docet 1. de republ. in fin. Nec verius quidquam, vel ex tripode dici potuit, quam ille in tragœdia scripsit.

Ὅπου ὑβρίζειν, δρᾶν δ' ἃ βούλεται,
Ταύτην νόμιζε τὴν πόλιν χρόνῳ ποτὲ
Ἐξ οὐρίων δραμοῦσαν εἰς βυθὸν πεσεῖν
Vbi licentia omnis est injuriæ,
Tunc & statum urbis postmodo tandim illius
Cursu è secundo pessum iturum existima.

Unde Agesilaus interrogatus, utrũ fortitudo an justitia præstantior esset, respondit fortitudinem, si absit justitia, nulli usui esse, at si justitiã omnes colant, nihil fore opus fortitudine. Plutarch. in apophth. Lacon. c. 17. Et hinc etiam est quod ipsa non paulò operosiori explicatione indigeat, quã virtutes cæteræ. Aristotel. integrum ferè librum quin-

quintum Nicomach. & capit. 34. prim. magn. moral. huic rei tribuit: quartus: enim Eudemiorum cum quinto Nicomach. planè coincidit.

II. Homonymya vocabuli iustitia.

Ante autem quàm exponamus, quæ natura sit justitiæ & quotuplex ipsa sit, vocabulũ ab æquivocatione liberandum est, sicut id accuratè etiã Aristot. fecit. Supponimus igitur, quod apud omnes constat, justitiam dici ejusmodi aliquem habitum, quo justi sumus, sive ad justa volenda & agẽda apti, & cujus adeò beneficio justa agimus, & volumus, injustitiam autem quo injusti sumus sive volumus & facimus injusta; nemo enim aliud quicquã utriusq; rei appellatione unquam intellexit. Verũ potest dupliciter quis appellari justus, uno modo cõmuniter, qui legibus & juri congruenter vivit: altero peculiariter, qui de bonis externis unicuiq; suũ tribuit, sicut & injustus vocatur tam quisquis legibus non obtemperat, quàm qui iniquus in alterum tantum est, eumq; defraudat & plus sibi quam ipsi tribuit. Quemadmodũ igitur justus nõ uno modo quis dicitur ita etiam justitiæ & injustitiæ vocẽ homonymã esse oportet, & ut in multũ interest, priori an posteriori sensu justum aliquem appelles, sic multũ etiam refert, utro sensu vocabulũ justitiæ capias. Quod autem æquivocatio ista non facilè deprehẽdatur inde est, quia magnã ęquivocata illa cognationẽ habent. Vna igitur acceptione justitia extenditur ad omne quod legibus & juri consentaneum est, neq; tum illa est species quæpiam

Iustitia universalis.

vir-

virtutis, sed ipsa & tota virtus. Caussa in promptu est: cum enim leges præcipiant, præcipere certè debebant, de omni virtute, non pars hæc virtutis erit, sed universa virtus, cunctis illis quæ leges præcipiunt obtemperare, & ad illas totam vitam componere. Vnde etiam *justitia universalis* vulgò appellatur & veteri versu omnes in se virtutes complecti dicitur, imò nec hesperus nec lucifer admirabilior ipsâ esse.

III. *Quid & differat à virtute ipsa.* Et sanè tam latè patet quâm virtus ipsa, nec ab hac differt, nisi quod non tàm est virtus nuda & in se spectata, quam eadem in usu & exercitio posita: sicut enim lex hoc differt à nudo præcepto virtutis, quod illa concernit totam communitatem & hominem prout in eâ cum aliis vivit, hoc etiam privatum quemque, ut est talis, & tamen lex omnis rectè lata virtutis præceptum est, ita etiam iustitia à virtute hoc distat quod virtus ordinem tantum ad possessorem involuit iustitia ordinem ad alios. Vt clariùs dicam, nudę virtutis officium est possessorem reddere virum bonum simpliciter, iustitiæ universalis efficere, ut idem virtute sua aliis & toti Reipubl. prosit. Discrepant autem hæc duo: fieri enim potest ut quis ipse bonus sit, deq; rebus suis rectè satis statuat, nec tamen idem usque quaque se gerat ut par erat, ubi cum aliis negotii quid ipsi intervenit. Vnde vetus illud verbum est ab Aristotele 5. eth. c. 1 Bianti, à Diog. Laertio Pittaco, à nonnullis antiquorum Soloni tributum, Ὁ ἀρχὴ τὸν ἄνδρα δείξει, *Magistratum ostendere virum*, quod & Sophocles sic expressit Antigonâ:

Αμή-

Ἀμήχανον δὲ παντὸς ἀνδρὸς ἐκμαθεῖν
Τύχην τε καὶ φρόνημα καὶ γνώμην, πρὶν ἂν,
Ἀρχαῖς τε καὶ νόμοισιν ἐντριβὴς φανῇ,

& Simonides -- *πόλις ἄνδρα διδάσκει.* Aristot. loc. cit. tex. 15. ita virtutem à justitia distinguit: *Quid intersit*, inquit, *intèr hanc justitiam* (universalem) *& virtutem, ex iis quæ dicta sunt innotescit: unum enim & idem sunt, sed esse, non est idem: quatenus est ad alium justitia est, quatenus autem habitus aliquis talis, virtus simpliciter est.* Vbi observa, cum inqnit justitiam & virtutem differre *τῷ εἶναι*, non intelligi realem distinctionem aut quod toto esse differant (unum enim & idem esse ait) sed loqui Philosophum de modo tantum essendi sive considerandi: sicuti enim nonnunquam per, *τὸ λόγῳ* sive ratione differre distinctionem realem intelligit, ita etiam differre *τῷ εἶναι* interdum pro sola rationali distinctione accipit. Ejus exẽpla sunt 5. Phys. t. 46. 1. de genera. t. 41. & 6. Eth. t. 72. ut jam alibi annotavimus. Equidem Thom. 2. 2. quæst. 58. art. 6. justitiam legem (sic enim aliâs illa appellatur quam nos universalem vocamus) ita putat generalem esse ut nihilominus certa species virtutis sit, sed ordinet omnes virtutes cæteras ad finem suum. Quare ipsi universalis dicitur non ratione essentiæ sui, seu quod essentia ejus tam latè pateat quàm virtutis ipsius, sed ratione officii & efficaciæ tantum, quod ipsa omnium reliquarum virtutum actus ad commune & publicum bonum referre doceat: sicut charitas, inquit, dici potest virtus generalis, in quãtum ordinat actus aliarum virtutum

Thomæ opinio hac de re.

tutum ad ſuum finem (ita caritas patiens eſt, benigna eſt, omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſperat, 1. Corint. 13. & 14. & ſeqq.) & tamen revera eſt ſpecialis virtus; ſic etiam juſtitia legalis generalis eſt quo ad efficaciam, licet aliàs ſpecies tantum virtutis ſit. Thomam ſequitur Ludov. Molina de juſt. & jur. tom. 1. tract. 1. diſp. 1. num. 1. Dominicus Soto lib. 3. de juſt. q. 2. art. 5. & Gregor. de Valent. tom. 3. diſp. 5. q. 2. punct. 2.

IV. *Ariſtot. & verior ſententia.* Verum altera illa explicatio quam non attulimus melior eſt, & ſine dubio menti Ariſtot. magis conſentanea. Eam tradit & defendit Acciajolus ad 5. eth. cap. 1. t. ult. atque, ut citant, Buridanus 5. ethic. quæſt. 4. Et mentem hanc Ariſtot. eſſe evincit totum caput primum 5. ethic. ubi non tantum diſertè negat, juſtitiam univerſalem partem virtutis eſſe: ſed ait, unum & idem quid eſſe cum virtute, imò modo eſſendi tãtum diſtingui, ut ſuprà patuit. Quorum locorum tanta evidentia eſt, ut nec Thomas ipſe, nec qui cũ eo ſaciũt, eam eludere poſſint: nam quod Thom loc. cit. in fine corp. ait, eatenus juſtitiam legalem dici idem quid eſſe eſſentià cum omni virtute, quatenus unaquæque virtus ab ea ordinatur ad commune & Reipubl. bonum, ſeu ab ea imperatur & ad opus admovetur, ut Soto dicit; quod item Cajet. vult juſtitiam unum quid dici cum virtute univerſa non identicè, ſed relativè tantùm, & propter unitatem aliquam ordinis, ſicut mentem ejus explicat Valentia, id omne planè contortum eſt, & verbis Ariſt. nõ quadrat. Multò autem abſurdius quod Valentia per virtutem intelligit nõ

vir-

tutem universalem sed ipsam virtutem justitiæ legalis, ut hic sit sensus verborum Aristotelis, justitiam legalem ut est virtus & ut est justitia, re esse unum & idem, differre autem ratione: quorsum enim hæc afferat Aristot. qui illic loci justitia universalem discernere docet à particulari, cum isto pacto etiam justitia particularis à virtute sola ratione differat? Nec obstat quod Philosophus justitiam universalem vocat virtutem perfectã: eo enim nomine totam & universam virtutem intelligi debere ipse postmodum satis declarat. Eo novum non est virtutum omnium complexũ dici virtutem consummatam, estque apud Græcos cum primis formula ista loquendi usitatissima. Sed nec quod idem dicit, & nos ex eo supra, differre virtutem nudam & virtutem in usu positam sive virtutem in se spectatam & justitiam, arguere potest justitiam esse peculiarem speciem virtutis, sed hoc tantum, tum demum virtutem unamquamque esse præclarissimam, cum ea foras etiam progreditur, nec possessorem tantum bonum reddit, sed fructus ab ea ad Rempubl. totam insignis redit. Iustitiam ergò universalem eo sensu dic t Aristot quo nos. Nec aliter sine dubio veritas ipsa loqui & sentire quenquam patitur, si accuratè rem & citra præjudicium c nsideret. etsi enim ipsa vox virtutis respectũ ad subjectum, cui inest potius, quàm ad quidquam aliud extra illud involuit, virtus tamen nulla est, quin ad bonum publicum tẽdat. Ratio in promtu est: cum enim homo ipse naturâ sit animal sociale, & tum demum felicitatem vitæ hujus

Quare justitia universalis dicatur perfecta virtus.

coo-

Omnis virtus tẽdit ad bonum publicum. consequatur, cum in civitate vivit, ut docetur 1. Polit. capit. 2. imò cum unum idemque bonum sit unius hominis & totius civitatis, & una utriusque definitio, sicut constat ex 1. eth. cap. 2. & 7. Polit. cap. 1. & 2. omnes utrique virtutes quæ hominem felicem reddunt ad publicum bonum comparatæ sint eoque natura sua referantur necesse est. Qui si est virtutum genius, jam certè justitia illa universalis, quæ omnia ad publicum bonum referre docet, specie essentialiter ab illis distincta non erit. Perfectior itaque est virtus unaquæque profectò quò latius diffunditur & ad alios extenditur, sed diffundi ipsum tamen omnibus sua natura competit, etsi id voce justitiæ magis quàm virtutis exprimitur. Ita nulla est liberalitas, nulla magnificentia nisi ergà alium, nulla fortitudo, nisi ubi pro patria pericula adeuntur: nulla item mansuetudo, nulla virtus homiletica, nulla magnanimitas, nisi ubi cum aliis vivitur: imò hoc unaquaque earum est præclarior, quò in majori hominum luce versatur. Quapropter nec virtutes hæ omnes aliam essentiam à justitia habent: quin justitia est virtus illa universa ita diffusa.

V. Proponuntur argumenta Dominici Soto pro opinione Thomæ. Hæc ergo sic habent. Multis autem contra disputat, & accuratissimè omnium sententiam Thomæ adversus Buridanum propugnat Soto. *Primum.* Primò igitur aliam esse speciem virtutis à qua imperatur actus & à qua elicitur, atque adeò justitiam etiam legalem diversam speciem à virtutibus reliquis, probat non tantum cum Thoma ex natura charitatis & cæterarum virtutum Theo-

Theologicarum, ſed etiam ex furto propter fornicationem facto: ſicut enim, inquit, charitas non deſinit eſſe peculiaris ſpecies virtutis & diſtincta eſſentialiter à fide & ſpe, ideò, quod actus fidei & ſpei imperat, & ad opus ſuum admovet: ſicut autem furtum illud elicitur ex injuſtitiâ quidem, imperatur tamen ab intemperantia, quæ diſtincta ſunt vitia: ita etiam diſtinctæ virtutes ſunt, quæ ſimpliciter docet fortiter repugnare, & quæ pugnare illud docet ad publicum & commune civitatis bonum referre. Deinde contra Buridanum ſic argumentatur: Si fit ut probè quis affectus ſit ad rectè agendum propter particularem finem, nec ſimiliter tamē, ut agat propter commune bonum; & contra alius ita eſt affectus, ut agat propter cōmune bonum, nec idem tamen propter particularem finē, diſtinctę ſunt virtutes quę utrumq; præſtant. Sed fieri illud poteſt. Majorem ſic probat. Vbi enim difficultas agendi diverſa eſt, ait, ibi diverſis opus eſt virtutib. Minorem dicit confirmari experientia, cum deprehendatur, nonnunquam homines abſtinere, & frugaliter vivere propter honeſtatem quidem; ſed ut eſt particulare tantùm bonum, id eſt, ita ut leges & commune bonum nō reſpiciant, imò leges etiam & ipſum magiſtratum cuſtodem earū exoſum habeant. Qui igitur ita ſint animati, ut propter leges tale quidquam non facturi ſint & faciant tamen, eos oſtendere dicit, aliud ſe propoſitum habere bonū, cur faciant, ſeu aliam honeſti rationem quàm ut legibus obediant. Ad eundem modum adſerit *Secundum.*

fieri contrà sæpè quidquam intuitu solius obedientiæ legibus debitæ, publicique boni gratia, quod alioqui & propter particularem finem facturus quis non erat. Tertium argumentum hoc

Tertium. est: Si non est justitia legalis essentialiter distincta à cæteris virtutibus, nec obedientia est peculiaris virtus. Sed istud absurdum est. Ergò & illud.

Loca Aristotelis. Quartò producit testimonia ex Aristotele. Primus locus est 5. ethic. cap. 1. ubi dicit Aristoteles, multos uti virtute in propriis, nec eosdem tamen uti posse eadem ad alterum. Secundus est 3. Polit. cap. 3. ubi Philosophus docet, non esse unam & eandem virtutem viri & civis boni; civem autem bonum esse qui bono publico probè inserviat. Unde efficit aliam esse ejus virtutem à cæteris quæ simpliciter virum bonum reddunt. Tertius rursus est 5. ethic. cap. 1. ubi Aristotelem dicit statuere diversum objectum justitiæ legalis & justitiæ particularis, illius quidem justum legitimum; hujus verò æquitatem erga privatos. Addit etiam exemplum remigis & gubernatoris in navi, quorum alterius virtutis sit rectè tantum remum ducere, etiam, si de salute navis nihil cogitet, alterius verò ut de salute totius navis sollicitus sit. Hæc ita doctè & eleganter Soto.

VI. Respondetur ad argumenta. Ad primum. Verùm enim verò non sufficiunt ista adsertioni nostræ evertendæ: quare ad singula ordine respondebimus. Primò autem de charitate ita res se habet; ubi ipsa est adsunt ut cæteræ virtutes Theologicæ ita & earum opera, quod nec vera fides, nec spes sit, nisi individuo nexu cum

hac

hac cohæreant:unde etiam opera, cæteris propria, huic à S.Paulo tribuuntur. Nec tamen ideo officium charitatis est actus cæterarum virtutum Theologicarum referre in Deum ut finem supernaturalem, cum omnes istæ eo modo in Deum per se tendant. Neq; impedit quod Soto dicit, si fortiter quis pugnet in prælio aut temperanter etiam vivat propter honestatem naturalem, esse id opus fortitudinis & temperantiæ peculiare: sin autem idem illud faciat propter Deum, id à charitate esse:non tantum enim à charitate illud est, sed à fide quoq; & spe, &c. cũ ex æquo id competat omnibus Theologicis virtutibus quidquid moralis est virtutis, seu quicquid moraliter recte fit, adeoq; propter honestatem tantum & Deum ut auctorem naturæ id elevare, & referre in eundem tanquam auctorem gratiæ; & qui fortiter præliatur aut castè vivit propter Deum, non ideò hoc tantùm facit, quia Deum supernaturaliter diligit, sed & quia hoc eodẽ modo in ipsum credit, & spem in eo collocat. Quemadmodum itaque Arist. 3. ethic. 3. 1. 58. magnanimitatem dicit virtutum cæterarũ esse quasi ornamentũ quoddam, eique inesse quidquid est magnum in reliquis, magnanimum item fortiter pugnare, nec injuriam cuiq; facere, aut turpe quidquam committere, ideò tantùm, non quod eius officium sit ista certis virtutibus imperare, aut ad opera eas illas admovere, sed quia, ut ipse subiicit, sine reliquis virtutibus magnanimitas non paratur; ita etiam charitas dicitur omnia credere,

omnia sufferre, omnia sperare, nec munus tamen eius est ut ista certo modo producat, sed ideò ei tribuuntur, quod ipsa cęteras illas virtutes præsupponat, aut secum trahat, à quibus ista propriè sunt. Hæc ad exemplum de charitate. De furto autem propter fornicationem commisso, facilior etiam responsio est: sicut enim actus unius vitii referri potest ad actum alterius, ita etiam actio unius virtutis tendit sæpè ad actionem alterius. Sed hoc omne per accidens fit, nec ideò opus est, ut una & peculiaris aliqua sit quæ per se id agat, multo minus quæ omnes illas ad communem finem dirigat, cum cunctę ultrò, ut supra diximus in eum colliment. Quemadmodum igitur, si quis ob libidinem tantùm explendam furetur, actus is est iniustitiæ, sed propter intemperantiam commissus: ita quoque si exercitum privato sumtu conscribat fortis ut patriæ succurrat, magnificentiæ opus est, sed ad quod fortitudo eum instigavit: unde id liquet virtutem unam excitare; & ad opus proprium admovere posse alteram, ut rectè hoc dicit Soto, nec tamen aut per se id fit, aut inde efficitur, unam peculiariter ideo institutam esse ut hoc faciat. Hucusque de primo argumento.

VIII. *Ad secundum.* In altero conceditur Maior, scil. si probè quis sit affectus ad rectè agendum propter honestatem ut particulare bonum, qui tamen non item affectus sit ad idem agendum propter bonum publicum, & contra; opus esse distinctis virtutibus, quarum una illud, altera istud præstet. Sed Minor negatur: nam quod experientia dicitur

citur hoc testari id si penitiùs inspiciatur nihil est. Certè qui abstinet & temperanter vivit amore honestatis, seu quòd sic vivere pulcrum existimat, is nullo modo aut contemnere leges potest de temperantia publici boni causa latas, aut magistratum odisse diligentem earum custodem: quin potius ille, quãtum in ipso est, vult omnes homines sui similes esse, adeoque leges istas communiter obtinere. Quod si tamen idem ille magistratum oderit, facit aliâ utique de causa, puta vel ambitione ductus, quod ipse malit imperare quàm alteri subjectus esse, vel quia alioquin privata simultas cum eo qui magistratum illum gerit ipsi intercedit. Sed hæc nihil ad nostrum institutum: nec enim si hunc aut illum magistratus honore indignum quis censeat, ideò & leges abrogatas cupiet, quas ipse salutares esse judicat. Ad eundem modum qui operario mercedem debitam solvit (nam & hoc exemplo utitur Soto) ideò ut fidẽ servet, odisse nec leges potest quæ hoc præcipiunt, cum necessum sit ut leges istas bonas esse statuat. Si dixeris, non facere tamen eum illud propter leges, sed propter se ipsum, concedo non facere propter leges, si facere aliquid propter eas opponatur illi, quod per se honestũ est, & sic intelligatur, formidine pœnæ quẽquam facere quod aliâs non faceret, vel noluisse facere nisi imperatũ esset, cum virtutis non sit, eo sensu propter leges rectè agere. Facere autem eum id propter se ipsum nego: nec enim quis dici potest fidẽ servare propter seipsum, nisi uti-

litatis suæ causa potiùs quàm honestatis quid faciat, puta ne si quem semel defraudarit, postea ejus opera potiri nequeat, &c. Manifestum itaque ex his est, non requiri aliam virtutem, quæ doceat agere quod honestum est, aliam quæ quod salutares leges propter commune bonum præcipiunt, & distinctionem illam agere propter honestum particulare & agere propter honestum commune sine causa excogitatam esse. Ad tertiam rationem dicitur obedientiam non esse peculiarem speciem virtutis juxta Aristotelem, sed ipsam illam, de qua quæstio est, justitiam universalem, adeoque principium peti, quum ita probatur justitiam universalem speciem virtutis esse, quia sit obedientia. An autem obedientia, prout est virtus Theologica, specie distincta sit à cæteris ejus generis virtutibus nihil hîc attinet disputare.

Ad tertium.

VIII. *Ad primum locum Aristotelis.*

Postremò loca quæ ex Aristotele allata sunt partim ex solutione argumentorum, partim ex ijs quæ superius in explicatione nostræ sententiæ dicta sunt facilè intelliguntur. Breviter itaque ea tantùm percurremus. Quod autem primò dicit multos rectè uti virtute dum sibi vivunt, qui tamen ubi ad rempublic. accesserint, idem non præstent, nihil mirum est, cum perfectior gradus virtutis requiratur, ut rectè ibi quis se gerat; ubi plures occasiones sunt delinquendi, quàm ubi aut nullæ aut paucæ. Sic sæpè qui nihil avarè, nihil injustè egerat privatus, idem postquam ad rempublicam accessit, avarus & injustus fit, quòd major sit occasio. Imò sæpè virtu-

Quare dicatur magistratus virum ostendere.

virtute vera præditus videtur dum privatus esset, qui postmodum ubi in lucem prodijt, nihil quidquam ejus possidere deprehenditur. *Multorum quia imbecilli sunt latent vitia, non minus ausura cum illis vires sua placuerint, quàm illa qua jam felicitas aperuit. Instrumenta illis explicanda nequitia desunt. Sic tutò serpens etiam pestifera tractatur dum riget frigore. Non desunt tunc illi venena, sed torpent. Multorum crudelitas & ambitio & luxuria ne paria pessimis audeat, fortuna favore deficitur. Eadem velle eos cognosces da posse quantum volunt*, ut egregiè hoc exponit Seneca epist. 42. Quod itaque magistratus ostendere virum dicitur inde est, non quod peculiari virtute opus habeat, sed quod omnibus virtutibus perfectioribus, seu quòd rectiùs ostendat, quantum in studio virtutis quis processerit, quam vita privata.

Alter locus ex 3. politic. cap. 3. paulò plus difficultatis habet. Docet Aristoteles aliam esse virtutem civis boni, aliam viri boni, idque tribus his argumentis. Primò civis dicitur cum respectu ad rempublic. estque tum bonus quum sic se gerit, ut ex usu est ejus reipubl. in qua vivit, seu bona illa sit seu mala. At vir bonus non est, nisi qui perfecta & consummata virtute præstat & sic vivit examussim ut honestas jubet: unde nec tyrannidis nec oligarchiæ aut alius pravæ reipublic. instituta probare, aut iis obtemperare potest. Deinde etiam in opt. republ. non possunt omnes cives esse viri boni, cùm tamen necessum sit, ut omnes sint cives boni. Tertiò civitas constat civibus specie dissimilibus, sicut pluri- IX. *Ad secundum locum.*

bus hoc contra Platonem ostenditur 2. Politic. cap. 1. Vnde multa sunt, quæ bonum civem efficiunt. At quod virum bonum reddit uniforme est, perfecta scil. & omnibus numeris absoluta virtus. Ex quibus cunctis manifestò constat non ilicò esse qui civis est bonus virum item bonum, nec hujus munus aut virtutem coincidere cum officio & virtute illius. Hæc ita disputat philosophus. Verum res ipsa docet, non accipi hic vocabulum virtutis propriè, seu pro virtute morali, sed communiter seu pro quavis facultate vel proprio rei munere & functione. Patet hoc duobus modis; primò enim civis bonus aliquis dicitur, etiamsi in pessima republ. Si civis bonus est in tyrannide, qui oppressâ libertate ad unius libidinem & dominatum contra jus fasque omnia transfert, optimos quosque extirpatos, scelestissimos autem & flagitiosissimos rebus omnibus quam ornatissimos esse cupit, immò nemo alius est in ista republ. civis egregius, nisi iste. Ecquis verò hoc dixerit virtutis esse, si de vera & morali virtute loquaris? Deinde si virtus civis boni est virtus moralis, puta obedientia erga leges, jam vel nemo erit civis bonus in mala republica, vel etiam obedire injustissimis & impiissimis legibus virtus moralis fuerit: ejusmodi enim oportet leges esse in depravatis rebuspubl. ut ex 3. politic. cap. 7. notum est, Nihil ergò certius est quàm quum dicitur, aliam esse virtutem viri boni aliam civis boni, intelligi aliud esse id unde quis vir bonus, aliud etiam unde civis bonus fit & dicatur. Nec ad rem facit ex-

cit ex-

cit exemplum de remige: etsi enim munus ejus præscindi mente potest & considerari citra respectum ad salutem navis, reverà tamen ideò tendit: unde disertè dicit Philosophus licet proreta remex & gubernator peculiare quisque munus gerat, omnes tamen salutem navis propositam habere, imò hanc omnium eorum aliquo modo opus esse. Vltimus locus verbo expediri potest. Facit sanè Aristotel. objectum aliud justitiæ universalis, aliud particularis, sed ita ut unum includat alterum, seu ut differant tanquam commune & minus commune; non tanquam specie distincta, sicut etiam Acciaiolus id observat. *Ad tertiu & ultimum.*

X. *Quomodo justitia referatur ad alium.*

Vnum adhuc monere libet antequam ab explicatione justitiæ universalis abeamus. Diximus justitiam superaddere virtuti respectum ad alium, seu hoc inter virtutem & justitiam interesse, quòd illa præcisè spectet subjectum in quo est, idque bonum reddat, & benè agere faciat, ut dicitur 2. ethic. cap. 6. text. 30. hæc verò ad alios porrigatur. Vbi sciendum relationem istam ad alios de diversis suppositis, ut Philosophi vocant, seu distinctis hominibus vel personis intelligendam esse, non de partibus aut potentiis diversis in uno eodemque supposito seu homine: sicut enim actiones propriè sunt ipsius suppositi non partium ejus, nec dici potest anima irasci aut timere, nere aut ædificare, sed homo qui animam habet, ut traditur 1. de anima c. 4. tex. 64. ita etiam justitia nõ est nisi hominis ad hominem, seu personæ unius ad alteram, nec nisi per metapho-

ram tantum aliquam ad partes suppositorum transfertur, sicut id docent Aristoteles 5. ethic. cap. ultim. Thom. 1, 2. quæst. 58. artic. 2. Soto lib. 3. de justit. & jur. quæst. 2. artic. 2. Observandum autem hoc est propter Platonem, qui 4. *de republic.* justitiam universam non tàm in convictu ipsorum hominum; quàm concentu partium animæ cujusque, sicut & injustitiam non in eo si homo hominem lædat, sed in illarum itidem seditione & dissidiis positam multis contendit. Locum unum adscribemus, *Revera quidem talis,* inquit *justitia est, at non circa actionem exteriorem, sed circa interiorem, circa nosmetipsos & nostra, dum quisque nostrum non permittit quidquam suorum aliena agere, neque ex tribus animæ generibus unum alterius munus occupare, sed planè sua ipsius rectè disponit, & sibi ipsi imperat, seque ipsum moderatur, utque sibi cum primis amicus reddatur tria illa inter se contemperat, tanquam tres harmoniæ terminos summa chorda, ima & media.* Hæc Plato, quibus similia illic passim reperiuntur. Sed manifestò abutitur voce justitiæ: etsi enim ab harmonia & concentu illo facultatum animi inter se universa virtus adeoq; & justitia dependet, imò hæc est virtutum omnium summa, animum ita compositum habere: sicut tamen facultas una animi alteri injuriam non facit, puta quando inferior rebellat superiori, ita nec justitia propriè est quum una earum cum altera concordat, sed quum homo ipse, animo ita ad concordiam redacto, sic cum altero vivit ut fas est, & leges jubent. Non animadvertit hæc Christoph. Ehemius

Plato minus rectè relationem istam accepit.

Error Ehemii.

mius libro quinto de princip. juris cap. 3. unde occasione ex loco illo Platonis arrepta justitiam universalem duplicem facit, absolutam & relatam seu politicam, illamque omnium animæ virtutum comprehensionem & totius animi rectitudinem esse dicit, hanc verò vinculum societatis hominum & partium reipubl. Absolutam autem illam vocare se ait ideò, quod animæ tantum vires moderetur, neque quidquam aliud propositum habeat, ut & hanc relatam, quòd ad alium referatur, item politicam, quia in societate & republic spectetur. Sed hæc ut nova sunt, ita omni fundamento carent: semper enim Iustitia dicitur ad alium, ut ex 5. ethic. c. 1. & voce ipsa intelligitur, nec quam ille justitiam absolutam vocat aliud quidquam est, quàm ipsa virtus nuda, seu virtus in se spectata, & citra illam relationem quam justitia involuit, quaque solâ à virtute distingui ab Aristotele dicitur. Et tantum etiam hae de re.

Hæc ergo est justitia illa universalis sive legalis. Cui ex adverso respondet injustitia ejusdem rationis: sicut enim justitia illa virtus universa est, ita hæc injustitia totum vitium complectitur, quæque de illa dicta sunt eadem servatâ proportione etiam isti accommodari debent. Hoc tantum interest, quod justitia universalis in uno numero homine sive uno individuo esse potest, injustitia ista secundum totam suam latitudinem non potest: neque enim vitiorum mutua contrarietas id permittit. Sic homo unus idemque avaritiâ simul & prodigalitate, audacia

IX. *Injustitia universalis.*

dacia

dacia & timiditate, nimia lenitate & crudelitate laborare nequit, cum unum illorum vitiorum alteram sua natura pellat. Neq; tamen hoc impedit, quo minus ista ratione injusti dicantur qui omnibus vitiis oppleti sunt: tantum enim vitiorum tum intelligitur quantum cadere in unum hominem potest.

XII. Quid nomine justitiæ & injustitiæ intelligatur una exceptione vocabuli ostendimus. Sed est & altera acceptio longè illa priore arctior & strictior, ut initio diximus. Hac justum appellamus illum tantum, qui de bonis externis suum cuiq; tribuit. Rem ita se habere sic ostendit Aristoteles 5. ethic. c. 2. Primò, si plus justo capere de bonis externis ad nullam cæterorum vitiorum pertinet, erit peculiare aliquod vitium quod injustitia dicitur. Sed ad nullum aliud pertinet, ut inductione probari facilè potest. Deinde si quis adulterium committat non tàm propter libidinē, quàm propter defraudandum alterum, ille non tàm intemperans quàm injustus vocatur. Utrūque tamen est contra leges. Alia ergò acceptione injustus dicitur, quàm cum quis simpliciter contra leges peccat. Tertiò omnes actiones quę sunt contra leges nomē peculiaris alicujus vitii nanciscuntur. Sic qui locum deserit in acie timidus & ignavus est, qui voluptates corporis sectatur intemperans, &c. At plus ex re aliqua lucrari quàm debebas cæterorum vitiorum nomine non censetur. Quare hoc facere peculiare vitium est. Quod si autem injustitia, nonnunquam

Iustitia particularis.

pecu-

peculiare vitium est, à cæteris vitiis distinctum, est utique & justitia interdum peculiaris aliqua virtus. Hoc igitur est justitia altero illo vocis significatu. Quæ cum sit pars virtutis tantùm & una ejus species Aristot. ipsam vocat τὴν ἐν μέρει & τὴν κατὰ μέρος δικαιοσύνην. Vulgò justitiam particularem dicunt: etsi enim illa cum justitia universali in eo convenit, quod utraque respectum includat ad alium, differt tamē ab ipsa tanquam pars à toto. D. Thomas & qui cū eo hîc faciunt, particularem ideò dici putant, quod cum justitia universalis circa totam communitatem & bonum publicum occupetur; hæc particularia bona tantùm & particulares sive singulares homines respiciat. Vide Thomam loco supra citato artic. 7. in corp. & Gregorium de Valent. loc. cit. Sed sicut aberrant à veritate & mente Aristotelis in cæteris; ita etiam hic manifestò impingunt.

Exposuimus hactenus quotupliciter vox justitiæ & iniustitiæ accipiatur, & quænam dicatur iustitia universalis quæ particularis. Cæterum de iustitia universali peculiaris tractatio instituenda non est: cum enim ipsa, ut ostendimus, sit universa virtus, tum explicata fuerit cum singulæ species virtutum pertractatæ fuerint. De particulari ergò ulterius despiciendum est, & accuratè explicandum, quid sit & quotuplex. Plato 1. de republ. adfert definitionem iustitiæ attributam Simonidi, sed, ut ipse ostendit, falsò τὸ ἀποδιδόναι, ἄν τις τι παρὰ τοῦ λάβῃ. Reiicit autem eam duabus de causis, primò quia furioso gladius

XIII. De justit. universali peculiaris tractatio non instituitur.

jus ſuum cuique tribuere, quæ ſtatim à ICto ſubijciunt, ultimum tantum eâ exprimatur. Sed rectè hæc confutat Soto: honeſtè enim vivere non eſt actus uni virtuti peculiaris, ſed communis omnibus: illud autem neminem lædere includitur in iſto, ſuum cuique tribuere, ut poſteà melius intelligetur. Vtut itaque hæc tanquam tria & diſtincta præcepta juris proponat Vlpianus, rectè ne an ſecus nunc non diſputamus, peculiares tamen aut diſtincti actus juſtitiæ non ſunt, nedũ omnia iſta in definitione ejus exprimi neceſſum fuerit.

XV. *Explicatio definitionis.* Dicitur autem juſtitia voluntas *conſtans & perpetua*, ut intelligatur non tàm de actu aliquo quã habitu voluntatis ſermonem eſſe: ita enim alteri jus ſuũ tribuere velle, ut conſtanter & perpetuò id facias ſolius habitus eſt. Sanè ſemel atque iterum velle quod juſtum eſt etiam injuſtiſſimo competere poteſt, cum nemo tam injuſtus facile eſſe poſſit, quin interdum illud velit quod juſtum eſt. Quare ut juſtus quis ſit, perpetuò & conſtanter id fieri oportet. Soto & ex Juriſconſ. Paulus Caſtrenſis ad l. dict. ff. de juſtit. & jur. diſtinguunt vocabula illa *conſtans & perpetua*. Soto ait, perpetuum dicere ſolum propoſitum atque intentionem ſic operandi, conſtans autem addere ejuſdem propoſiti firmitatem, nempe, ut eo quis non nutet & vacillet, idque nemini obtingere antequam virtutem ipſam adipiſcatur, cum tamen propoſitum illud rectè ſemper agendi multi habeant, qui quia firmis radicibus virtutis non nitantur identidem ab eo dilaban-

Soto malè hic diſtinguit inter conſtans & perpetuum.

labantur. Sed errat: etsi enim longè aliud est voluntas seu propositum perpetuò aliquid agendi, aliud constans voluntas id agendi, cum prius illud de uno etiam actu intelligi possit & in eum quoque cadat qui in re aliquâ nihil dum confirmatus est, imò vix initiũ ejus aliquod habet; nihil tamen hoc ad rem facit, cum non dicat Ulpianus justitiam esse voluntatem jus suum cuique perpetuò tribuendi, sed voluntatem perpetuam hoc faciendi. At hæc toto cœlo distant. Sic sæpe incontinens quum explerâ jam libidine pœnitentia ducitur proponit animo & vult perpetuò deinceps abstinere: Volũtatem igitur tum habet perpetuò à re simili abstinendi: sed ipsa voluntas ista non est perpetua: quin paulò post, ubi iterum est quod animum pellicit, novâ victus cupiditate aliud vult & denuò proruit in id quod perpetuò fugere ante hac decreverat. Quod si autem in quoquam perpetua voluntas sit abstinendi; is constanter hoc agit & nunquam non id vult, sicut temperans. Ad eundem modum res etiam hîc se habet. Non constituit justitiam voluntas seu propositum tantum aliquod jus suum cuique tribuendi, sed perpetua voluntas id faciendi, hoc est, non sufficit semel atq; iterum animo proponere, neminem te læsurum unquam, aut cuique id non concessurum quod ipsi debetur, sed perpetuo ita animatum esse oportet, quod utique sine habitu fieri nequit. Unde patet abiq; causa virum doctissimum inter voluntatem perpetuam & constantem distinxisse.

fieri contrà sæpè quidquam intuitu solius obedientiæ legibus debitæ, publicique boni gratia, quod alioqui & propter particularem finem facturus quis non erat. Tertium argumentum hoc

Tertium. est: Si non est justitia legalis essentialiter distincta à cæteris virtutibus, nec obedientia est peculiaris virtus. Sed istud absurdum est. Ergò & illud.

Loca Aristotelis. Quartò producit testimonia ex Aristotele. Primus locus est 5. ethic. cap. 1. ubi dicit Aristoteles, multos uti virtute in propriis, nec eosdem tamen uti posse eadem ad alterum. Secundus est 3. Polit. cap. 3. ubi Philosophus docet, non esse unam & eandem virtutem viri & civis boni; civem autem bonum esse qui bono publico probè inserviat. Unde efficit aliam esse ejus virtutem à cæteris quæ simpliciter virum bonum reddunt. Tertius rursus est 5. ethic. cap. 1. ubi Aristotelem dicit statuere diversum objectum justitiæ legalis & justitiæ particularis, illius quidem justum legitimum; hujus verò æquitatem erga privatos. Addit etiam exemplum remigis & gubernatoris in navi, quorum alterius virtutis sit rectè tantum remum ducere, etiam, si de salute navis nihil cogitet, alterius verò ut de salute totius navis sollicitus sit. Hæc ita doctè & eleganter Soto.

VI. Respondetur ad argumenta. Ad primum. Verùm enim verò non sufficiunt ista adsertioni nostræ evertendæ: quare ad singula ordine respondebimus. Primò autem de charitate ita res se habet; ubi ipsa est adsunt ut cæteræ virtutes Theologicæ ita & earum opera; quod nec vera fides, nec spes sit, nisi individuo nexu cum hac

hac cohæreant:unde etiam opera, cæteris propria,huic à S.Paulo tribuuntur. Nec tamen ideo officium charitatis est actus cæterarum virtutum Theologicarum referre in Deum ut finem supernaturalem, cum omnes istæ eo modo in Deum per se tendant. Neq; impedit quod Soto dicit,si fortiter quis pugnet in prælio aut temperanter etiam vivat propter honestatem naturalem ; esse id opus fortitudinis & temperantiæ peculiare: sin autem idem illud faciat propter Deum, id à charitate esse:non tantum enim à charitate illud est,sed à fide quoq;&spe,&c.cũ ex ęquo id competat omnibus Theologicis virtutibus quidquid moralis est virtutis,seu quicquid moraliter recte fit,adeoq; propter honestatem tantum & Deum ut auctorem naturæ id elevare,& referre in eundem tanquam auctorem gratiæ; & qui fortiter præliatur aut castè vivit propter Deum,non ideò hoc tantùm facit, quia Deum supernaturaliter diligit,sed & quia hoc eodẽ modo in ipsum credit,& spem in eo collocat. Quemadmodum itaque Arist.3.ethic.3.1. c8. magnanimitatem dicit virtutum cæterarũ esse quasi ornamentũ quoddam, eique inesse quidquid est magnum in reliquis,magnanimum item fortiter pugnare, nec injuriam cuiq; facere,aut turpe quidquam committere,ideò tantùm, non quod eius officium sit ista certis virtutibus imperare, aut ad opera eas illas admovere, sed quia, ut ipse subiicit, sine reliquis virtutibus magnanimitas non paratur: ita etiam charitas dicitur omnia credere,

omnia sufferre, omnia sperare, nec munus tamen eius est ut ista certo modo producat, sed ideò ei tribuuntur, quod ipsa ceteras illas virtutes præsupponat, aut secum trahat, à quibus ista propriè sunt. Hæc ad exemplum de charitate. De furto autem propter fornicationem commisso, facilior etiam responsio est: sicut enim actus unius vitii referri potest ad actum alterius, ita etiam actio unius virtutis tendit sæpè ad actionem alterius. Sed hoc omne per accidens fit, nec ideò opus est, ut una & peculiaris aliqua sit quæ per se id agat, multo minus quæ omnes illas ad communem finem dirigat, cum cunctę ultrò, ut supra diximus in eum colliment. Quemadmodum igitur, si quis ob libidinem tantùm explendam furetur, actus is est iniustitiæ, sed propter intemperantiam commissus: ita quoque si exercitum privato sumtu conscribat fortis ut patriæ succurrat, magnificentiæ opus est, sed ad quod fortitudo eum instigavit: unde id liquet virtutem unam excitare, & ad opus proprium admovere posse alteram, ut rectè hoc dicit Soto, nec tamen aut per se id fit, aut inde efficitur, unam peculiariter ideo institutam esse ut hoc faciat. Hucusque de primo argumento.

VIII. *Ad secundum.* In altero conceditur Maior, scil. si probè quis sit affectus ad rectè agendum propter honestatem ut particulare bonum, qui tamen non item affectus sit ad idem agendum propter bonum publicum, & contra, opus esse distinctis virtutibus, quarum una illud, altera istud præstet. Sed Minor negatur: nam quod experientia dicitur

citur hoc testari id si penitiùs inspiciatur nihil est. Certè qui abstinet & temperanter vivit amore honestatis, seu quòd sic vivere pulcrum existimat, is nullo modo aut contemnere leges potest de temperantia publici boni causa latas, aut magistratum odisse diligentem earum custodem: quin potius ille, quãtum in ipso est, vult omnes homines sui similes esse, adeoque leges istas communiter obtinere. Quod si tamen idem ille magistratum oderit, facit aliâ utique de causa, puta vel ambitione ductus, quod ipse malit imperare quàm alteri subjectus esse, vel quia alioquin privata simultas cum eo qui magistratum illum gerit ipsi intercedit. Sed hæc nihil ad nostrum institutum: nec enim si hunc aut illum magistratus honore indignum quis censeat, ideò & leges abrogatas cupiet, quas ipse salutares esse judicat. Ad eundem modum qui operatio mercedem debitam solvit (nam & hoc exemplo utitur Soto) ideò ut fidẽ servet, odisse nec leges potest quæ hoc præcipiunt, cum necessum sit ut leges istas bonas esse statuat. Si dixeris, non facere tamen eum illud propter leges, sed propter se ipsum, concedo non facere propter leges, si facere aliquid propter eas opponatur illi, quod per se honestũ est, & sic intelligatur, formidine pœnæ quẽquam facere quod aliâs non faceret, vel noluisse facere nisi imperatũ esset, cum virtutis non sit, eo sensu propter leges rectè agere. Facere autem eum id propter se ipsum nego: nec enim quis dici potest fidẽ servare propter seipsum, nisi uti-

litatis suæ causa potiùs quàm honestatis quid faciat, puta ne si quem semel defraudarit, postea ejus opera potiri nequeat, &c. Manifestum itaque ex his est, non requiri aliam virtutem, quæ doceat agere quod honestum est, aliam quæ quod salutares leges propter commune bonum præcipiunt, & distinctionem illam agere propter honestum particulare & agere propter honestum commune sine causa excogitatam esse. *Ad tertium.* Ad tertiam rationem dicitur obedientiam non esse peculiarem speciem virtutis juxta Aristotelem, sed ipsam illam, de qua quæstio est, justitiam universalem, adeoque principium peti, quum ita probatur justitiam universalem speciem virtutis esse, quia sit obedientia. An autem obedientia, prout est virtus Theologica, specie distincta sit à cæteris ejus generis virtutibus nihil hîc attinet disputare.

VIII. Ad primum locum Aristotelis. Postremò loca quæ ex Aristotele allata sunt partim ex solutione argumentorum, partim ex iis quæ superius in explicatione nostræ sententiæ dicta sunt facilè intelliguntur. Breviter itaque ea tantùm percurremus. *Quare dicatur magistratus virum ostendere.* Quod autem primò dicit multos rectè uti virtute dum sibi vivunt, qui tamen ubi ad rempublic. accesserint, idem non præstent, nihil mirum est, cum perfectior gradus virtutis requiratur, ut rectè ibi quis se gerat; ubi plures occasiones sunt delinquendi, quàm ubi aut nullæ aut paucæ. Sic sæpè qui nihil avarè, nihil injustè egerat privatus, idem postquam ad rempublicam accessit, avarus & injustus fit, quòd major sit occasio. Imò sæpè virtu-

virtute vera prædítus videtur dum privatus esset, qui postmodum ubi in lucem prodijt, nihil quidquam ejus possidere deprehenditur. *Multorum quia imbecilli sunt latent vitia, non minus ausura cum illis vires sua placuerint, quàm illa qua jam felicitas aperuit. Instrumenta illis explicanda nequitia desunt. Sic tutò serpens etiam pestifera tractatur dum riget frigore. Non desunt tunc illi venena, sed torpent. Multorum crudelitas & ambitio & luxuria ne paria pessimis audeat, fortuna favore deficitur. Eadem velle eos cognosces da posse quantum volunt*, ut egregiè hoc exponit Seneca epist. 42. Quod itaque magistratus ostendere virum dicitur inde est, non quod peculiari virtute opus habeat, sed quod omnibus virtutibus perfectioribus, seu quòd rectiùs ostendat, quantum in studio virtutis quis processerit, quam vita privata.

Alter locus ex 5. politic. cap. 3. paulò plus difficultatis habet. Docet Aristoteles aliam esse virtutem civis boni, aliam viri boni, idque tribus his argumentis. Primò civis dicitur cum respectu ad rempublic. estque tum bonus quum sic se gerit, ut ex usu est ejus reipubl. in qua vivit, seu bona illa sit seu mala. At vir bonus non est, nisi qui perfecta & consummata virtute præstat & sic vivit examussim ut honestas jubet: unde nec tyrannidis nec oligarchiæ aut alius pravæ reipublic. instituta probare, aut iis obtemperare potest. Deinde etiam in opt. republ. non possunt omnes cives esse viri boni, cùm tamen necessum sit, ut omnes sint cives boni. Tertiò civitas constat civibus specie dissimilibus, sicut pluri- IX. *Ad secundum locum.*

bus hoc contra Platonem ostenditur 2. Politic. cap.1. Vnde multa sunt, quæ bonum civem efficiunt. At quod virum bonum reddit uniforme est, perfecta scil. & omnibus numeris absoluta virtus. Ex quibus cunctis manifestò constat non ilicò esse qui civis est bonus virum item bonum, nec hujus munus aut virtutem coincidere cum officio & virtute illius. Hæc ita disputat philosophus. Verum res ipsa docet, non accipi hic vocabulum virtutis propriè, seu pro virtute morali, sed communiter seu pro quavis facultate vel proprio rei munere & functione. Patet hoc duobus modis; primò enim civis bonus aliquis dicitur, etiamsi in pessima republ. Si civis bonus est in tyrannide, qui oppressâ libertate ad unius libidinem & dominatum contra jus fasque omnia transfert, optimos quosque extirpatos, scelestissimos autem & flagitiosissimos rebus omnibus quam ornatissimos esse cupit, immò nemo alius est in ista republ. civis egregius, nisi iste. Ecquis verò hoc dixerit virtutis esse, si de vera & morali virtute loquaris? Deinde si virtus civis boni est virtus moralis, puta obedientia erga leges, jam vel nemo erit civis bonus in mala republica, vel etiam obedire injustissimis & impiissimis legibus virtus moralis fuerit: ejusmodi enim oportet leges esse in depravatis rebuspubl. ut ex 3. politic. cap. 7. notum est, Nihil ergò certius est quàm quum dicitur, aliam esse virtutem viri boni aliam civis boni, intelligi aliud esse id unde quis vir bonus, aliud etiam unde civis bonus fit & dicatur. Nec ad rem facit ex-

cit exemplum de remige: etsi enim munus ejus præscindi mente potest & considerari citra respectum ad salutem navis, reverà tamen ideò tendit: unde disertè dicit Philosophus licet proreta remex & gubernator peculiare quisque munus gerat, omnes tamen salutem navis propositam habere, imò hanc omnium eorum aliquo modo opus esse. Vltimus locus verbo expediri potest. Facit sanè Aristotel. objectum aliud justitiæ universalis, aliud particularis, sed ita ut unum includat alterum, seu ut differant tanquam commune & minus commune, non tanquam specie distincta, sicut etiam Acciaiolus id observat. *Ad tertiũ & ultimum.*

Vnum adhuc monere libet antequam ab explicatione justitiæ universalis abeamus. Diximus justitiam superaddere virtuti respectum ad alium, seu hoc inter virtutem & justitiam interesse, quòd illa præcisè spectet subjectum in quo est, idque bonum reddat, & benè agere faciat, ut dicitur 2. ethic. cap. 6. text. 30. hæc verò ad alios porrigatur. Vbi sciendum relationem istam ad alios de diversis suppositis, ut Philosophi vocant, seu distinctis hominibus vel personis intelligendam esse, non de partibus aut potentiis diversis in uno eodemque supposito seu homine: sicut enim actiones propriè sunt ipsius suppositi non partium ejus, nec dici potest anima irasci aut timere, nere aut ædificare, sed homo qui animam habet, ut traditur 1. de anima c. 4. tex. 64. ita etiam justitia nõ est nisi hominis ad hominem, seu personæ unius ad alteram, nec nisi per metapho- *X. Quomodo justitia referatur ad alium.*

ram tantum aliquam ad partes suppositorum transfertur, sicut id docent Aristoteles 5. ethic. cap. ultim. Thom. 2, 2. quæst. 58. artic. 2. Soto libr. 3. de justit, & jur. quæst. 2. artic. 2. Observandum autem hoc est propter Platonem, qui 4. *de republic.* justitiam universam non tàm inconvictu ipsorum hominum; quàm concentu partium animæ cujusque, sicut & injustitiam non in eo si homo hominem lædat, sed in illarum itidem seditione & dissidiis positam multis contendit. Locum unum adscribemus, *Revera quidem talis,* inquit *justitia est, at non circa actionem exteriorem, sed circa interiorem, circa nosmetipsos & nostra, dum quisque nostrum non permittit quidquam suorum aliena agere, neque ex tribus animæ generibus unum alterius munus occupare, sed planè sua ipsius rectè disponit, & sibi ipsi imperat, seque ipsum moderatur, utque sibi cum primis amicus reddatur tria illa inter se contemperat, tanquam tres harmoniæ terminos summa chorda, ima & media.* Hæc Plato, quibus similia illic passim reperiuntur. Sed manifestò abutitur voce justitiæ: etsi enim ab harmonia & concentu illo facultatum animi inter se universa virtus adeoq; & justitia dependet, imò hæc est virtutum omnium summa, animum ita compositum habere: sicut tamen facultas una animi alteri injuriam non facit, puta quando inferior rebellat superiori, ita nec justitia propriè est quum una earum cum altera concordat, sed quum homo ipse, animo ita ad concordiam redacto, sic cum altero vivit ut fas est, & leges jubent. Non animadvertit hæc Christoph. Ehemius

Plato minus rectè relationem istam accepit.

Error Ehemii.

mius libro quinto de princip. juris cap. 3. unde occasione ex loco illo Platonis arrepta justitiam universalem duplicem facit, absolutam & relatam seu politicam, illamque omnium animæ virtutum comprehensionem & totius animi rectitudinem esse dicit, hanc verò vinculum societatis hominum & partium reipubl. Absolutam autem illam vocare se ait ideò, quod animæ tantum vires moderetur, neque quidquam aliud propositum habeat, ut & hanc relatam, quòd ad alium referatur, item politicam, quia in societate & republic spectetur. Sed hæc ut nova sunt, ita omni fundamento carent: semper enim Iustitia dicitur ad alium, ut ex 5. ethic. c. 1. & voce ipsa intelligitur, nec quam ille justitiam absolutam vocat aliud quidquam est, quàm ipsa virtus nuda, seu virtus in se spectata, & citra illam relationem quam justitia involuit, quaque solâ à virtute distingui ab Aristotele dicitur. Et tantum etiam hac de re.

Hæc ergo est justitia illa universalis sive legalis. Cui ex adverso respondet injustitia ejusdem rationis: sicut enim justitia illa virtus universa est, ita hæc injustitia totum vitium complectitur, quæque de illa dicta sunt eadem servatâ proportione etiam isti accommodari debent. Hoc tantum interest, quod justitia universalis in uno numero homine sive uno individuo esse potest, injustitia ista secundum totam suam latitudinem non potest: neque enim vitiorum mutua contrarietas id permittit. Sic homo unus idemque avaritiâ simul & prodigalitate, audacia

IX. *Injustitia universalis.*

dacia & timiditate, nimia lenitate & crudelitate laborare nequit, cum unum illorum vitiorum alteram sua natura pellat. Neq; tamen hoc impedit, quo minus ista ratione injusti dicantur qui omnibus vitiis oppleti sunt: tantum enim vitiorum tum intelligitur quantum cadere in unum hominem potest.

XII. Quid nomine justitiæ & injustitiæ intelligatur una exceptione vocabuli ostendimus. Sed est & altera acceptio longè illa priore arctior & strictior, ut initio diximus. Hac justum appellamus illum tantum, qui de bonis externis suum cuiq; tribuit. Rem ita se habere sic ostendit Aristoteles 5. ethic. c. 2. Primò, si plus justo capere de bonis externis ad nullam cæterorum vitiorum pertinet, erit peculiare aliquod vitium quod injustitia dicitur. Sed ad nullum aliud pertinet, ut inductione probari facilè potest. Deinde si quis adulterium committat non tàm propter libidinē, quàm propter defraudandum alterum, ille non tàm intemperans quàm injustus vocatur. Vtrūque tamen est contra leges. Alia ergò acceptione injustus dicitur, quàm cum quis simpliciter contra leges peccat. Tertiò omnes actiones quę sunt contra leges nomē peculiaris alicujus vitii nanciscuntur. Sic qui locum deserit in acie timidus & ignavus est, qui voluptates corporis sectatur intemperans, &c. At plus ex re aliqua lucrari quàm debebas cæterorum vitiorum nomine non censetur. Quare hoc facere peculiare vitium est. Quod si autem injustitia, nonnunquam pecu-

Iustitia particularis.

peculiare vitium est, à cæteris vitiis distinctum, est utique & justitia interdum peculiaris aliqua virtus. Hoc igitur est justitia altero illo vocis significatu. Quæ cum sit pars virtutis tantùm & una ejus species Aristot. ipsam vocat τὴν ἐν μέρει & τὴν κατ' μέρος δικαιοσύνην. Vulgò justitiam particularem dicunt: etsi enim illa cum justitia universali in eo convenit, quod utraque respectum includat ad alium, differt tamē ab ipsa tanquam pars à toto. D. Thomas & qui cū eo hîc faciunt, particularem ideò dici putant, quod cum justitia universalis circa totam communitatem & bonum publicum occupetur; hæc particularia bona tantùm & particulares sive singulares homines respiciat. Vide Thomam loco supra citato artic. 7. in corp. & Gregorium de Valent. loc. cit. Sed sicut aberrant à veritate & mente Aristotelis in cæteris; ita etiam hic manifestò impingunt.

XIII. De justit. universali peculiaris tractatio non instituitur.

Exposuimus hactenus quotupliciter vox justitiæ & iniustitiæ accipiatur, & quænam dicatur iustitia universalis quæ particularis. Cæterum de iustitia universali peculiaris tractatio instituenda non est: cum enim ipsa, ut ostendimus, sit universa virtus, tum explicata fuerit cum singulæ species virtutum pertractatæ fuerint. De particulari ergò ulterius despiciendum est, & accuratè explicandum, quid sit & quotuplex. Plato 1. de republ. adfert definitionem iustitiæ attributam Simonidi, sed, ut ipse ostendit, falsò τὸ ἀποδιδόναι, ἄν τις τι ὀφείλῃ τῷ ἄλλῳ. Reiicit autem eam duabus de causis, primò quia furioso gladius

gladius reddendus non est, quem ab eo acceperas, deinde quia justus ubi malum accepit non reddit, nec si quis malus ipsi nocuerit contra ei nocere studet. Vnde perinde esse ait, ac si ita eam describas: justitia est quum benè fit bonis & malè malis. Eodem libro disputat contra Socratem Thrasymachus sodhista, justum id esse quod potentioribus in republ. sit utile. Sed hic cum à Socrate ibi rectè refutatur, tum ipse tam absurdus est, ut longam refutationem non mereatur. Aristoteles etsi naturam ejus diligenter exposuit, ut ex doctrina illius facilè sit justitiam definire, ipse tamen certam & accuratam ejus definitionem nusquam assignat. Sanè dicit in principio 5. eth. cap. 1. text. 1. justitiam esse qua justa volumus & facimus, & cap. 5 text. 60. quia justus dicatur aptus ad agendum ex proæresi illud quod iustum est, &c. Quin & libello de virtutib. ait, iustitiam esse virtutem animi distribuentem id cuiq; quo dignus est. Sed nihil horum pro accurata definitione haberi potest, nec eo fine sine dubio ab Aristotele allata sunt, etsi eo loco illa ex 5. libro habent Thom. Soto & alii. Ehemius de princip. iur. libro quinto capite quinto dicit, descriptiones tantū esse nec tam naturam & substantiam iustitiæ quàm vim & proprietatem eius exprimere, ideò quod ex actione & effectu rē explicent. Sed hæc causa nulla est: nec enim melior definitio virtutis ulla esse potest quàm quæ per proprium actum & obiectum naturam eius exponit, ut rectè dicit Soto loco citato artic. 1. & passim Aristoteles

Definitio iustitiæ particul. apud Aristotelem.

teles re ipsa comprobat. Id in ijs quæ ex quinto ethic. desumuntur desiderari potest, quod communiter tantum natura justitiæ illis delineetur, imò solum vocabulum explicetur: sicut enim si dicas fortitudinem esse qua fortiter agamus, temperantiā quá temperanter, non definitiones sed vocum tantum explicationes sunt, aut leves certe & obscuræ descriptiones, ita etiam hic res se habet. Illa autem desctiptio ex lib. 1. de virtutibus ideò hoc loco reijcienda est, quod soli justitiæ distributivæ competat.

Et hanc caussam esse puto, quare auctores etiam nostri retineant potissimum definitionem justitiæ quæ est apud ICtū l. 10. ff. de just. & jur. & instit. eod. in princ. Iustitia est constans & perpetua voluntas jus suum cuiq; tribuendi. Thom. loc. cit. Dominic. Soto l. 3. qu. 2. art. 1. & Valentia punct. 1. imò hanc explicationem esse ipsa Aristotelica Soto dicit. Censet tamen Thomas magis eam ad formam definitionum exquisitarum quadraturam si hoc pacto concipiatur: Iustitia est habitus secundum quem aliquis constāti & perpetua voluntate jus suum unicuique tribuit. Cæterum etsi non ignoro definitionem istam à ICtis nonnullis & Thoma quoque ad justitiam etiam universalem accommodari: dubiū tamen non est, quin rectius particulari competat, ut post ostendetur. Buridanus 5. eth. q. 2. id in ea reprehendit, quod non omnes actus justitiæ complectatur, cum ex tribus illis præceptis juris, honeste vivere, neminem lædere &

XIV. Definitio eius apud Iurisconsultos.

Buridan. immeritò eam reprehendit.

jus

jus suum cuique tribuere, quæ statim à ICto subjiciunt, ultimum tantum eâ exprimatur. Sed rectè hæc confutat Soto: honestè enim vivere non est actus uni virtuti peculiaris, sed communis omnibus: illud autem neminem lædere includitur in isto, suum cuique tribuere, ut posteà melius intelligetur. Vtut itaque hæc tanquam tria & distincta præcepta juris proponat Vlpianus, rectè ne an secus nunc non disputamus, peculiares tamen aut distincti actus justitiæ non sunt, nedū omnia ista in definitione ejus exprimi necessum fuerit.

XV. *Explicatio definitionis.* Dicitur autem justitia voluntas *constans & perpetua*, ut intelligatur non tàm de actu aliquo quā habitu voluntatis sermonem esse: ita enim alteri jus suū tribuere velle, ut constanter & perpetuò id facias solius habitus est. Sanè semel atque iterum velle quod justum est etiam injustissimo competere potest, cum nemo tam injustus facile esse possit, quin interdum illud velit quod justum est. Quare ut justus quis sit, perpetuò & constanter id fieri oportet. Soto & ex Jurisconf. Paulus Castrensis ad l. dict. ff. de justit. & jur. distinguunt vocabula illa *constans & perpetua*. Soto ait, perpetuum dicere solum propositum atque intentionem sic operandi, constans autem addere ejusdem propositi firmitatem, nempe, ut eo quis non nutet & vacillet, idque nemini obtingere antequam virtutem ipsam adipiscatur, cum tamen propositum illud rectè semper agendi multi habeant, qui quia firmis radicibus virtutis non nitantur identidem ab eo dilaban-

Soto malè hic distinguit inter constans & perpetuum.

labantur. Sed errat: etsi enim longè aliud est voluntas seu propositum perpetuò aliquid agendi, aliud constans voluntas id agendi, cum prius illud de uno etiam actu intelligi possit & in eum quoque cadat qui in re aliqua nihil dum confirmatus est, imò vix initiũ ejus aliquod habet; nihil tamen hoc ad rem facit, cum non dicat Ulpianus justitiam esse voluntatem jus suum cuique perpetuò tribuendi, sed voluntatem perpetuam hoc faciendi. At hæc toto cœlo distant. Sic sæpe incontinens quum expletâ jam libidine pœnitentia ducitur proponit animo & vult perpetuò deinceps abstinere: Volũtatem igitur tum habet perpetuò à re simili abstinendi: sed ipsa voluntas ista non est perpetua: quin paulò post, ubi iterum est quod animum pellicit, novâ victus cupiditate aliud vult & denuò proruit in id quod perpetuò fugere ante hac decreverat. Quod si autem in quoquam perpetua voluntas sit abstinendi; is constanter hoc agit & nunquam non id vult, sicut temperans. Ad eundem modum res etiam hîc se habet. Non constituit justitiam voluntas seu propositum tantum aliquod jus suum cuique tribuendi, sed perpetua voluntas id faciendi, hoc est, non sufficit semel atq; iterum animo proponere, neminem te læsurum unquam, aut cuique id non concessurum quòd ipsi debetur, sed perpetuo ita animatum esse oportet, quod utique sine habitu fieri nequit. Unde patet absq; causâ virum doctissimum inter voluntatem perpetuam & constantem distinxisse.

piam addatur, si minus habet quam debet, (quod minus vocatur generatim, in hac materia à Philosopho 5. Ethi. cap. 5. damnum) tum etiam ut quippiam & detrahatur, si plus habet quam debet (quod plus seu superfluum vocatur ibi lucrum) ut notat Thom. art. 11. ad tertium. Ex quare patet reddi iuxta definitionem hanc ius suum ei etiam, qui secundum justitiæ leges punitur, per subtractionem nimirum alicuius boni sui ut redigatur ad æqualitatem cum eo, cui iniquè ipse abstulit. Sed nescio an ista explicatio usquequaque recto talo stet: certè jus suum reddi aut tribui, exempli gratia furi, cum suspenditur, aut jus ejus hoc esse, ut suspendatur, admodum impropriè dicitur, sicut etiam jus cujusquam esse ut onera ferat quæ ex scripto justitiæ imponuntur, cum jus in bonam tantum partem plerunque accipiatur.

Valentiæ sententia hac de re.

Confutatur.

Ius itaque suum tribui alicui hic sine dubio ita intelligendum est, ut fiat, quatenus in pœnæ inflictione alterius interest, ut delictum puniatur, & quatenus in onerum æquali & justa distributione cæteris subvenitur, quibus onera illa simul imponuntur. Ita bonum non est ipsi furi, ut suspendatur, nec illi iniuria fit, si non suspendatur, etsi ejus interest, cui quid furatus est. Ad eundem modum bonū nemini est, onus ei imponi, etsi iustè fiat, sed ita id imponi, ut æqualiter simul alii ferant. Sanè cum ius alicuius id propriè dicatur, quod sic ei debetur, ut citra ipsius iniuriam, & ni iniquus esse in ipsum velis, denegari ei nequeat, nemini autem iniuria fiat cum à pœna etiam iusta & debita, aut onere aliquo sublevatur; ta ius suum unicuiq; tribui in omni actu iustitiæ

XVIII.
Verus intellectus verborum istorum.

dicendum est,ut de bonis quidem quisque accipiat,quantum ipsi simpliciter debetur, seu ita ut sine ipsius injuria denegari hoc ei non possit, de malis autem h. e. pœnis & oneribus illud ferat, quod ita ipsi debetur, ut citra alterius injuriam ab eo immunis præstari nequeat. Non minus itaque jus cuique suum tribuitur cum pœna sontes afficiuntur, quàm cum præmiis optimè meriti: quemadmodum enim his præmia denegari non possunt circa ipsorum iniuriam,ita nec à pœna illi liberari citra iniuriam aliorum.

XIX. *Quomodo accipienda vox tribuendi.* Postremò vox *tribuendi* ita hic accipienda est; ut non tantum distributioni sed etiam commutationi iterum aptetur:nam & emptor,cum pretium persolvit mercium venditori, ei suum tribuit. Sciendum quoque est cum actu tribuendi cuique jus suum connexum esse etiam actum abstinendi ab iniuria; sive ut neminem lædas: uterque enim ad iustitiam pertinet,sed posterior à priori includitur, ut isto nominato etiam ille subintelligatur,si ut id docet Soto loc.cit. art.7. Quin Wesenbecius in paratit.de iust.& iur.numer.10 etiam vocem *cuique* peculiariter aliquid denotare putat,indeque differentiam inter iustitiam & liberalitatem exculpit;sed planè,ut arbitror,citra necessitatem,cum quod ex liberalitate cuiquam conceditur ad ius nullius spectet, neu debere ei id dici possit seu ratione speciei, & quâ homo est,seu prout est hoc vel illud individuum, nisi abutendo vocabulis iuris & debiti. Atq; ista hactenus.

XX. *Definitio-* Ex his ergò definitio iustitiæ percipi potest. Et

Et patet jam præterea quod suprà diximus soli particulari justitiæ eam revera convenire: justitia enim universalis etsi facit, ut omnia fiant secundum jura & leges, jus tamen suum cuique tribuere ad solam particularem pertinet, nec illi competit nisi quatenus particularem certa ratione includit. Id ità ostenditur: nullus est actus justitiæ universalis quin vitam conformem reddat juri & legibus: docet ergò facere quod juris est, hoc est, quod jura præcipiunt. At multi sunt à quibus jus alteri suum non tribuitur. Sic sobriè temperanterque vivere, fortiter pugnare, mitem ac mansuetum esse, juris est: leges enim in republica benè constituta sic jubent. Sed hoc non est propriè jus suum alteri tribuere, cum citra alterius injuriam & damnum seu incommodum etiam intemperans & timidus quis esse possit. Equidem usu venit, ut qui intemperans aut timidus est, idem etiam injuriam alteri faciat, sed id est ex accidenti, nec semper fit. Ita quanquam adulter non tantum intemperans sed etiam injustus est, intemperans ob libidinem simpliciter, injustus, quia cum ea muliere consuescit quæ alterius viri est, helluo tamen intemperans tantum est & injuriam, quà talis nemini facit: quamvis enim quotidiè se ingurgitet, jus tamen suum alteri non eripit aut ei quidquam derogat: sed nihilominus tamen contra jus facit, id est, in leges Reipubl. peccat. Quare aliud est contra jura & leges vivere, aliud jus suum alteri eripere, atque adeò aliud etiam se-

nem explicatam soli particulari justitiæ competere ostenditur.

cundum iura vivere, & ius suum cuique tribuere. Vnde porrò concluditur cum prius illud sit iustitiæ universalis simpliciter, posterius ei quà talis est, competere non posse. Sed hæc ICtis disputanda relinquimus.

XXI. *Alia definitio justitiæ ex Arist. concinnata.*

Nos unum tantum istud adhuc observamus. Quamvis definitio illa Vlpiani, si explicetur ut explicata nunc est, rectè usurpari sine dubio possit, & ideò à nobis allata sit: potest tamen, ut etiam supra meminimus, ex Aristotele, si non melior, at æquè proba & clara insuper definitio justitiæ construi ad hunc modum: justitia est virtus, quæ tam in rerum distributione, quam commutatione ac contractibus & omnibus in quibus injuria cuiquam fieri potest, ita hominem se gerere docet, ut nec de externis bonis, puta pecuniis, honoribus & id genus aliis, plus sibi vendicet, & minus alteri relinquat, nec rursus de malis, id est, oneribus, pœnis &c. minus sibi & plus alteri, quam par est & jure illi debetur. Quæ definitio etiam hoc alteri illi præstat, quod non tantum objectum justitiæ disertè exprimit, sed insuper ostendit quænam hic sit medii sive mediocritatis

Quæ sit ratio medii in justitia.

ratio. Multum autem ea differt à medio in quo consistunt virtutes cæteræ, ut docetur 5. Eth. c. 5. t. 4. Primò enim cum illæ omnes obtineant medium inter duo distincta vitia & duas contrarias

Iustitia non est medium.

actiones, quarum una modum simpliciter excedit, altera contrà tantum deficit, justitia inter duo extrema talia interjacet, quorum utrumq; est in una ac eadem actione, Et hæc extrema sunt plus & mi-

& minus. Itaque exempli gratia defraudat alterum, una actione & modum excedit & deficit; excedit, quia plus sibi sumit quàm par erat, deficit quia minus quam oportebat alteri relinquit. At longè alia ratio est in fortitudine: nam temerè omnia audere, qui illic excessus est, & nihil audere, qui est defectus, simul in una actione reperiri nequeunt. Vnde etiam fit ut reliquis virtutibus singulis duo vitia adversentur, justitię unum tantum: sicut enim illic excedere modum & deficere duæ diversissimæ, imò contrarię actiones sunt, hic verò una tantum, ita etiam excessus & defectus illic duo contraria vitia gignunt, hic unum tantum, quia una injustitia utrumque extremum includit. Hæc est prima ratio differentiæ medii in justitia & cæteris virtutibus. Deinde etiam hoc interest, quod medium reliquarum virtutum sit medium rationis tantùm, medium justitiæ etiam rei, sicut docent Thomas 2. 2. quæ. 58. art. 10. Soto lib. 3. quæst. 2. attic. 7. & Donat. Acciol, eth. cap. 3. t. 43. Ita in temperantia mediocritatem tenere, est tantum comedere & bibere quantum habito respectu personæ valetudinis, loci, &c. licet, quæ res cum multis modis variet, à recta ratione constitui debet: nec mediocritas vera censebitur, nisi ab illa constituitur. At in justitia quamprimum æqualitas tantum rei adest, puta ut nec plus nec minus quisquam sibi vendicet, quam par erat, mediocritas illa actutum etiam rationi consentit: quod si enim in rerum distributione æqualitas sit meritorum & præmiorum, in commutatione exæ-

inter duos habitus vitiosos.

Medium rei & rationis hic coincidunt.

quatio lucri & damni nullam præterea conditionem personæ, temporis aut simile quid, à ratione addi necesse est, aut inde peculiarem rationem medii arcessi.

XXII. *Quotuplex sit justitia.* Quid sit justitia hucusq; explicatum est: nunc dicatur etiam verbo quotuplex sit. Constat autem eam vulgò duplicem fieri, distributivam & commutativam. Ita docet Aristoteles Thomas & doctores communiter. Vbi id extra controversiam est, pertinere ad justitiam non tantum res rectè distribuere, sed etiam commutare: cum enim in utroque illo esse possit iniquitas, utrumque etiam æqualitatis, adeoque & justitiæ capax sit oportet. Vnde definitione quoque utrumque à nobis expressum est. Id tantum quæri poterat, an ita justitia sit duplex, ut ipsa unum genus, & iustitia distributiva & commutativa duas veras sub illo genere species constituant, an iustitia sit species specialissima tantùm, qui propter diversas aliquas rationes aut diversos solummodò modos ita dispescatur. *Iustitiam habere veras species negat Buridan.* Non esse veras species sentit Buridanus, ut citant, 5. Ethic. quæst. 7. cum enim tam distributiva quàm commutativa iustitia æqualitatem in rebus efficere studeat & tantum una alium modum eius quàm altera observet, statuit ille unam quoque infimam speciem esse iustitiam, sed duplicem vocari, quòd duplex in ea ratio sit res ad æqualitatem redigendi. *Refutatur.* Verum altera sententia communis est & sine dubio verior. Ita expresse docet Aristoteles non tantum enim caput 5. Ethic.

3. post-

3. postquam egerat de iustitia distributiva sic concludit: *Hac igitur una est species justi*: sed etiam c. 4. ita orditur: *Restat iustum quod est in emendandis commerciis, tam iis quæ sponte exercent homines, quam quæ inviti: hoc autem aliam habet speciem à priore.* Et iam ante cap. 2. sic scripserat: *Iustitiæ eius quæ est pars & ejus quod ad ipsam attinet iusti, una quidē species est ea quæ in distributione consistit aut honoris aut pecuniarum aut cæterarum rerum, quæ inter eos dividi possunt qui in eadem societate civili versantur, &c.* Idem docet Th. 2. 2. q. 61. a. 1. Soto lib. 3. quæ 6. art. 1. Gregor. de Valent. loc. cit. disp. 5. q. 5. p. 1. Estq; ratio in prōptu; nam sicut distributio à commutatione & æqualitas geometrica ab arithmetica non tantum peculiari modo, ut Buridanus vult, sed tota specie differt, ita etiam iustitia quę circa distributionem illam versatur, differat oportet ab altera quæ circa commutationem.

Tantum in explicanda differentiâ illa specifica nonnihil difficultatis est. Thomas ita exponit: *Iustitia particularis*, inquit, *ordinatur ad aliquam privatam personam quæ comparatur ad totum. Potest autem ad aliquam partem duplex ordo attendi, unus quidē partis ad partem, cui similis est ordo unius privatæ personæ ad aliam, & hunc ordinem dirigit iustitia commutativa, quæ consistit in his quæ mutuò sunt inter duas personas ad invicem, Aliis ordo attenditur totius ad partes & huic ordini assimilatur ordo eius quod est commune ad singulas personas, quem quidem ordinem dirigit iustitia distributiva, quæ est distributiva communium secundum proportionalitatem*, Ita Thomas Caietanus ista omnia in

XXIII. *Quæ sit hic differentia specifica.* D. Thomæ opinio.

 pau-

pauciora sic contraxit; *Legalis*, inquit, *justitia dirigit partem ad totum, distributiva totum ad partes, commutativa demum partes inter se.* Idem docet Soto & Dorbellus 5.eth. 2.

Quid in ea desiderari possit.

Sed hæc nisi cautè accipias usquequaque vera non sunt; quanquam enim, ut optimè hic notat Gregorius de Valentia justitia distributiva id involuit; ut rectè se habeat tota communitas ad singulas suas partes, id est, Respub. ad cives, quũ ad eam pertineat tam bonorum quam malorum inter cives distributio, formalis tamen ratio justitiæ distributivæ non tam posita est in habitudine illa communitatis ad partes suas, quàm in ordine omnium partium ejus inter sese. Caussa patet, tum enim præmia justè & rectè distributa censentur, cum ita se habet præmium unius civis ad præmium alterius, sicut se habet meritum unius ad meritum alterius. Quæ proportio & æqualitas cum non sit inter Rempublic. ipsam & eius cives, sed inter cives tantum (etsi distributio illa à Republic. instituitur) necesse est justitiam quoque, quæ reperitur in distributione illa, consistere præcisè in ordine partium Republic. ad se invicem. Idque aperte docet Aristoteles 5.ethic.cap.2. loco quem iam iam allegavimus: *justitia distributiva est*, ait, *quæ in distributione consistit aut honoris, &c. aut cæterarũ rerum quæ inter eos dividi possunt qui in eadem societate civili vivunt.* Adde quod inflictio pœnarum & vindicatio iniuriæ factæ pertinet ad Rempubl. & tamen actus justitiæ cõmutativæ est, & consistit in ęqualitate,

quæ

quæ est inter eum qui iniuriam fecit & qui iniuriam passus est. Quod si actus iustitiæ commutativæ & tamen ad publicam potestatem eius exercitium pertineat ipse Thomas fatetur 2. 2. q. 108. art. 2. *ad primum*, etsi prout consideratur vindicatio illa in persona læsi, ad specialem virtutem ipsam refert.

Quapropter alia ratio differentiæ quærenda est: est autem iuxta Valentiam hæc, quod distributiva iustitia bona & mala communia, id est, tam præmia quam onera quæ ad partes communitatis spectant ea proportione & æqualitate iis distribuit quâ hoc fieri par est, id est, geometrica: commutativa autem bona & mala cætera cuiq; tribuit quæ privatim ipsi debentur, idq; alia, hoc est, arithmetica proportione. Hæc ad eũ ferè modum explicat Valentia. Cui suffragatur Molina tom. 1. de iust. tract. 1. disput. 12. num. 3. & differentiam in duobus hisce ponit, in ratione debiti & ratione æqualitatis. *Iustitia distributiva*, inquit, *respicit illud debitum quo aliquid ea ratione alicui debetur quod pars sit communitatis, bonaq; Reipubl. si in ea redundent dividendaque sint, partibus Republ. debeantur*, &c. *Iustitia verò commutativa respicit quodcunque aliud debitum, quod quovis alio titulo cuique debetur.* Hæc ille Deinde addit quæ nos iam ante attulimus de diversa proportione, quæ in utraque specie iustitiæ observatur. Quin ipse Soto differentiã hãc ponit ex parte in diversa ratione debiti, imò ex ea præcipuè contra Burid. demõstrat justitiã distinctas species habere. Verba eius l. 3. q. 5. art. XXIV. *Sententia Valentiæ & Molinæ.*

art. 1. hæc ſunt: *Iuſtitia munus eſt debitum unicuique reddere. Eſt autem diverſa ratio debiti in diſtributiva ab illa quæ eſt commutativa. Ergò virtutes ipſa ſpecie differunt. Minor patet.* Dupliciter *aliqua res dicitur hominis, uno modo ſimpliciter, qua propria eius poſſeſſio, altero verò ſecundum quid, ut aiunt, quia ſcil. non eſt ſua propria, niſi quatenus eſt totius, cuius homo eſt pars: etenim quæ ſunt totius, quoddammodo ſunt partium.* Et *ex his naſcitur diverſa ratio debiti: alia quippe ratio eſt, quia res propria erat creditoris, alia verò quia erat totius reip. &c.* Et rurſus in reſp. ad 2. ſic ait: *Perſcrutamur differentiam illam tum ex ordine diverſo, tum ex diverſa ratione debiti, quia commutativa reddit id quod ſimpliciter debitum, diſtributiva verò id quod eſt quodammodo debitũ.* Nos totam differentiam in ſola diverſa ratione debiti collocamus: nam hæc ipſa diſtributione & commutatione naturâ poſterior eſt.

Vera ſententia.

CAPVT XII.

De juſtitia diſtributiva.

SUMMARIA.

1 *Iuſtitia diſtributiva.*
2 *Quid ſit proportio & quotuplex.*
3 *Quare doctrina proportionum hic explicetur.*
4 *Ad omnem iuſtit. quatuor concurrere.*
5 *Solam Geometr. proport. iuſtit. diſtributivæ competere.*

6. Quo-

6 *Quomodo id Thomas explicet.*
7 *Et qualis in ea æqualitas sit.*
8 *Idem statuere communem opinionem, sed dissentire Bodinum.*
9.10.11. *Bodinus refutatur.*
12 *Natura justit. distrib. adhuc accuratius explicatá.*
13 *Beneficiorum collatione ad eam non pertinere.*
14 *Vt nec contractum societatis.*

POstquam egimus de iustitia in genere, quantum satis hac vice esse putavimus, consideremus deinceps species eius, & primò iustitiã distributivam. Hæc, ut notum est, cum per se tum ex iis quæ supra dicta sunt; rerum distributione occupatur. Et sunt res illæ, ut itidem indicavimus, tam bonæ quam malæ, id est, tam præmia quam onera, & ut Aristoteles 5. eth. cap. 2. dicit, *omnia illa quæ distribui inter eos possunt & solent; qui unius civitatis cives sunt*: etsi enim ille rerum bonarum mentionem tantùm facit; & eæ quoque præcipuè huc spectant, his tamen verbis etiam mala insinuat quæ ad totam communitatem pertinent: unde ita quoq; eum exponit Thomas loc. cit. lect. 4. Diximus etiam peculiarem in illâ distributione æqualitatem sive proportionem attendi, & hanc esse proportionem geometricam. Quid igitur sit proportio & quare ea sola in omni distributione adhibeatur diligenter exponendũ erit, unde natura universæ justitiæ distributivæ intelligetur. Quod dũ facimus, operæ pretiũ non est multa huc afferre, quæ mathematici de-

pro-

proportionum natura & differentiis in geometricis aut arihmeticis tractant: nulli enim rei id futurum sit, & fieri potest, ut si anxiè nimis illa quis hic persequatur, magis doctrinam hanc Ethicam impeditam reddat, quàm explicet, sicut monet Caietanus 2.2. quæstion 61. articulo 2. & ex eo Valentia tom. 3. disputat. 5. quæstio 5. part. 1. Paucula ergo & quæ præcipue ad institutum nostrum pertinent, inde decerpemus.

II. *Quid sit.* Primò autem sciendum est, proportionem nos hic vocare quam alias proportionalitatem appellant, Græcè ἀναλογίαν: nam alioqui inter proportionem & proportionalitatem id interest, quod illa sit comparatio duarum quantitatum inter se, hæc illarum comparationum similitudo: unde illa Græcis est λόγος, hæc λόγων ἰσότης. Ita habitudo binarii ad quaternarium proportio est, habitudo item octonarii ad sedecim, sed similitudo utriusque habitudinis sive comparatio habitudinis unius ad alteram proportionalitas, ut ex tertia & quarta definitione 5. elem. Euclid. notum esse potest, & illic à Christopho. Clavio pluribus explicatur. Sed nos, ut diximus, proportionalitatem & proportionem promiscuè usurpamus. *Proportio Geometr.* Est autem eiusmodi proportio potissimùm triplex, geometrica, arithmetica & musica. *Geometrica* est, quando ita numeri progrediuntur, ut quoties primus eorum continetur in secundo, toties tertius contineа-

neatur in quarto, & quartus in quinto, & sic deinceps. Talis est in his numeris: II. IV. VI XII. Sicut enim se habent duo ad quatuor, ita se habent sex ad duodecim; & ut binarius bis continetur in quaternario, ita senarius bis itidem in duodenario. *Arithmetica*, cum numeri ita pro- *Arithmetica.* grediuntur, ut æqualis inter omnes distantia sit, id est, quantum primum superat secundus, tantum tertium superet quartus, &c. Talis proportio est in istis numeris: II. IV. VI VIII. quantùm enim distant duo à quatuor, tantundem absunt sex ab octo: sed ut binarius à quaternario superatur duabus unitatibus, ita & senarius ab octonario. *Musica* deniq; sive harmonica est, quando *Musica.* ita numeri ordinantur, ut eadem sit proportio maximi ad minimum, quæ est differentiæ intercedentis inter maiores duos ad differẽtiam quę intercedit inter duos minores. Illa est in his numeris: III. IV. VI. Sicut enim senarius bis continet ternarium, ita differentia quæ est inter senarium & quaternarium, puta binarius, continet differentiam, quæ est inter ternarium & quaternarium, puta unitatem. Cæterum tam pro- *Proportio coniuncta & disiuncta.* portio geometrica quàm arithmetica vicissim est vel continua vel disiuncta. Disiunctam vocant, cum omnes termini proportionis numeri distincti sunt: continuam, cùm unus numerus bis sumitur. Exemplum continuæ est in geometricâ hoc: XI. IV. IIX. tres enim hic tantùm numeri sunt, cum tamen quatuor termini in proportione requi-

ſine dubio ineptum eſt concluſiones hujus diſciplinæ ex principiis phyſicis demonſtrare, ut notum eſt ex Logicis, & notat Philoſophus 8. Ethic. c. 1. t. 9. ita nec ex principiis mathematicis illatum veritas oſtendi poteſt. At longè aliud eſt terminos, quos una diſciplina ex altera commodatò accipit, in illâ obiter explicare, & rerum ipſarum demonſtrationes confundere. Æqualitatem & proportionem in omni juſtitiâ requiri, aliam item proportionem competere juſtitiæ diſtributivæ, aliam commutativæ; & illi quidem ſolam geometricam, huic ſolam arithmeticam, concluſiones Ethicæ ſunt. Vnde iſtarum veritatem ex ſuis principiis Ethicus docet. Sed quid & quotuplex ſit proportio, quæ dicatur geometrica, quæ arithmetica, ſola matheſis tradit. Quare etiam inde diſci debet, an totuplex proportio eſt, quotuplicem fecimus, & an ita quæque earum deſcribenda, ſicut ſupra nos deſcripſimus. Verum quia Ethicus in rebus moralibus eatenus deprehendit ſimile quid illis, quæ in rebus mathematicis ſunt, ut terminis inde deſumptis ea explicare cogatur, terminorum illorum intellectum inde petat neceſſe eſt. Cumque idem quando dicit unam ſpeciem juſtitiæ conſiſtere in proportione geometrica, alteram in arithmeticâ, hoc velit, in una ſpecie juſtitiæ ejuſmodi quid occurrere, cujuſmodi mathematici in rebus mathematicis proportionem geometricam dicant in alterâ tale quid, quale vocent arithmeticam, explicare

Quouſq; eadem huc accômodari poſſit.

mentem suam nequit, nisi ex mathematicis supponat, quod per utramque illam proportionem propriè denotetur. Quapropter quæ sit proportio in quâque specie justitiæ, quod explicandum hic nobis sumsimus, id ex mathematicis non demonstramus, sed quid voce proportionis intelligatur inde tantùm repetimus. Ut enim termini isti illinc primum translati sunt huc, ita etiam quid per eos propriè intelligatur vel inde vel ex nulla disciplinâ cognosci potest. Sed revertamur eo unde discessimus.

IV. *Ad omnē justitiam quatuor concurrunt.*

Quotuplex sit proportio & quid earum quæque ostendimus. Antequam autem demonstremus solam geometricam justitiæ distributivæ competere, sciendum hic in universum est, sicut ad omnem proportionem quatuor termini requiruntur, ita etiam justitiam ad minimum in quatuor esse; cum omne justum sit minimùm inter duas distinctas personas, (nam ad nosmetipsos ut non est propriè injuria, ita nec justum, sicut jam suprà diximus) omnes item æqualitas minimùm rerum duarum, ut traditur 5. Ethic. c. 3. t. 23. imò nō tam continuam quam disiunctam tantum proportionem ad justitiam pertinere, quod de distributivâ disertè docetur t. 29. & sine dubio etiam in commutativâ sic se habet: etsi enim in deposito, commodato & contractibus similibus, res una videtur esse, duæ tamen sunt, cùm non tam spectetur id quod deponitur aut commodato datur, quàm lucrum & da-

& damnum, quod ex unâ illâ re oriri poteſt, & ad æqualitatem redigi à juſtitiâ debet.

V. Solam geometricam proportionem iuſtitiæ diſtributivæ competere.

His expoſitis ita oſtendimus ſolam geometricam proportionem juſtitiæ diſtributivæ competere. Res omnes, quæ in Rep. diſtribuuntur, eæ aut bonæ ſunt aut malæ: bonæ præmia, malæ onera. Vtræq; autem ſicut ad totam communitatem pertinent, ita etiam ad ſingulos cives eatenus tantum ſpectant, quatenus ejus partes & membra aliqua ſunt. Quicquid ergò præmii publico nomine confertur, id ut debetur cuiq; quatenus civis ejus Reipublic. eſt, ita etiam majus minuſve erit, prout majores aut minores cujuſque in Rep. partes ſunt. Cauſa in promptu eſt: ſi enim debentur membris propter totum, & quatenus conſtituunt illud, tribuantur etiam ijs oportet juxta proportionem quam ad totum habent. Nulla ergò juſta diſtributio præmiorum eſſe poteſt, niſi pro diverſitate civium diverſa ſint præmia. Idq; ipſa etiam experientia docet: ſicut enim Remp. conſervat, ſi quantum in unoquoq; civium eſt virtutis, tantum is præmii conſequatur: ita ſi contrà fiat, turbari eam & labefactari paulatim conſpicimus.

De præmiis.

Ἐν τῷδε γὰρ κάμνουσιν αἱ πολλαὶ πόλεις,
Ὅταν τις ἐσθλὸς καὶ πρόθυμος ὢν ἀνὴρ
Μηδὲν φέρηται τῶν κακιόνων πλέον,

Namque id perire plurimas urbes facit,
Si vir probus fortique mactus pectore,
Non auferat plus præmii quàm peſſimus,

inquit Euripides Hecubâ. Unde & Achilles Homericus ideò negat militare ſe ſub Aga-

memnonis imperio amplius posse, quòd æquali honore apud eum sit fortis & ignavissimus.

De oneribus. Ἐν δ' ἰῇ τιμῇ, inquit, ἠμὲν κακὸς ἠδὲ καὶ ἐσθλός,

Ita res se habet de præmiis. Similis est ratio de oneribus : cùm enim & ea pertineant ad totam Rempub. imponenda itidem sunt civibus, prout eorum quisq; pars Reipubl. est. At non ex æquo omnes eam participant, aut commoda illius percipiunt. Quare nec onera ex æquo ferent. Hoc ergo pacto instituenda est distributio rerum ut æqualitas & justitia observetur. Verùm hæc æqualitas vel nulla est, vel talis, qualis est in proportione geometricâ: quemadmodum enim ista in eo posita est, ut sicut se habet numerus primus ad secundum, ita tertius se habeat ad quartum: sic æqualitas illa distributionis in eo consistit, ut sicut se habet persona civis unius ad personam alterius, ita etiam præmium unius respondeat præmio alterius. Et quemadmodum proportio geometrica est, si quum exempli gratia, secundus numerus duplo major est primo, etiam quartus duplo major sit tertio : sic geometrica quoque proportio est, si cùm meritum unum duplo majus est altero, etiam præmia unius duplo majora sint præmiis alterius.

VI. Quomodo rem hanc explicet D. Thomas. D. Thomas 2.2. quæst. 61. art. 2. ita rem totam hanc explicat : *In distributivâ Iustitiâ, inquit, datur aliquid alicui privatæ personæ in quantum id quod est totius est debitum parti ; quod quidem tantum maius est, quātò ipsa pars maiorem principalitatem habet in toto. Et ideo in distributiva iustitia tantò plus alicui de bonis communibus datur, quanto illa persona maiorem habet princi-*

cipa-

cipalitatem in communitate. Quæ quidem principalis in aristocratica communitate attenditur secundum virtutem in oligarchica secundum divitias, in democratica secundum libertatem,& in aliis aliter. Et ideò in iustitia distributiva non accipitur medium secundum æqualitatem rei ad rem,sed secundum proportionem rerum ad personas. Hæc Thomas. Vbi observa, quod alias vocatur meritum erga Rempubl. & conditio cujusque personæ in Republ. id Thomæ appellari principalitatem in communitate. Deinde & hoc hîc nota,perinde esse alicujus conditionem æstimes inde,unde æstimari propriè debebat, & æstimatur in bene constituta rep.sive unde ęstimatur de facto, supposità hac aut illâ non optimâ semper rep.sic docet Arist.& ex eo repetit.Thom.ac infra magis intelligetur.

Æqualitas igitur,ut patet, heic est, non si omnes idem accipiant simpliciter,sed si idem proportione seu secundum quid. Dices,etiam planè idem interdũ accipere, si scil. personæ inter quas sit divisio,æquales sint: non tantum enim proportionem geometricam flagitaret ut inæqualia inæqualibus tribuantur, sed etiam ut æqualia æqualibus. Soto libr.1.quæst.5.art.2.resp.accidentarium istud esse justitiæ distributivæ,nec ad eam pertinere ut hoc curet, quod alias nihil differret à commutativa. Nos præterea dicimus nec contingere quidem in rerũ distributione id posse,ut omnes ij,inter quos fit divisio, æquales sint. Sanè æquales esse civium unus&alter,imò plures possunt,omnes non possunt: impossibile enim est ut *VII. Qualis hic sit æqualitas.*

omnes cives sint similes ait disertè Arist. 3. pol. c.3. Quare nec distributio quæ fit inter cives totius civitatis talis esse potest ut æqualia omnibus obtingant. De ejusmodi autem tantum distributione hic sermo est. Proportio itaque qua utitur justitia distributiva in solo eo consistit, ut sicut cives in rep. sunt dissimiles, ita etiam non omnes idem præmium sed id consequantur quod cuiq; competit.

VIII. *Idem statuit communis opinio.*

Hæc est vera sententia de proportione quam observat justitia distributiva, explicata Aristoteli 5. eth. cap. 3. quam præter Thomam sequuntur Averrees 5. Ethic. cap. 3. Soto loc. cit. Molina tom. 1. de just. tract. 1. disp. 12. n. 5. Acciaiolus 5. ethic. cap. 3. Dorbellus ibid. Conimbricens. disp. eth. 7. q. 2. art. 2. & Doctores communiter. Solus, quod sciam, eam improbat Joh. Bodinus l. 6. de rep. c. 6. Cùm enim reprehendisset Platonem & Xenophontem, quod ille justitiam geometricâ proportione, hic arithmeticâ definiisset, ista subjungit: *Hæc igitur Græcorum sermonibus pervulgata Platonis & Xenophontis contentio duabus factionibus, optimatum inquam & popularium præbuit incrementum, alteri quidem arithmeticam justitiæ rationem secuti populares status, alteri quòd opibus ac nobilitate præstarent, geometricam aristocratiæ congruentem adamaverunt. Ex his duobus tertia factio extitit, quo justitiam arithmeticam ad æqualem rerum permutationem adhibuit, sed in præmiorum ac pœnarum distributione geometricam, quæ non æqualiter omnia omnibus, sed pro cuiusq; meritis tum pœnas infligat, tum præmia largiatur. Atque hæc fuit Aristotelis sententia, qui tamen nec magistri Platonis meminit,*

Dissentit Bodinus.

nit,nec Xenophontis. Id autem animadversione dignum est, quod utramque iustitiæ proportionem seiunxerunt, harmonicæ verò iustitiæ nusquam meminerunt, nec Latinorum quisquam, aut Græcorum harmonicas rationes sive ad iuris distributionem, sive ad civitates moderandas accommodavit, quæ ipsa tamen cùm dignitate cæteris longè præstat, tum verò ad illud regale civitatis genus, quod quærimus, aristocratica quodam modo ac democratica ratione temperatum, refertur. Paulò post autem explicat, quomodo proportio harmonica ad iustitiam accommodari possit. *Lex,* inquit, *geometrica gubernandæ civitatis est, cum similia similibus copulantur, ut leges connubiales XII. tabb. patriciorum cum plebeis coniugia vetabant, ut patricii ducerent patricias & cum plebeis plebeii coniungerentur.* &c. *Si verò cautum esset, ut forte connubia quærerentur gratissima plebi lex esset, quia nobiles ac locupletes tenuibus & obscuris hominibus sortione sæpiùs obvenirent,* &c. *Sed utrumque regendæ civitatis genus suo quodam morbo laborat, propterea quod alterum tenues ac plebeios homines opprimit, alterum potentes ac locupletes opibus & dignitate spoliat. At verò harmonica gubernandi forma utrosque concentu suavissimo tuetur.* Et posteà. *Id a. harmonicis legibus optimè convenit, si plebeia locuples patricio egenti nupserit, aut patritia inops à pecuniis plebeio locupleti.* Postremò in concludit. *Igitur sive unus sive pauci sive populus universus maiestatis imperio præsit ac sine legibus civitas regatur arbitrio imperantis, qui præmia, qui pœnas, qui connubia, qui honores pro cuiusque meritis decernat, idque sine fraude fiat, (quanquam fieri non potest) hic tamen status nec diuturnus erit, nec civibus utilis futurus, quia*

Vult iustam distributionem fieri proportione harmonica.

nullum potentioribus cum infimis concordiæ vinculum intercedit &c. Contra verò de legibus iisdem ac iudiciis inflexibili norma cives omnes dirigantur, si omnes omnibus honores, uti sors tulerit, omnia omnibus præmia, nulla ratione dignitatis personarum ac meritorum legibus arithmeticis tribuantur, decus omne virtutis eo civitatis statu interire necesse est. Quemadmodum igitur simplicia medicamenta vi ac potestate dissimillima, quæ hominibus perniciem ac pestem illatura sint, simul temperata fiunt salutaria: ita quoque arithmetica & geometricæ rationes harmonica lege temperatæ, Rebusp. salutares semper futuræ sunt.

IX. *Confutatur.* Hæc Bodinus, qui latiùs etiam rem istam persequitur: nos præcipua excerpsimus, unde constare de mente ejus potest. Verum ista sententiam nostram nullo modo infringunt, imò Bodinus, ut solet, doctrinam Aristot. plenè assecutus non est. Et primò malè confundit quæstionem politicam cum ethica, id est, duo ista, quisnam sit optimus Reipubl. status, regnũ ve aut aristocratia, aut democratia pura, an status aliquis ex illis omnibus quodammodo mixtus & temperatus? & deinde quamnam proportionẽ justitia in rerũ distributione, quam in communicatione observet? Etsi enim sine justitiâ utraque nullus esse bonus Reipubl. status potest, idẽ tamen duo illa simpliciter non sunt. Idq; facilè patet: cùm enim tres sint formæ Rerumpubl. bonæ, nulla illarum est, quin utramque justitiam in ea reperias. Certè tam in regno quàm in aristocratiâ, & tam in hac quam in democratiâ commerciorum usus est & item præmiorum & onerum distributio. Quapro-

Bodinus confundit quæstionem ethicam cum politica.

propter disputare, quid sit justè res distribuere, quid justè commutare, idem præcisè non est atque quærere, quęnam inter formas Rerumpubl. sit optima, nec ii ex omnibus istis formis componenda una est, propterea etiam omnis distributionis & commutationis jura & rationes confundendæ. Hoc primum peccatum Bodini.

Alterum quod putat quicquid geometricum est, id illico omne regium aut aristocraticũ quoque esse, & quicquid arithmeticum, omne illud populare & democraticum. Id sic ostendo. Primò omnis justa rerum commutatio est, ut suo loco ostendetur, arithmetica: & tamen nõ minus in regno atq; aristocratiâ quã democratiâ obtinet: nunquam enim auditum est, sive in absoluto regno, sive in purâ aristocratiâ, emptionis, venditionis, locationis conductionis, aut in universum ullius contractus vel commutationis justitiam à dignitate personarum æstimari solitam. Arithmeticâ ergo proportione justitiam mentiri populare solummodò non est. Sed nec geometricè res administrare regium aut aristocraticum tantùm est: nam etiam in populari statu etsi omnib. ex æquo & indefinitè aditus ad Rempubl. & honores patet, consequuntur tamen eos & hi aliquo modo, prout merẽtur de Republ. id est, prout quisque libertati maximè studet & statum illum tueri posse creditur. At pro diverso merito cujusque distribui honores geometricum est. Quare etiam in populari statu geometricum quid occurrit. Et hoc est quod tam malè Bodinum torsit.

X. Alterum Bodini peccatum

Hh 5 cuĩ

cui tamen scrupulum istum ipse Aristoteles eximere poterat, si mentem ejus rectè percepisset. Ita enim ille docet distributionem honorum pro dignitate cujusque fieri debere, ut expresse tamen addat dignitatem illam pro diversis Rerumpubl. formis aliter atq; aliter æstimari. Verba ejus capite 3. text. 26. hæc sunt. *Iustum quod in distributionibus est omnes uno pro dignitate quâdam oportere esse dicunt, ipsam tamen dignitatem non eandem omnes inquiunt esse, sed populares quidem libertatem, oligarchici opulentiam, nonnulli nobilitatem, optimates verò virtutem.* Hæc Philosophus. Quapropter nihil optat, quo minus etiam in populari statu honores capiat quisque pro merito. Tantum quale meritum ibi attendatur observandum est: neque enim illic id tam est virtus, ut in regno aut aristocratia, quam libertatis studium & odium regni aut potentiæ paucorum. Quanvis ergo democratia virtute omnes forte pares sint: prout tamen unus status illi magis, alter minùs est aut esse censetur utilis, ita etiam majus unius quàm alterius est vel putatur meritum, & unius potius quam alterius in honorum distributione ratio habenda est, ut justè pro Reipubl. illius conditione omnia administrentur & status ille, quantum fieri potest, conservetur: sicut enim Aristoteles 4. Politic. c. 7. distinguit inter viros bonos qui simpliciter sunt tales & qui secundum hypothesin: ita etiam meritum & dignitas alia est simpliciter talis, alia ex hypothesi Reip. in qua vivitur.

Qui-

Quibus observatis etiam tertium erratum Bodini facilè deprehenditur: statuit enim diversam rationem æstimandi merita & dignitatem personarum etiam proportionem distributionis quæ fit ob merita, diversam statim facere. Sed multùm labitur. Sic cum dignitas civis, non spectatur tantum ex nobilitate aut virtute, sed libertate etiam & opulentia, alia hæc ratio est dignitatem quidem & merita attendendi, quàm cùm virtus sola aut sola aut sola libertas æstimatur: sed propterea proportio tamen alia non est, quàm geometrica, si præmia meritis illis conferātur geometricū enim omne est quod dignitatem alicujus attendit & personam cum personâ comparat, undecunq; dignitatem ejus arcessas. In puris formis Rerumpubl. vel sola nobilitas, vel sola opulentia, vel sola etiam virtus rem conficit: ac in cæteris, quæ aliquid mixtum habent ex plurium formarum institutis, merita ex pluribus æstimantur. Quapropter sive harmonicum quid sit in ratione æstimandi meritum & dignitatem cujusque, sive non sit, nihil impedit tamen, quo minus proportio geometrica maneat in distributione rerum, quæ juxta merita illa instituitur. Et ita res se habebat de connubiis Romanorū. Legis illius XII. tab. sola nobilitas fundamentū erat, legis Canuleiæ sola libertas. Dignus itaq; conjugio patriciæ secundum illam nobilis tantū, secundū hāc quisquis liber & civis Roman. At juxta Bodini opinionē ex nobilitate & opulen-

lentiâ ac libertate simul dignitas erat arcessenda. Vnde iuxta ipsum dignus patriciâ erat plebeius, sed opulentus, digna item ignobilis & plebei opulenta patricio seu paupere. Vbique de ratione æstimandi dignitatem cujusq; quæstio est. At aliud est disputare, unde dignitas arcessi debeat, aliud quomodo pro dignitate justè aliquid distribuatur. Prius illud esto faciendum sit secundum proportionem harmonicam, ut vult Bodinus, non tamen actutum etiam posterius ita fiet. De posteriori autem agebat Aristoteles, quia ethica quæstio erat, de priori consideratio Politic. Tantum de opinione Bodini.

XIII. *Natura iustit. distributiva adhuc accuratius explicatur.*

Cæterum è diverticulo redeamus nunc in viam, ut naturam justitiæ distributivæ paulò adhuc accuratius exponamus. Ubi recolendum id cum primis est, quod disputatione superiori dictum, distinctionem inter eam & commutativam in solâ diversâ ratione debiti positam esse: nisi enim id identidem in mentem revocetur, fieri facilè potest, ut nec naturam justitiæ distributivæ rectè percipias, & huc referas quæ simpliciter ad commutativam spectant. Diximus autem non pertinere huc quidquam, nisi quod de communibus totius Reipub. bonis cuiquam debetur, & eatenus quidem quatenus civis quis ejus est, sicut nec alia onera, nisi si quæ ratione totius communitatis omnes ferre tenentur: Idque etiam Aristotel. 5. Eth. cap. 7. expresè docet: *iustitia*, inquit, *quæ versatur in distributione, communium rerum est.* Quicquid ergò non debetur cuiquam

quam tanquam de communibus bonis, neque ferendum imponitur ut publicum & commune onus, non distributivæ sed commutativæ justitiæ est.

XIII. Vnde id primò liquet, si Respubl. stipendium cuiquam persolvat, aut certis beneficiis compenset operam peculiariter sibi præstitam (puta si rem in bello quis strenuè gesserit, conjurationem detexerit, aut consilium egregium principi dederit) sive id ex certa obligatione faciat, sive ideò tantùm, quod aliàs dignum hoc est, non esse hunc actum distributivæ sed commutativæ justitiæ, sicut docet Thom. 2.2.q.61.art.4. ad 2.& Soto lib.3.quæst.5.art. 2.ad 3. Caussa in promtu est: cum enim distributio sit *nuda attributio eorum quæ toties sunt ad partes*, ut Soto dicit, persolutio stipendii, vi & collatio beneficiorum ejusmodi, compensatio quædā est & merces, nec ideò cuiquam obtingit, quod civis est, sed quod labore & industria suâ id commeruit. Vnde fit ut luculentius beneficium etiam in aristocratiâ cōferatur nonnunquam tam plebejo quàm nobili, licet in distributione communiū præmiorum nobilis plebejo præferri illico omnino debeat: imò inter beneficia ista etiā hoc esse potest, ut hoc ipso ex loco humili ad eminentiorem in Republ. adscendat. Deinde & hoc ex dictis manifestum est, meritum, quod in justitiâ distributivâ attenditur, non esse nisi dignitatem seu personam, & locum quē inter cives quis tenet, qui ut multis de caussis cuiquam obtingere potest, ita etiam merita

Beneficiorum collatio non pertinet ad iust. distributivam.

Quid vocetur meritum in hac justitia.

hic

hic variant, ficut fupra diximus; cùm in commutativâ ita dicatur res ipfa; cui vel præmium vel pœna tribuenda eft. Vnde fuprà etiam meritum & dignitatem promifcuè ufurpavimus: fi enim quod commune eft, ideo huic aut illi meritò conceditur quia pars communitatis eft, meritiffimò illi datur, cujus præcipuæ in ea partes funt. Tertiò patet commutativam juftitiam non effe nifi fimpliciter quis tantum accipiat quantum meretur, & æqualitas fit inter rem datam & acceptam; cum tamen in diftributione etiam jufta rarò tantùm quis accipiat, quantum meretur: cum n. ut loc. cit. dicit. Tho. *in iuftitia diftributivâ non attendatur æqualitas eius quod quis accipit ad id quod ipfe impendit, fed ad id quod alius accipit fecundum modũ utriufque perfonæ*, juftè diftribui poffunt honores, pecuniæ, agri ad hoftib. capti &c. nec tamen cuiquam tantum obtingere quantum per fe merebatur. Sic nobiliffimo loco natus fit quifquam; & extent tum ipfius, tum majorum ejus in Rempubl. merita infignia; adminiftret item primo loco Rempubl. dividendi autem fint agri aut alia præmia inter cives; certè juftè non fiet divifio, nifi præclariffimo omnium civium nobiliffima præmiorum portio adfignetur. At nec tamen tantum ftatim confequetur, quantum virtus ejus merebatur, cum aliud fit recipere quod virtuti tuæ parfit, aliud quod ex hâc aut illâ bonorum diftributione tibi debetur.

In Iufta diftributione non femper accipit quiſque quantum fimpliciter meretur.

XIV. Contractus.

Vnum reftat dubium de contractu focietatis: etfi enim is eo ipfo quo contractus vocatur, pertine-

tinere ad justitiam commutativam intelligitur, videri tamen potest ad distributivam spectare & lucrum proportione geometricâ in eo dividi, cum prout inæqualiter socii ad sortem conferunt, ita etiam inæquales lucri portiones auferãt. Sanè lucrum illud est bonum commune illis qui ita contraxerunt & socijs competit prout quisq; societatis pars est, unde distributionis materia esse videtur. Verùm hæc omnia per accidens tantum fiunt & nullo modo ad justitiam distributivam contractus iste pertinet, nec ejus sed commutativæ actus est justa lucri illius divisio, sicut rectè docet Molina loc. citat. num. quarto. Argumento hoc est, tum quod verus est contractus, nec lucrum id quod cuique obtingit ei tanquam præmium datur, sed ut privatum debitum, tum quod nec persona personæ, sed res rei, videlicet portioni lucri portioni sortis, quã quis contulit, adæquatur. Nec etiam proportio ista geometrica est sed arithmetica, etsi speciem geometricæ præ se fert. Sicut enim cum emuntur res diversæ & inæquales à diversis, precium fit inæquale, nec tamen emptio & venditio ulla juxta proportionem geometricam instituitur, ut apud omnes cõstat, ita etiam hic inæquale est lucrum, nec tamen propterea juxta proportionem geometricam attribuitur, cum non personæ adæquetur, sed pecuniæ quam ad sortem quis contulit.

Societatis non pertinet ad justitiam distributivam.

CA-

CAPVT XIII.

De Iustitia commutativa.

SUMMARIA.

1 *Iustitia commutativa.*
2 *Ejus obiectum.*
3 *Commutationes voluntariæ & invitæ.*
4 *Vtrasq; ad illam pertinere.*
5 *Proportionem arith. hic observari.*
6 *Quomodo capiantur vocab. lucri & damni.*
7 *An pœnæ semper irrogentur proport. arith.*
8 *Opinio recentiorum & quorundam ICtorum.*
9 *Arist. & vera sententia.*
10 *Reijcitur opinio recentiorum.*
11 *Eos non satis accuratè naturam iustit. huius explicare.*
12.13.14. *Rationes VVesenbecii solvuntur.*
15 *Pœnæ non sunt aliquid quod distribui possit.*
16.17. *Nec irrogari possunt proport. geometrica; quod probatur.*
18 *Quomodo non violetur proport. arithmet. si nobiles mitius puniantur.*
19 *Immota regula illius proportionis.*
20 *Obiectionis cuiusdam solutio.*
21 *Quomodo cum Aristot. hic concilietur ius civile.*
22 *Vnum adhuc de iust. illa notatum.*
23 *De Talione.*
24 *Quid de ea Pythagorici senserint.*

25. *Quod*

QUæ sit natura justitiæ distributivæ ita explicavimus: accedimus nunc ad commutativam differt autem hæc; ut supra patuit, à justitia distributiva tum objecto, tum ratione æqualitatis & proportionis quam tenet: cum enim illa pro objecto habeat res quæ sub distributionem cadunt, hoc est, præmia & onera publica, sive omnia quæ cuiquam debentur, quatenus membrum communitatis alicujus est; hæc circa res cæteras versatur, quæ privato nomine & quovis alio titulo ac jure alicui competunt. Deinde illa, ut ostendimus, proportionem observat geometricam, hæc, ut jam docebimus, arithmeticam. Utrumque paulò accuratius nunc exponendum est, ut natura etiam justitiæ commutativæ rectè cognoscatur. *I. Iustitia commutativa.*

Aristoteles omnia quæ ad objectum commutativæ justitiæ pertinent uno nomine συναλλάγματα vocat. Latinè alii commutationes & permutationes, alii contractus, alii denique commercia interpretantur. Quæ tamen voces omnes aliàs longè strictiùs accipiuntur, præsertim *II. Eius obiectum.*

apud ICtos, quibus contractus & συνάλλαγμα propriè est ultro citroq; facta obligatio, ut sunt emptio venditio, locatio conductio, societas, ut habetur libr. 19. de verborum signific. & libr. 7. pr. ff. de pactis. Et multo adhuc strictius accipitur vox permutationis: propriè enim illa dicitur, quandò certa res pro re datur, estque una tantum contractuum species, & ab ambitione, locatione conductione, &c. differt, ut ad tit. ff. & Cod. de rer. permutat. illi notant. Eadem fortè ratio est de voce commercii: commercia enim inter furem & eum, cui quid furto aufertur raptorem & cui quid eripitur, adulterum & adulteræ maritum, &c. intercedere nemo facilè dixerit, nisi latius quàm vulgo fieri solet, vocabulum extendat. Sed utut hoc sit, nihil tamen vetat quin commutationes & συναλλάγματα tam latâ significatione accipiamus quam accepit Aristoteles: cum enim res omnes in quas iuris alicui quidquam est alio quàm publico nomine, ad iustitiam commutativam pertineant, sicut suo loco diximus, uno illæ vocabulo comprehendi debuerunt. Quare, quia aliud nō erat commodius, voce συναλλάγματος Philosophus usu s est. Vnde & nos ad eundem modum commutationes & contractus hic appellamus, non tantum veros contractus & quasi contractus, sed omnes etiam obligationes tam quæ ex delictis, quàm quæ ex quasi delictis nasci à ICtis dicuntur: & si quid iis est simile. Quid quod ita etiam in ipso iure vox contractus capitur l. omnem 20. ff. de iudic

Quomodo Aristotel. accipiat vocabula συναλλάγματος. contractus, commutationis &c.

judic.ut ad l.d.de verborum significatione glossa notat.

Cæterum dividuntur ab Aristotele commutationes istæ 5.ethic.capite 2.in voluntarias & invitas. Voluntariæ sunt, quando utrinque est animus cummutandi aut contrahendi, qualis est emptio venditio, invitæ ubi commutatio illa fit unâ parte invitâ, sicut est furtum, rapina, &c. quod enim in futuro res transfertur ab uno ad alterum, eo tantum fit volente qui furatur, non cui furto eripitur. Quæ autem & quod sint ejusmodi commutationes, accuratè definiri necesse forte hic non est: nam & Aristoteles aliquot tantum species recenset. Nos sequemur distributionem illarum quam adfert Divus Thomas 2.2. quæstione 61. articul. 3. Enumerat is eas ad hunc modum. Involuntarias quindecim facit: Læditur enim quisquam vel in re suâ, vel in persona, & utrumque fit vel occultè, vel manifestò. Ubi occultè res alterius accipitur, *Furtum* est: ubi manifestò, *rapina*. Persona autem alicujus læditur, vel ratione incolumitatis, vel ratione dignitatis: & rursus vel ipsa in se, vel in persona alia, certo modo sibi conjuncta. Cum læditur persona ratione incolumitatis occultè, est *cædes dolò facta*; *veneficium aut fraudulenta percussio*: cum manfestò, *cædes violenta, incarceratio, verberatio, mutilatio*. Cum læditur persona ratione dignitatis occultè, est *falsum testimonium*, aut *detractio*: cum manifestò. *falsa accusatio*, aut *convitium*. Cum quis autem læditur in persona conjuncta, est *adulterium*, *seductio servi*, & si quid his est simi-

III. Commutationes voluntaria & invita.

Numerus invitarum.

Numerus voluntariorum. le. Commutationes voluntarias numerat octo: primò enim transferre quis rem suã potest simpliciter in alterum, pro certo pretio, estq; *emtio-venditio.* Deinde potest concedere usum tantùm rei suæ alteri; & ità ut ipsam eam recupere t: quod cum fit gratis in ijs rebus quæ fructificant, dicitur *usufructus*, in cæteris *mutuum* vel *commodatum*, hoc, quando ita conceditur rei usus, ut eadem numero sit restituenda, illud quando eadem specie tantùm redditur. Quod si autem usus ille concedatur pro precio, *locatio & conductio est.* Tertiò, potest tradere quisquam rem suam alteri, ut habeat eam, vel illa utatur, sed tantùm ut conservet, sicut fit in *deposito*, vel ut confirmet obligationem de satisfaciendo, ita ut nisi satisfaciat, retineri possit, estque *opignoratio.* Quartò potest simpliciter se quis obligare ad satisfaciendum pro altero & vocatur *fideiussio.* Hoc modo Thomas enumerat commutationes ut ex ejus Valentia tom. 3. disputat. 5. qu. 5. punct. 2. Quanquam autem nec ipse omnes complectitur, aut accuratè dividit, ut rectè movent Cajetanus & Valentia; neque enim id agebat: tot tamen adfert, ut ex iis de cæteris facilè judicari possit.

Hæ ergo & hujusmodi res objectum sunt iustitiæ commutativæ: in cunctis enim istis una & eadem ratio est capiendi medium, & quidquid in illis iustitiæ reperitur, aut ad iustitiam redigi potest, id unâ & eadem æqualitate ac proportione mensuratur. Quare etiam ad unam speciem iustitiæ referuntur. Dico ad unam speciem, tu subin-

ſubintellige, ſpecialiſſimam: ita enim ſtatuimus cum Thoma. Nam quanquam Ariſtot. loc.cit. duas partes facit iuſtitiæ commutativæ, unam, quæ verſetur circa commutationes voluntarias, alteram quæ circa invitas, non tamen ideo vult duas eius ſpecies eſſe: cum enim tam in voluntariis quam invitis commutationibus una & eadem planè ratio ſit debiti, unus etiam modus res ad æqualitatem redigendi, una quoque formalis ratio iuſtitiæ utrobique ſit oportet. Interim ratione materiæ aliqua diverſitas eſt, cum in voluntariis commutationibus tantum res compenſetur, invitis damnum pariter & offenſa. Equidem iniuſtitia quæ in commutationibus occurrit plures habet ſpecies (ita fur iniuſtus, eſt etiam homicida: & differunt tamen furtum homicidium tota ſpecie, ſed & hæ ſpecies vel ratione materialis ſui tantum ita diſtinguuntur, prout habitus ſunt poſitivi, non prout involuunt privationem rectitudini iuſtitio oppoſitam, ut vult valentia, vel etiam abſurdum non eſt, vitia eſſe multiplicia, una tantùm exiſtente virtute, ut vult Caietanus, cum omne bonum ex integra cauſa naſcatur, malum etiam ex ſingulis defectibus. Hactenus de obiecto commutativæ iuſtitiæ.

Commutationes tam voluntariæ quam invitæ ad unam ſpeciem iuſtitiæ pertinent.

V.

Proportio quam obſervat hæc iuſtitia eſt Arithmetica.

Cæterùm proportio, quam obſervat, eſt, ut toties iam diximus, arithmetica. Id ſic oſtendo. Omnis iuſtitia, ut ex ſuprà dictis notum eſt, conſiſtit in aliqua rerum æqualitate. Æqualitas autem iſta vel ex dignitate perſonarum æſtimatur, ſicut oſtendimus fieri in iuſtitia diſtributiva,

vel simpliciter tantum ex rerum ipsarum modo ac mensura: tertium enim dari nequit. Sed prius illud, sicut rerum distributioni optimè quadrat, ita planè non competit commutationi.

Id probatur.

Causa in promptu est: cum enim cummutationes ideo institutæ non sint, ut de communibus bonis ultrò civibus præmia persolvantur, utique personarum dignitas in iis primò ac per se attenditur. Quare nec æqualitas quæ ex dignitate personarum æstimatur, locum in iis aut justitia commutativa habet. Relinquitur itaque ut observetur altera illa quæ ex rerum ipsarum conditione æstimatur æqualitas, illud æquale est, quod simpliciter tantùm interjacet inter plus & minus, sive cum res in duas æquales partes tribuitur, ita ut æqualis tantum distantia, utrinque sit à lucro damno, ut Aristoteles vocat. Non esse autem commutationes & rationem illas ad æqualitatem redigendi inventam ideò, ut pro dignitate cuiusque tribuatur ei quod ipsi debetur, multis modis probari potest. Primò præmia civibus à republ. & tota communitate ponuntur: commutationes autem & contractus inter privatos sunt. Secundò in commutationibus spectatur id solum, ut quisque tantum recipiat boni aut mali: quantum utriùsque ab illò in alterum profectum est. Ita qui ædes vendit tantum pecuniæ ab emptore expectet necesse est, non quantò ille fortè dignus sit si dignitatē ejus inter cives spectare quis velit,

In commutationibus non posse spectari personam & dignitatem commutantium.

sed

ſed quantum numorum compenſare ædes illas poteſt, nec pecuniam emtor erogat alio fine. Tertiò, ſi tantam iniuriam facit probus, cum quenquam defraudat, quantam improbus, iniquitas rei illius non ex perſonâ ſed ipſo facto penſatur. Sed verum prius. Ergo. &c. Quod ſi autem iniquitas in his talibus ex re ipſa tantùm æſtimatur primò ac per ſe, ergò & æqualitas ad quam redigi res illæ debent, indidem primò æſtimanda eſt. Certum itaq; eſt in iuſtitia commutativa non tam ſpectari illud, quod perſonis cõmutantib. aptum eſt, iisq; competit, quàm quod cuique earum debetur ratione ipſarum rerum quas commutant, quidquid interim de perſonarum dignitate & æqualitate aut inæqualitate fiat. Docet id Xenophon. exemplo Cyri Perſarum regis lib. 1. de eius pædeia, quid quod ea, quę diximus, in cauſa duorum puerorum iudicanda, cum puer adhuc ipſe eſſet, non obſervaſſet, à magiſtro plagas ſe accepiſſe narrat. Verba Cyri hæc ſunt: *Cauſa erat huiuſmodi: Puer magnus cui parva erat tunica, puerum alterum qui tunicam haberet magnam, exuerat, ſuaque illum tunica induerat, illius tunicâ à ſe induta. Ego igitur horum causâ auditâ judicavi eſſe melius ambobus, ut aptam uterque haberet tunicam. Quapropter magiſter me percutiebat, dicens: Vbi de eo iudex fueris conſtitutus, quid cuique aptum ſit, ita judica: at ubi iudicandum eſt utr.us ſit tunica, id conſiderandum, quænam ſit iuſta poſſeßio, & an eum habere oporteat qui vi abſtulit, an illum qui ipſe fecit aut emit.* Hæc apud Xenopphontem Cy-

Docet id etiam Xenophon exemplo Cyri.

rus. Persuaseras scilicet ille sibi unam & eandem rationem æqualitatis in omni iustitia esse, adeòque etiam in commutationibus rerum id iustum esse, quod cuiusque personæ maximè conveniret. Sed magister eius aliud esse docet, spectare quid cuique ratione personæ suæ quadret, si præmia fortè distribuere vellet, aliud quid privato iure cuique debeatur. Hæc igitur sic se habent. Vnde iam facilè intelligi potest, solam Arithmeticam proportionem iustitiæ commutativæ competere: sicut enim illius hæc natura est ut simpliciter numerorum inter se distantiam observet, ita & iustitia commutativa medium & æqualitatem quærit in sola distantia à lucro & damno.

VI. *Quomodo hic accipiantur vocabula lucri & damni.* Sciendum autem hic est vocabulum lucri & damni hoc loco multò latius accipi quàm aliàs vulgò solet, ut docet Aristotel. lib. 5. eth. cap. 4. & ex eo Thom. Verba Thomæ adscribemus: *Omne superfluum,* inquit, *in his quæ ad iustitiam pertinent lucrum, extenso nomine, vocatur, sicut & omne quod minus est, vocatur damnum: Et hoc ideo, quia justitia prius est exercita, & communius exercitatur in voluntariis commutationibus rerum, quia emtione & venditione, in quibus propriè hæc nomina dicuntur & exinde derivantur hæc nomina ad omnia circa quæ potest esse iustitia.*

Quomodo res ad æqualitatem redigantur. Aristoteles idẽ docet, & lucrum vocat plus boni, & minus mali; damnum plus mali & minus boni. Quando itaque justum dicit esse medium, simpliciter inter lucrum & damnum, hoc ait, tum demum commutationes vel esse justas, vel ad iu-

ad iustitiam & æqualitatem à qua abeunt reductas cum neuter aut nullus inter commutantes plus boni aut minus mali habet, quàm habere meritò debebat. Unde in voluntariis cómutationibus iustè tum agitur, quando ita quis cum altero commutat, ut neuter eorum lucrum aut damnum habeat, in invitis verò, cum lucrum aut damnum quod aderat, tollitur: *quid enim emẽdo, vendendo, cæteraq; agendo, quæ lege concessa sunt, plus habent quam suum ii lucrari, qui minus quàm in principio, ij damnum pati dicuntur. Sed cum neq; plus neq; minus habent quam oportebat, & par pro pari refertur, sua se habere dicunt*, inquit Aristoteles cap. quarto 41. Quemadmodum igitur linea inæqualiter divisa ad æqualitatem redigitur, vel detrahendo uni parti & apponendo alteri, vel uni detrahendo solum & simpliciter quantũ deest alteri, ita etiam hic, cum vel ei, qui lucratus est sive plus iusto habet, demitur quantum satis est, & additur alteri qui damnum cedit & iusto minus habet, vel demitur, simpliciter uni tantum quantum is demisit alteri, ad æqualitatem pervenitur. Vtriusque modi exempla in promptu sunt. Sic cum quis furto pecuniam cuiusquam aufert, is qui aufert plus habet quam habere eum par erat: is cui aufertur, minus. Ut ergo res ad æqualitatẽ redigatur, reddendum, alteri à fure est, quãtum ipsi abstulit, imò non id tantum, sed duplum aut quadruplum aut quintuplum, secundum ius divinũ, quia præter damnum quod dedit, offendit tum proximum, tum rempubl. utque eo pacto à de-

in hac iustitia.

Duplex ratio qua id fit.

licto absterreantur alii. Hoc exemplum est primi modi. Dubium non est quin cædes voluntaria, à privato facta, extra moderamen inculpatæ tutelæ, sit res iniqua & iniusta. Est igitur hic lucrum, est damnum, lucrum penes homicidam, damnum penes eum qui occiditur: homicida enim animo & iræ suæ morem gerit, & voluptatem inde cadit: qui interimitur verò, rei charissimæ iacturam facit. Factum hoc corrigi, & ad æqualitatem redigi, à qua abiit, primo modo non potest. Causa in promptu est: nihil enim hic est quod ei addi possit, qui damnum fecit & quo damnum illud resarciatur, cum vita ipsa erepta sit. Altero itaque modo res ad æqualitatem reducitur, & homicidæ contrà eripitur, quod ipse alteri eripuerat, ut vel eâ ratione æqua utriusque sic conditio. Sed hic nota, per lucrum & damnum intelligi illud tantum, quod fit hominibus invitis sive cum alterius iniuria coniunctum est, ut disertè monet Aristoteles t. 42. nam cum lucrum aliàs quis capere ex re dicitur nemine invito, aut damnum etiam pati ultrò & sua sponte, id huc non pertinet. Hæc est natura iustitiæ commutativæ, & ratio proportionis sive æqualitatis quam illa observat.

VII. Tractatur nobilis illa quæstio, an pœna etiam semper irre-

Vbi iam statim quæstio nobis nascitur, an non etiam iustitia commutativa, præsertim in pœnarum inflictione, habeat rationem personarum & geometricam potius quàm arithmeticam proportionem usurpet. Certè nobiles

les & virtute præstantes plærumque mitius puniri quàm alios constat, mitius item integræ famæ quàm famosos, liberos quàm servos, idque tum legibus approbatum, tum consuetudine receptum est, Sic l.9.ff. de pœn. dicitur discrimina pœnarum esse, nec omnes eadem pœna affici posse: nam decuriones in metallum damnari non posse, nec in opus metalli, nec furcæ subiici, nec vivos exuri: & l. seq. ait, ex quibus causis liber fustibus cædatur ex his servum flagellis cædi, & ex quibus liber fustibus cæsus in opus publicum damnatur, ex his servum sub pœna vinculorum ad eius temporis spatium flagellis cæsum domino reddendum. Similia de distinctione personarum observanda habentur lib. 28. §. & ut generaliter, & fin. adeoque tot. titulo: plura etiam aliunde à Iurisconsultis adducuntur. Ne nunc dicam quod omnis virtus consistat vel in sola mediocritate rationis, vel in mediocritate rei & rationis simul. Mediocritas autem rationis tum cæteras circumstantias, tum etiam personæ conditionem includit. Quod si igitur secundum conditionem & dignitatem personarum delicta puniuntur, videtur utique id juxta proportionem Geometricam fieri, imò tota res non ad commutativam, sed distributivam iustitiam pertinere. Et sanè ipse Aristoteles apertè favere isti sententiæ videtur, quando 5. ethic. cap. 5. tomo 45. plurimum interesse docet, an quis magistratum gerens quenquam percusserit an alius, item, an ipsum magistratum quis percusso-

gentur juxta proportionem arithmeticam.

cusserit, an alium quempiam hominem privatum: qui locus tàm evidenter pro ista opinione facit, ut suspicari quis possit Philosophum iis quæ præcedenti capite tradiderat, disertè hic contradicere, sicut Averroës & Thomas annotarunt.

VIII. Recentiorum Ethicorum & quorundam ICt. opinio.

His rationibus inducti sunt tàm ex ethicis recentioribus, quàm ICtis multi, ut pœnas irrogandas statuerent proportione Geometrica, adeoque munus hoc non commutativæ sed distributivæ iustitiæ facerent. Ex ethicis ita docent Conimbricenses disputat 9. quæst. 1. art. 2. qui hac etiam de causa distributivā justitiam distinguunt in retributivā & punitivā, Golius 5. ethic. c. 3. Magirus ibid. cap. 4. & 5. Heilandus c. 3. Sebast. Foxius compend. ethic. Philos. libr. 3. cap. 12. & alii. Ex Iurisconsultis unus instar multorum esse potest Matthæus VVesenb. in paratit. ff. de iust. & iur. numer. 11. qui non tantum inter cæteros actus iustitiæ distributivæ etiam hunc refert, pœnas nocentibus pro cuiusque merito irrogare, sed id addit, nusquam certius conspici eius iustitiæ actionem quàm in pœnarum distributione: tametsi enim lex in genere & abstracto citra aliquē personarum & rerum cōplexum, & sine προσωποληψία pœnā constituat arithmetica proportione, & ex lege talionis delicto eā commensuret, tamē iustitiam hanc legis executricem, seu magistratum instrumentum iustitiæ cum legem exequitur, & in concreto de pœna personæ applicanda disputat, rem ad proportionem

nem Geometricam reducere, Sic censet Wesenbecius, qui multis deinde ex jure confirmat unum & idem delictum gravius in una persona plerunque plecti quàm in altera. Similiter Mynsingerus in institut. §. justitia de justit, & jur. justitiæ distributivæ transcribit pœnarum inflictionem, & Ehemius lib. 5. de princip. jur. cap. 2. cum expedire id non possit, quomodo in delictis & pœnis habenda sit ratio personarum, & Aristoteles tamen injustitia commutativa citra respectum personarum lucrum tantùm & damnum attendendum esse adserat; ita concludit, ut in commutationibus voluntariis, emptione, venditione & similibus, justitiam commutativam propriè & per se reperiri dicat, in delictis autem non tam illam quàm distributivam, idque ideò quod in istis omnium circumstantiarum ratio habenda sit. Quæ omnia eodem redeunt: sive enim dicas, pœnas irrogandas esse secundùm proportionem Geometricam; sive pertinere eas ad justitiam distributivam, perinde est, cum nec ad justitiam distributivam spectare quidquam possit, nisi quòd geometrica proportione constat, ut supra patuit, nec ad commutativam nisi quod arithmetica, ut jamjam exposuimus. Ad hunc ergò modum illi.

Planè contrarium his sentit Aristoteles & veteres ethici omnes: non tantum enim pœnarum irrogationem actum faciunt justitiæ commutativæ, sed eam non minùs quam emendationem cæterorum contractuum proportione arithmetica instituendam esse docent. Hinc Aristoteles

les lib. 5. cap. 4. utrosque contractus tàm invitos quàm voluntarios ad unam speciem justitiæ refert: *Restat*, inquit, *iustum quod sit in emendandis commerciis tam iis quæ sua sponte faciunt homines quàm iis quæ invitis ipsis efficiuntur*. At emendare contractus invitos ecquid aliud est quam delicta punire? Unde statim subijcit, omnia ista non geometrica sed arithmetica proportione fieri: *nihil enim refert*, ait, *si probus pravo detraxerit, an pravus probo, neque si adulterium probus an pravus commiserit: sed ad differentiam nocumenti lex respicit tantum & personis utitur & æqualibus, &c.* Nihil dici poterat disertius. Si homo aliàs probus, inquit, de fraudet bipedum etiam nequissimum, non minus est fraus & injuria, quàm si pessimus defraudet optimum, adeoque res pœna digna. Quod si digna pœnâ, punienda non minus est in ista persona quam puniretur in altera: si enim personæ dignitas non vetat quo minus sit delictum quod delictū aliâs per se est, nec eadem impedire potest, ne pœnâ illâ dignum sit quam aliâs commeretur. In hunc sensum Philosophus. Atq; inde paullò post dicit justum correctivum seu emendativum, nil nisi medium esse inter damnum & lucrum. Idem cum Aristot. docent Averroes 5. ethic. capite citato. Div. Thomas ibid lect. 6. & 8. & 2. 2. quæst. 61. art. 3. & Cajetanus ib. Acciajolus 5. ethic, c. 5. Soto de just. & jur. l. 3. quæst. 5. art. 1. ubi omnem actum vindicandi scelera & injuriam pertinere dicit ad justitiam commutativam, tàm quatenus â privato quid vindicatur, quid delinquentem accusat, quam quatenus à judice qui pœnâ infli-

git. Ecquid opus est auctorum testimonia colligere, cum apud omnes veteres philosophos inauditum sit correctionem ullius delicti ad justitiam distributivam spectare, ut mirer scriptores ethicos supra laudatos, inprimis Conimbricenses, tam facilè à recepta & vera sententia in tam novam opinionem, nullis adductis rationibus, concessisse: nam ICtis vitio id verti adeo non potest, cum tota hæc quæstio non juridica sed ethica sit: etsi enim id jure cautum est; ut discrimen personarum attendatur in pœnis irrogandis, & peculiariter etiam, quomodo liber & servus, quomodo famosus & integræ famæ &c. plectendus tamen an ideo actus ullus puniendi ad iustitiam distributivā pertineat potius quàm commutativam, item an istud sit proportionem geometricam non arithmeticam sequi; aut si quid his est simile, id ut ll. definitum non est, nec definiri poterat, ita nec Iurisconsulti propriè sed philosophi est de eo disputare.

X. *Reijcitur opinio recentiorum.*

Cæterùm mihi dubium non est, quin rectissime sentiat Aristoteles; & cum eo communis veterum schola, & falsa sit ista recentiorum sententia. Nec censere aliter potest, qui mentem & doctrinam Aristotelis rectè perceperit, sicut iam ante nos id docuit V. Cl. Henning. Arsinæus tum peculiari disputat, hac de re; tum in doctrina politica lib. 1. cap. 18. Et sanè facilè ostendemus non tantum verissimum esse; omnes pœnas infligi iure debere iuxta proportionem Arithmeticam, sed id etiam; nihil quidquam hoc cum iis quæ de personarum discrimine

De quib. in hac quæstione ordine dicendum. mine in puniendis delictis observando ex jure civili allata sunt pugnare. Vt autem ordine procedamus tria ista explicabimus, primò probabimus adversam partem, nec distributivæ nec commutativæ justitiæ naturam rectè exponere, nec sibi ipsi satis hac in re constare, secundò pœnas non esse rem quæ distribui possit, nec nisi impropriè ita dici, pœnas distribui; multò minus irrogari eas posse proportione geometrica; & tertio denique non tollere ea proportionem arithmeticam; quæ de discrimine personarum suprà allata sunt.

XI. *Recentiores non satis accuratam hujus just. explicant.* Primò itaque non satis accurate naturam utriusque justitiæ explicare eos, qui contrarium sentiunt, inde patet, quod VVesenbecius inter munera justitię distributivæ etiam illud refert, ut ij conducantur à repub. milites, professores, medici, qui quàm rectissimè fungi istis officiis possunt, item ut salaria & stipendia ijs justè statuantur & persolvantur, quod citra omnem controversiam non distributivæ, sed commutativæ iustitiæ est, ut infra docebitur. Idē sibi ipsi non constat, quum dicit, licet leges constituant pœnas arithmetica proportione, & ita ut ex lege talionis pœnam delicto commensurent, justitiam tamen quæ leges illas exequatur, & magistratum quum exequitur, rem ad proportionem Geometricam reducere, quo quidem nihil incogitantius à viro tā docto adferi potuit. Patet hoc multis modis: cum n. executio legis nulla esse possit nisi quū id fit quod lex jubet, & planè eo modo quo jubet, nihil

nihil minus fieri potest, quàm ut rectè se habeat executio, quum proportione Geometrica plectitur quod lex dicit non hac sed arithmetica plectendum esse. Certè cum respectu personarum punire quod lex sine eo puniendum sancit; non est id facere, quod lex illa mandat, sed directè contrarium. Quum id ergò facit magistratus, non jam est executor legis sed ejus quod legi simpliciter repugnat. Unde malè censet VVesenbecius alia proportione constitui pœnam in legibus, alia institui executionem legum istarum. Deinde nemo juste punitur nisi qui ita punitur, ut lex præcipit. Sed lex vult citra respectum personarum & proportione arithmetica homines puniri. Iustè ergò non punitur qui cum respectu personarum & geometrica proportione. Major per se manifesta est: quorsum enim lex cōstituit certas pœnas certis delictis & præcipit hoc delictum isto, istud illo modo puniri, si justum non est ita ea puniri? quorsum dicit nullum habendum respectum dignitatis in pœnæ irrogatione, si omninò habenda est cum irrogatur? Minor ipsius Wesenbecii est. Nullo modo ergò justè infliguntur pœnæ si id alia proportione fiat quā arithmetica ex ipsa Wesenbecii hypothesi. Ne dicam nunc quod inauditum est alius justitię actum esse præceptum de re facienda, alius actionem juxta illud præceptum conformatam: si enim judicium rectè formare & præscribere quomodo punienda sint delicta, est commutativæ justitiæ, seu ejus quæ proportionem arithmeti-

cam tenet, quomodo alterius erit juxta præscriptum illud punire? quomodo item justitia distributiva id præstat ut delicta rectè puniantur, nec eadem tamen docet quomodo puniri debeant.

XII. *Rationes VVesemb. solvuntur.* Nec ad rem facit aut difficultatem tollit, quod dicit, legem in genere & in abstracto citra aliquem personarum & rerum complexum pœnam constituere, justitiam autem executricem seu magistratum, instrumentum justitiæ, cùm legem exequitur, in concreto de pœna personæ applicanda disputare; sicut nec illud quod post subjungit, necesse esse ut recurratur ad analogiam Geometricam in justitia administranda, propterea quod personarum ingenia, voluntates, dignitates, status, consilia, dicta atque facta inæqualia sint, ut iis æqualia numero tribui non possint, unde natum illud quod vulgò dicitur, duo cum idem faciunt non esse idem. Nihil, inquam, hæc omnia ad rem pertinent, imò plerá que falsa sunt. *Prima solutio.* Primò enim nulla lex ita in genere & abstracto loquitur, ut non distinguat id quod ultro factum est ab eo, quod invitò, quod ex proæresi & sæpè, ab illo quod semel & ex imbecillitate quadam &c. cum ista sint quę tum genus tum speciem delicti constituunt. Sic nulla lex esse potest, quæ simpliciter jubeat capite plecti eum qui hominem interfecit: quid si enim magistratus id ratione officii faciat, aut privatus quisquam, sed planè invitus & inscius, aut cum moderamine inculpatæ tutelæ, aut certè miles hostem confecerit in prælio? At lex est quæ homicidium ita puniri præcipit: homicidiũ autem

autem est si privatus, sciens volens, extra moderamen inculpatæ tutelæ & cupiditate vindictæ, aut aliâs ex malitia hominem occiderit. Quod quum lex addit certè non est id citra personarum ut ipse vocat, & rerum complexum pænam constituere.

Deinde expendenda utique sunt circumstantiæ, quas ait, scilicet, quo ingenio sit qui quid fecit, quo statu, quo consilio fecerit, qua voluntate: si quis enim hominem interemit multum refert an ingenio sit aliâs crudeli & petulanti; sine dubio enim tum non ex errore, sed proæresi fecit, an item hoc aut illo consilio id fecerit, puta ut cum custos portæ appositus esset, ipso interempto hostem intromitteret: ita enim non homicidium simplex, sed patriæ proditio est, án denique ipse filius sit ejus quem interemit: ita enim præter proditionem erit parricidium. Sed hæc omnia accuratè examinare non est pœnam legibus statutam personis attemperare: aut præ conditione personarũ pœnas illas exasperare aut mitigare, sed delicta inter se distinguere: ut quid deliquerit reus & cujus legis pœnæ obnoxium se fecerit, sciatur, sicut postea pluribus explicabitur. Eadem ratio est de cæteris, puta quod dicit acerbiùs puniri eum qui sæpè idem commisit quàm qui semel tantum, qui consultò quam qui ignoranter, qui per lasciviam, quàm qui per ebrietatem, qui magistratum aut patrem violat quàm qui extraneum. Ecquid enim id mirum est, inæquales pœnas esse, si delicta sint longè imparia, cum res etiam

XII. *Secunda.*

quæ venduntur uno pretio non vendantur quoties ipsæ inter se inæquales sunt; Nec ipsæ leges unam & eandem pœnam statuunt parricidæ & simplici homicidæ, ei qui errore hominem interfecit & qui ex malitia, ut ita ista distinguantur non tantum in executione legum, sed ipsis etiam legibus.

XIV. *Tertia.* Tertiò non rectè accipit vocabulum personę: quoties enim in justitia distributiva dicitur haberi ratio personarum, nihil aliud intelligitur quàm locus & dignitas quamquis habet in republ. ut suprà patuit. Quid autem dignitas personæ ad istas circumstantias, sciensne quisquid fecerit an inscius, ex malitia an ebrietate &c. Certè si pro ratione personarum essent constituendæ pœnæ, non statueretur alia homicidæ, alia furi, alia parricidæ, alia proditori, sed alia magistratui qui sit homicida, proditor, parricida, &c. alia subdito qui hujusmodi quid perpetrarit, alia nobili, alia ignobili, &c. Quod quia interdum sic fieri videtur illud est quod hic loci difficultatem parit; non istæ circumstantiæ quæ à VVesenbecio adferuntur: magistratum enim, subditum, nobilem & ignobilem esse, personam in republ. facit, homicidæ autem, parricidæ &c. non à persona & dignitate quam gerunt, sed delictis appellantur. Hæc sunt in quibus ideò, ut dixi, cespitat doctissimus Wesenbecius, quod naturam justitiæ tàm distributivæ quàm commutativæ non rectè & attentè satis considerarit. In eundem lapidem impingit Ehemius, ut inspicienti palam esse potest. Tantum de primo puncto.

Secunda

Secundò dico, pœnas non esse aliquid quod sub distributionem cadat, & eas rectè dici irrogari aut infligi, at non distribui. Ratio in promptu est: nihil enim distribuitur, nisi quod commune est, seu quod cum totius communitatis sit, inter membra ejus partimur; sicut est pecunia publica, agri ab hostibus capti, honores & dignitates quas resp. confert, onera item quæ civibus imponit & si quid his est simile. At tale quid non sunt pœnæ: ecquis enim sicut dicimus certas pecunias, certos agros esse totius comunitatis, aut etiam certa onera à tota republica ferenda, & inter cives partienda, ita quoque dixerit supplicia hæc aut illa reip. esse & civibus tanquam de publico depromi, seu inter eos ita dividēda, ut illorum singuli partem auferant? Deinde quidquid distribuitur id unicuiq; ideò vel cōfertur vel imponitur, quia civis & pars ejus communitatis est, cujus vel bona illa sunt vel mala. At nemo ideò supplicio afficitur quia civis est, nec publico nomine ad pœnas sufferendas tenetur sicut ad onera: etsi enim civis est qui punitur, non tamen ideò punitur quia civis est, sed quia hoc aut illud deliquit, quod puniri reipub. interest. Tertio quidquid distribuitur ejus aliqua portio omnib. cedit. At nunquam pœnæ irrogantur civibus omnibus. Ergò non distribuuntur. Quartò quod commune est & distribuendū, illud natura prius est partibus, in quas tribuitur, sicut tota summa prædæ inter milites distribuenda prior est portione quam ex ea capit imperator, legatus, &c. At quum pœnæ multis simul infliguntur, aggre-

gatio pœnarum istarum non est prior singulis pœnis quę huic aut illi nocenti infliguntur. Sanè prout major aut minor pecuniæ vis ab hostibus capta in promptu est, ita unicuique militi majus aut minus præmium assignatur. At ita res hic se non habet: nec ideo enim magistratus ex facinorosis hunc furcæ, illum igni, tertium cruci addicit, &c. quod tantùm suppliciorum uni facinorosorum gregi semel destinatum sit: quin contrà quando plures supplicio simul afficiuntur, ideò major aut minor cumulus suppliciorum oritur & attrociora vel minus atrocia supplicia sunt, quia huic aut illi ex facinorosis istis hoc aut illud supplicium debetur. Ex his liquido patet pœnas nec esse quid commune, nec sub distributione.n, si rectè loquaris, cadere.

XVI. Nec irrogari possunt proportione Geometrica. Sed & illud facilè evincitur proportione Geometrica eas non irrogari. Proportio Geometrica id tantùm requirit, ut pro inæqualitate personarum seu dignitatis civium in repub. inæqualia etiam sint præmia aut onera, ita ut majus præmium & onus ferat, qui major, minus qui minor est. Quod si ergo Geometrice delicta quoque punienda sunt, jam pro eodem delicto nobilis & liber acriùs, ignobiles & servus mitiùs puniendus fuerit. At plane contrarium nonnunquam fit, & fieri ipsi volunt qui contrarium sentiunt. Non ergo Geometrica proportione delicta puniuntur. Deinde si secundum proportionem Geometricam plectantur delicta, sufficit si simpliciter, quando unum eorum majus est altero, tanto etiam graviore pœna afficiatur. Sed hoc

Id probatur primò Deinde.

non

non sufficit commiserit enim unus eorum fornicationem, alter simplex adulterium, tertius adulterium duplex, quartus incestum. Ponatur item adulterium simplex crimen esse duplo majus fornicatione, duplex adulterium rursus duplo majus simplici, incestus totuplo majus delictum adulterio etiam duplici. Dico, si juste puniti fuerint, ubi posterioris pœna duplo major fuerit pænæ prioris, ergo fornicator pænæ loco pendat duos obolos, simplex adulter quatuor, adulter duplex octo, incestuosus sedecim. Certè hæc proportio est Geometrica: sicut enim se habet persona, ut illi vocant, ad personam, itâ planè & pœna ad pœnam. Dices, primo illi non esse pœnam sufficientem statutam, atq; ideò nec cæteris. At unde æstimabitur, quanta debeat esse primi istius pæna? proportio enim ex qua ipsi totum hoc negotium arcessunt id jubet tãtum, ut totuplo minor sit pœna primi pœna secundi, quotuplo crimen secũdi majus est crimine primi: quãtam autem oporteat pœnam illam esse non exprimit, nec verò exprimere potest. Fundamentũ itaque justæ punitionis hic est, æstimare quanta pœna debeatur fornicationi, quod certè comparatione illa tum delictorum illorum omnium inter se, tum & pœnarum, longè prius est. At pœnam simpliciter adæquare delicto, id est, rem rei, arithmeticæ proportionis est. Vt iusta ergò sit ejusmodi, ut illi vocant, pœnarum distributio, non ea ex collatione multarum personarum delinquentium inter se, ut ex comparatione plurimum pœnarum, sed ex adæquatione uniuscuius-

cujusque delicti & pœna ejus petenda est. Vnde Soto loo.cit.art.ad 1.argum.rectè dicit, punitionem per se respicere quam quis injuriam irrogarit, ut pari plectatur supplicio, nec primò attendere ad delictorum proportionem, sed ad cujusque quantitatem, nec nisi ex consequenti tantùm servari in suppliciis eandem proportionem quæ erat in criminibus. In hunc modum ille.

XVII. *Tertio.* Tertiò, distributio justa esse potest, etiam ubi unusquisque non consequitur tantum quantum merebatur, sed quantum ex summa distribuenda, quæ in promptu est, percipere suo loco potuit, sicut superiori disputatione, ostendimus. At quis dixerit pœnas unquam justè irrogari quum pro merito quis non punitur? Equidem in distributione prædæ dixerit imperator, qui prædam militibus distribuit, plura militum virtutem mereri, sed prædam hac vice majorem non esse: quantum enim cuique cedat, ex summa prædæ æstimandum est. Verum ubi delicta punienda sunt dici nequit, majora supplicia esse facinorosos illos commeritos, sed de cumulo suppliciorũ quæ ipsis destinata sint, ea non suppetere. Quarto, si idcò observanda est proportio Geometrica in pœnis constituendis, quia quum diversa & inæqualia sunt delicta, gradatio quædam est inter pœnas ut inter delicta, jam etiam in propriè dictis contractibus eadem proportio locum habet. Sic vendit civium unus ædes, alter fundum, tertius arcam. Fundus is duplo melior est ædibus, arx quadruplo melior fundo. Emptio & venditio justa esse nequit, nisi pretium arcis quadruplo

druplo majus sit pretio fundi, & rursus pretium fundi duplo majus pretio ædium. Nec tamen quisquam unquam tam absurdus fuit, ut emptiones vel venditiones dixerit secundum proportionem Geometricam instituendas esse. Quemadmodum itaque quum emuntur & venduntur res diversæ & inæquales, pretia earum proportionem inter se habent eandem quam res ipsæ, nec tamen proportio ista fundamentum est emtionum, sed ex accidenti supervenit, ita etiam de delictis res se habet quum multa sunt & inæqualia. Si enim justè punitum sit unum eorum, fieri nequit, ut alterum aliquod duplo majus pari pœna plectatur. Si fiat, jam vel prior pœna non fuit justa & adæquata priori delicto, vel certe hęc posterior justa non est. Verùm hoc omne per accidens tantum fieri manifestum est. Hęc de puncto secundo, restat tertium.

Constat itaque jam pœnas proportione Geometrica irrogari non posse. Tantum id adhuc explicandum est, an & quomodo ergo arithmetica proportio in puniendo observari possit, si discrimen personarum habeatur, quod certo modo faciendum esse suprà dictum est, & exertè si nobiles & in dignitate positi, aut virtute aliâs præstantes & bene meriti, mitiùs nonnunquam puniantur quàm alij. Vbi ante omnia id supponendum est, non quæri hîc de ijs quæ nonnunquam publici boni interest ad vivum non resecari, nec de eo quod fit cum necessitati cedendū aliquando est, aut aliàs princeps ex clementia ignoscit ei quod justè punire poterat, sed ea re,

XVIII. Quomodo non violetur proportio arithmetica, si nobiles mitius puniantur quam alii.

Delicta duplicia.

quum delicta iusta pœna afficienda sunt. Hoc supposito notandum primò est, duplicia in universum esse delicta, alia quæ ex proæresi committuntur, alia quæ ex imbecillitate tantùm humana. Illa tantum abest, ut in nobili & eo qui in dignitate constitutus est, quum iure experiundum est, mitius puniri fas sit, ut gravius plectenda sint. Caussa est, quia tum delicta ista maiora etiam sunt, quàm si eadem alius perpetrasset. Primò enim nobiles & cæteri, quos cum iis hic coniunximus, facilius resistere poterant malo, cum scientiâ & virtute maiore instructi fuerint, quod quia non fecerunt, hoc gravius peccarunt, iuxta illud in sacris, *Sciens voluntatem Domini sui & non faciens plagis vapulabit multis*. Lucæ 12.47. Deinde maior eorum est in Deum ingratitudo, à quo maioribus bonis quam cæteri ornati sunt: unde etiam hoc nomine maiora sunt quæ committũt. *Exiguo enim conceditur misericordia, potentes autem potenter tormenta patientur*, dicitur Sapiẽt. 6.7. Tertiò deterius est omne crimen quo magis proficiscitur ab iis quos virtuti præ cæteris litare decebat. Quartò etiam propter exemplum & publicum scandalum. De iis itaque peccatis quæstio accipi non potest. At quæ imbecillitate tantum committuntur, ea huc pertinent. Hoc primò sciendum est. Deinde & illud observandum, aliud esse, cum constat de προαιρέσει mala; aliud cum præsumitur tantum. Ubi constat de ea, nulla est prærogativa nobilis aut in dignitate positi, ut iam diximus: at ubi non constat, liquido prærogativam habet. Quidquid enim rarò quis fecit,

In nonnullis delictis nobilis acrius aliis punitur.

Aliud est cum constat de proæresi aliud cum non constat

cit, id magis ex imbecillitate aliquâ humana quàm ex proæresi fecisse censetur, cum contrà de proæresi coniectura certissima sit, si quis quid sæpè & iteratò commiserit. Proæresin autem multum elevare & aggravare factum, ostendimus ubi de principiis actionum dictum fuit. Tertio notandum est, pœnam quæ qualitate una & eadem sæpè est, quantitate tamen differre, prout alia atque alia persona eâ afficitur. Ita fustigari mitior pœna est servo aut perdito alicui nebuloni, quàm capite plecti, ingenuo autem & verè nobili etiam maior. Vnde fit ut nobilis cum pœna afficitur nonnunquam mitiori in speciem, æquè tamen graviter plectatur re ipsa, atque alius quispiam cui maior, ut videtur, pœna decreta est, cum etiam una circumstantia efficere possit, ut una alias & eadem pœna duplo maior sit quando uni infligitur, atque est cum infligitur alteri. Sic oculo privari longè sine dubio gravius malum est unoculo quam ei qui ambos oculos habet, quod ille isto pacto planè excæcetur, hic ex parte tantum. Certè æquali pœna utrumq; non affeceris, si utrique oculum erueris, etsi una & eadem pœna esse videtur.

Pœna quæ qualitate est eadem, non est quantitate in diversis personis.

XIX. *Immota regula Arithmeticæ proportionis.*

His suppositis, facilè iam ostendi potest quomodo interdum mitius aliis puniantur nobiles & virtute præstantes, nec tamen violetur proportio Arithmetica. Præceptum proportionis illius est, tam nobilem quàm quemvis alium suppliciter tantum plectendum esse, quantum alteri nocuit aut iniuriæ fecit, sive, æquale esse simpliciter debere delictum cuiusque & pœnam.

nam. Hoc immotum est & manet etiam,cum biles interdum mitiùs puniuntur quàm alii:nam vel delictum tàm grave non est in nobili quàm in alio,vel si est, non præsumitur tàm facilè, vel etiam pœna una & eadem est, etsi vulgò non apparet. Ita commiserit idem delictum duo, unus virtute præstans, alter nulla virtute. Constet enim utrumque non tam ex proæresi, quàm ex affectu & imbecillitate aliqua peccasse. Erit nihilominus delictum illius leviùs quàm est hujus, Causa est,quia cum ille sedulo semper caverit ne tale quid delinqueret, ex minori negligentia lapsus est, hic verò etsi nec ipse ex proæresi fecit, majorem culpam habet,quia minus caverat. Unum igitur est delictum, sed alterum altero gravius. Vnde etiam major pœna uni merito infligitur quàm alteri. Rursus si duo commiserint idem delictum, nec constet ex imbecillitate eos peccasse, majus iterum censetur delictum ejus, qui sæpè ante peccavit, quia ex proæresi fecisse judicatur,minus istius,qui tale quidquam facere non consuevit. Denique sit idem & æquè grave delictum aliquod viri præstantis & hominis aliàs nequam, Fustigatur unus,alter è senatu ejicitur; mitior apparet pœna posterior, sed æquè gravis est,cum homo perditus vix tanti faciat fustigationem, quanti alter ille eam ignominiam. Quæ cum ita se habeant, mitius puniri dicuntur nobiles nonnunquam, vel quia minus deliquerunt,et cùm idem crimen commisisse vulgo censentur,vel quia pœna mitior apparet quæ æq; illis gravis est. Sed hæc nõ vetant quo minus tantũ

Quousq; justitia commutativa attendat conditionem personarum.

pœnæ

pænæ luant quantum nocuerunt. Quare nec proportionem arithmeticam violant.

Dices, haberi tamen hic rationem personæ & dignitatis, cum juxta arithmeticam proportionem personis utamur ut æqualibus; dicit ut Aristoteles, & geometricum tantum sit personas respicere aut ex earum dignitate rē arcessere. Respondeo planè per accidens esse quod dignitas personæ hic respicitur, cum proportio geometrica per se eam spectet: hæc enim simpliciter fundatur super comparatione personarum & præmiorum: Arith. non super personarum dignitate, sed nuda adæquatione delicti & pœnæ. Illic igitur per se attenditur persona, hic per accidens, sive eatenus tantum quatenus persona pœnam aut delictum vel aggravat vel elevat. Docet hoc Thomas l. citat. quæst. 61. art. 2. ad ultim. *Conditio personæ, inquit, in distributiva justitia attenditur, secundum se, in commutativa secundum quod in hoc diversificatur res.* Et ibi Cajetanus: *Commutativa justitia non attendit conditionem personæ, sed præsupposita rei quantitate tam ex persona quam cuiuscunque alterius circumstantiæ conditione, adæquare uni rei rem alteram absolutè quærit: distributiva verò in constituendo æqualitatis formam conditiones personarum assumit, quasi mensuras æqualitatis rerum, &c. Consideratio prima est ad materiam, scilicet ad quantitatem rei, ista verò ad æquationis formam.* XX. *Obiectionis cuiusdam solutio.*

Quibus ita explicatis in proclivi jam est tum loca ipsius Aristotel. quæ pugnare inter se videri supra diximus, tum Aristotelem cum ijs quæ ex jure civili allata sunt conciliare, imò ad omnia XXI. *Quomodo cum Arist. concilientur quæ ex*

Iure civili suprà allata sunt. nia respondere quæ in contrarium adducta sunt. Dicit Philosophus 5.eth. c. 4. justitiam commutativam respicere tantum differentiam nocumenti nec personam, sed personis uti æqualibus, primò scilicet & per se: id enim tantum agit, ut pœnam delicto adæquet. Idem c. 5. & cum eo jus civile ait, in puniendis delictis etiam personas distinguendas, puta per accidens & ex consequenti, scilicet quatenus ex personæ conditione vel delictum vel pœnæ quantitas æstimari potest. Personæ itaque dignitas non attenditur hic propter se, ut in distributiva justitia; sed tantum ad delicti & pœnæ magnitudinem eò rectiùs intelligendam, exæquatio autem delicti & pœnæ per se spectatur. Tantum de hac quæstione.

XXI. *Unum adhuc de iustit. hac notatur.* Unum adhuc nota de justitia commutativa ex Molina de just. tract. 1. disputat. 12. n. 9. quamvis illa frequentius versetur inter partes reipubl. in se; posse tamen eam etiam intercedere inter rempubl. ipsam & partem ejus; sive inter totam communitatem & ejus aliquem civem. Ita si respubl. quidquam emat à privato, cogitur pretium solvere juxta proportionē arithmeticā, non minus atq; privatus: contrahit enim æquè ut privatus. Eodem quoq; modo solvit stipendia pro præstito servitio ijs quorum operam peculiariter cōduxit secundum justitiam commutativā non distributivam, sicut rectè notat Thom. 2. 2. q. 61. artic. 4. ad 2. salarium enim omne compensatio quædam est operæ quam ex contractu quis præstat: cum distributio publicorum bonorum nec ex contractu fiat, nec ad quidquam compensandum,

dum, sed ideò, ut ejus quod jam antè totius est communitatis singuli partem possideant.

XXIII. De talione.

Hactenus de natura justitiæ tam commutativæ quàm distributivæ dictum est. Cæterum cum commutativa, sicut patuit, in eo sit posita, ut quantum vel boni vel mali alter alteri facit, tantum recipiat, quæri hîc jam potest, an ergo justitia commutativa eadem sit cum talione. Cujus rei explicatio quia multum confert tum ad confirmanda ea quæ hucusque allata sunt, tum ad naturam commutationis rectiùs adhuc percipiendam, omitti hîc non debet. Appellatur autem talio cum quis id vicissim patitur quod alteri fecit: Græci vocant τὸ ἀντιπεπονθὸς, quod vulgò contra passum interpretantur.

XXIV. Quid de talione senserint Pythagorei.

Plurimum huic rei sive legi Pythagoreos olim tribuisse, ita ut omnem justitiam nuda talione comprehendi statuerint, imò secundum eam jus ab ipso Rhadamanto inferis dici prædicarint, autor est Aristoteles 5. ethic. ca. 5. & 1. magn. mor. c. 34. & ita eos sensisse ex Æschyli ἱκέτισι confirmat Pet. Victorinus. Idque etiam Theseus ita apud Senecam narrat Herc. furente:

Amphit. Quis iste veri rector atque æqui arbiter?
Thes. Non unus aliâ sede quæsitor sedens,
Iudicia trepidis sera sortitur reis.
Auditur illo Gnossius Minos foro,
Rhadamantus illo; Thetidis hoc audit socer.
Quod quisque fecit patitur, auctorem scelus
Repetit, suoque exemplo premitur nocens.

Camerarius tamen iniquiore Pythagoreis Arist. hic esse censet, nec eos de simplici talione locutos

inde

inde conijcit, tùm quod tanti viri ignorare non potuerint ejusmodi talionem in vita usurpari nō posse, tum quod ipsa vox τὸ ἀντιπεπονθὸς si geometricè sumatur, ut sumserint absque dubio Pythagorei, Geometricæ scientiæ magistri, semper proportionale aliquid dicat, sicut σχήματα ἀντιπεπονθότα vocentur figuræ, quæ proportionalia latera habent. Idem hic in Aristotele desiderat Ehemius lib. 5. de princip. jur. c. 2. quanquam is novas rationes non adfert, imò totam observationem istam dissimulato nomine ex Camerario exscripsit. Verùm etsi conjectura ista Camerarij ineruditа non est, nobis tamen vix fit verisimile, Philosophum sine causa & toties ac tàm disertè Pythagoricos reprehendere, sed oportet omninò eos, aut multos ex ijs, vel in re vel certè in modo loquendi hic hallucinatos esse. Porrò fuit etiam inter leges XII. tabularum similis aliqua, ut testatur Agellius lib. 20. c. 1. *si membrum rupit, ni cum eo pacto, talio esto.* Quin ipse quoque sacræ litteræ talionem approbare videntur. Ita Exod. 21. 23. legitur: *Reddet vitam pro vita: oculum pro oculo; dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede, ustionem pro ustione, vulnus pro vulnere: tumicem pro tumice.* Quod reperitur Deut. 19. v. ult. Et Sap. 11. 16. dicitur: *Pro insipientibus autem ratiocinationibus injustitiæ ipsorum, quibus errantes colebāt reptilia rationis expertia & bestias viles, misisti contra eos multitudinem animantium rationis expertum ad vindictam ut cognoscerent per quæ quis peccat per eadem ipsum puniri.*

XXV. *Nuda talio.* Verum res ista difficultatem magnam non habet: quanquam enim talio simplex neque ad justi-

justitiam distributivam, neque ad commutativam quadrat, ut rectè docet Aristoteles, dubium tamen nullum est, quin in omni commutatione tam voluntaria quàm invita locum illa obtineat, si cum proportione usurpetur, id est, talionem voces, non cum simpliciter quis id patitur quod fecit, sed illud quod ei respondet aut æquale est. Talionem simpliciter ita dictã adhiberi in neutra specie justitiæ posse facilè patet. Cum distributiva quidem nihil commune habet: in distributione enim propriè nõ datur hoc pro illo, sicut toties jam diximus, sed id quod jam ante omnium erat, singulis tribuitur. Aristoteles certè tam manifestum id esse putat in distributiva nullam talionem esse posse, ut nudè id tantum dicat, nec ullam rationem addat c.5.t.43.nam quũ t.seq. ait, multum interesse an quis magistratum gerens percusserit quempiã, &c.de cõmutativa justitia loquitur, sicut rectè eum exponunt Averroes, Thomas, Acciaiolus, non distributiva, ut perperam hoc accipiunt recentiores Ethici & ipse Græcus interpres Eustratius. In commutativa autem observari eam itidem non posse in cõtractibus invitis, vel hoc indicio est: si quis gerens magistratum verberarit subditum is nec repercutietur: quod si autem subditus ipsum percusserit, non tantum male multabitur vicissim, sed etiam supplicio fortè afficietur. Nec enim dicam quod multum intersit, an sponte quis quid fecerit an invitus: quod si enim invitus fortè pulsavit alterum, non tantùm non repercutietur, sed

nec distri. but. nec commut. justitiæ quadrat.

nullo etiam modo plectetur. In delictis ergò puniendis non observatur. Multò minus in commutationibus voluntariis attendi potest. Nec enim emptor id recipere vult quod alteri dat simpliciter & absolute, sed hoc agit ut recipiat quod bonitati ejus rei respondeat, quam venditori ille tradit. Idque tam certum est, ut simpliciter talione rerum permutationes peragendæ sint, nullæ commutationes, nullæ Respublic. permanere possint. Cum enim civitas sit multitudo differentium specie, ut docet Aristoteles 2. Polit. cap. 1. hoc est, ex diversorum generum artificibus & civibus constet, ut Plato ostendit 2. de Rep. & Aristot. etiam in ethicis loc. cit. t. 48. non potest civium alter cum altero permutare ita ut idem vel numero vel specie reddat quod accipit. Quin ideo permutationes instituuntur, ut id quisq; accipiat ab alio quo ipse indiget, quemadmodum explicatur 1. Polit. cap. 6. Ita agricola frumentum dat sutori, sutor contra agricolæ calceũ. Calceus hic idem quid non est cum frumento, sed tanti tamen, si æstimes, quanti frumentum est quod accepit. Unde constat nec justum esse, nec fieri posse, ut in commutationibus sive voluntariis sive invitis idem simpliciter quis recipiat quod facit aut alteri dat, sive ut alio simplex semper usurpetur. Quod si autem adhibeatur cum proportione, & reddatur idem, non quod simpliciter, sed quod ratione æstimationis tale est, longè aliter res comparata est. Id sic ostenditur. Notum est ex ijs quæ suprà disputata sunt, justam commutationem in eo positam esse, ut res quæ permutantur

Talio proportionalis locum habet in just. commutativa

tur

tur inter se adæquentur. Ita delictum & pœna, precium & res empta æqualia esse debent. Quod quando fit, tantum quis patitur, quantum fecit, & tantum recipit, quantum alteri dedit. Sed æqualitas illa ex æstimatione rerum permutandarum petitur, ut idem dicatur passus quis, si ita puniatur ut pœna facto illo digna sit, item si pro ædibus alteri concessis tantum pecuniæ accipiat, quanti ipsæ ædes erant. Quapropter hic talio quędam est, maximè in delictorum coercitione; (hic non propriè est facere & pati) neque tamen simplex illa aut absoluta, sed proportione aliqua constans: idem enim patitur quis quod fecit, si idem dicas, quidquid ratione æstimationis tale est; licet alias ratione naturæ & substantiæ suæ, vel etiam quantitatis Physicæ dissimile sit. Fit equidem interdum, ut plane idē reddatur alicui quod alteri fecerit; sed id eatenus tantum fit quatenus res illæ etiam ratione æstimationis coincidunt. Ita quia nulla potest esse alia æstimatio vitæ hominis, redditur anima pro anima. In ijs autem quæ æstimari possunt sufficit si æquivalens persolvatur.

Sed hic accurate notandum est quod jam ante invenimus, æstimationem illam rerum non dependere propriè ex perfectione naturali earum; putà magnitudine, numero, aut qualitate Physica; vel in universum nobilitate essentiæ; sed vel ex usu & utilitate aut indigentia earum in vita, vel certè ex hominum opinione: tantò enim majoris vel minoris res putatur esse, quantò ea magis ad vitam necessaria *XXV. Unde dependeat rerum æstimatio in vita communi.*

aut utilis est, vel certè esse creditur. Præclarè hoc explicavit D. August. lib. 11. de civit. Dei c. 16. ubi cum dignitatem rerum ex natura & gradibus perfectionis naturalis explicasset, hæc subiungit: *Est etiam alius atq; alius pro suo cuiusq; usu æstimationis modus quo fit, ut quædam sensu carentia quibusdam sentientibus præponamus, in tantum ut si potestas esset ea prorsus de rerum natura auferre vellemus, sive quem in ea locum habeant ignorantes, sive etiamsi sciamus nostris ea locum habeant ignorantes, sive etiamsi sciamus nostris ea commodis postponentes. Quis enim non domi suæ panem habere quàm mures, numos quàm pulices malit? Sed quid mirum cum in ipsorum etiam hominum æstimatione, quorum certè natura tantæ est dignitatis, plerumq; carius comparetur equus quàm servus, gemma quam famula;* Hæc ille: unde intelligi potest qualis æstimatio in rerum commutationibus observetur. Quoties itaq; id quis recipit quod æquivalens est ei ratione eiusmodi æstimationis quod alteri dedit, non habet de quo conqueratur, licet inanimatum sæpè pro animato recipiat: nec numero aut magnitudine aut etiam specie idem illud sit. Idque necessum est sic fieri: sine æstimatione enim tali res æquari inter se nequeunt, adeoq; nec permutari, cum solus usus ea quæ naturâ sua maximè sunt discrepantia æqualia reddat.

XXVII. *De numo.* Huiusmodi igitur talio in omni iustitia commutativa occurrit, imò sine ea manere vita hominum nequit: unde ipsa etiam natura homines hanc docuit, ut multis ostendit Aristoteles 1. Politic. 6. Neque tantùm inde est quod merces pro mercibus dantur, sicut etiamnum hodie per-

permutare solent gentes barbaræ sed indidem etiam est inventio ipsius numi: *nam cum à remotioribus etiam quæreretur vitæ subsidium*, inquit Aristoteles, *importando illa quibus indigebant, & exportando illa quibus abundabant, necessariò numi introductus est usus. Neque enim alias deferri possunt singula ad vitam necessaria. Quare ad permutationes faciendas tale aliquid composuerunt inter se dare & accipere, quod utilium quidpiam existens haberet usum commodandi facilem ad vitam, ceu ferrum & argentum, & si quid aliud tale, primò simpliciter definitũ quantitate & pondere, postmodum verò etiam signo impressum: quo à mensura liberi essent: nam signum positum est ad quantitatem demonstrandum.* Hæc Aristoteles.

Hinc duo disce de numo, quid sit, & cui fini inventus, Est, aut esse debet, quidpiam rerum utilium, sive tale quod communi cõsensu homines ament. Finem habet, ut sit instrumentum commutationum & commerciorum, non tantùm quæ exercentur inter cives unius Reipubl. maximè eorum quæ nobis intercedunt cum longè dissitis. Quidquid ergo communi cõsensu mortales in precio non habent, aut non facilè aliò asportari potest, id numus esse nequit. Dicit equidem Aristoteles 5. Eth. cap. 5. t. 51. numum ex instituto hominum tantùm factum esse, nec natura constare, sed hominum opinione, (id enim est apud Aristotel. illud, νόμῳ εἶναι; non, leget constare, ut vulgò interpretantur) ut nobis situm sit eum mutare & inutilẽ facere. At non loquitur de instituto & opinione unius Reip. aut gentis, sed de opinione omnium huminum, vel saltem ma- *XXVIII. Quid sit numus & quo fine inventus.*

 ximæ

ximæ hominum partis. Nec ullum est dubium quod aurum & argentum sit in precio, hoc inde adeo non esse, quod sua natura sit res tam nobilis aut vitæ tam necessaria: nec enim vel sitim vel famem sedare, vel cœli injuriam propulsare per se potest; unde vita etiam manere sine utroque poterit. Præclarè hoc docet Philosophus 1. Polit. c. 6. *Mutatis iis*, inquit *qui utuntur nullius pretii aut utilitatis est ad aliquod necessariorum, & locuples numis penuriam patietur alimenti.* Quidquid autem bonitatis habet, illud inde est quod utroque metallo commutare cibum, potum, vestes, ceteraque quę vitæ revera necessaria sunt, possumus. Commutari porrò utroq; illa possunt ideò, quia omnes homines communi quodam consensu aurum & argentum amant, cujus rei tum aliæ caussæ sunt tum si quæ sunt in re ipsa, præcipuæ videntur de auro illæ esse, quas Plinius lib. 33. hist. nat. cap. 3. recenset. Verba ejus adscribimus. *Præcipuam*, inquit, *gratiam huic materiæ fuisse arbitror, non colorem qui in argento clarior est, magisque diei similis, & ideò militaribus signis familiarior, quoniam is longius fulget*, &c. *Nec pondere aut facilitate materiæ prælatum est cæteris, cum cedat utrumque plumbo, sed quia rerum uni nihil deperit igne, tutò etiam in incendiis rogisque durante materia: quin imo quo sæpius arsit proficit ad bonitatem*, &c. *Altera caussa pretij major: quã minimum usus deterit, cum argento, ære, plumbo, lineæ producantur manusque sordescant decidua materia. Nec aliud laxius dilatatur, aut numerosius dividitur, ut potecujus unciæ in septuagenas & quinquagenas pluresque bra-*

bracteas quaterũum utroque digitorum ſpargantur. Iſta Plinius: qui quæ de auro dicit,et etſi non æque, ex parte tamen etiã argento competunt. Hæc ergo & hujuſmodi ſunt cauſſæ ex quibus amor ille utriuſque metalli ortus primum eſt & unde æſtimari utrumq; cæpit, quibus ſine dubio ipſa hominum ſtultitia multum adjecit. Ex communi antem iſta opinione & amore evenit, ut in tanto precio habeatur & inſtrumentum commutationum factum ſit. Quod ſi autem tollatur illa opinio,& ut nunc omnibus grata iſta metalla ſunt, ita in prætio cæperit haberi plumbum vel æs, jam illud commutationis inſtrumentum erit, & aurum ac argentum negligetur, ſicut in multis novi orbis provinciis à principio ab incolis in nullo pretio habitum fuiſſe legimus.

Opinione itaq; hæc conſtant & arbitrio hominum, ſed communi omnium aut plerorumque, ſaltem eorum quibuſcum comercia nobis intercedunt. At non inſtituto & arbitrio unius gentis aut regionis, ut dixi, niſi forte illa nulla comercia cũ alijs habeat præterquã dãdo merces pro mercibus. Sic in Tartaria monetam faciunt de papyro forma quadratâ, cui regis ſive imperatoris ſignũ imprimitur, ut ſcribit Haythonus in hiſt. oriental. c. 2. vel de cortice mori arboris, ut tradit Paulus Venetus l. 2. c. 21. Licet hoc utiq; illi gẽti, ſed iſtis tamen numis ab exteris nihil ement: nec enim quiſquam Europæorum aut Turcarum pro corticis alicujus aut papyri exigua portione quid quam cum illis commutabit. Sed iſtiuſmodi numus Tartaris ſufficit ideò, ut diximus, quia XXIX. *Quis & quousque conſtet hominum opinione.*

tam latè patent eorum terræ & tam vastum unius Reipubl. imperium est, ut abunde omnia quæ ad vitæ sustentationem requiruntur suppeditet, nec ipsi nisi pauca fortè ab aliis gentibus eaque nuda permutatione accipiant. At in aliis provinciis, quæ nec tam amplæ sunt ut ipsæ sibi sufficiant, nec uni domino parent, fieri id nullo modo potest, nisi cōmutationes & commercia omnia penitus tollere velis. Nec impedit quod nōnunquam in obsidionibus urgente necessitate ex aliis metallis numi cusi traduntur, cum quidquid ita cuditur non tam numi veri sint, quam verorū numorum succedanei, quia statim atq; melior rerum facies redierit, à magistratu veris numis permutantur, nec alio fine cuduntur, quam ut tamdiu quasi fide jubeant pro magistratu, donec veri numi denò suppetant. Quod si autem ideò cusi fuerint, vel ijs quidquam durante obsidione ematur, nec id absurdum est, quia tum omnes à quibus quid emitur sub ejus imperio sunt qui numos illos cudit, ut merces pro ijs dare nemo detrectare possit. Sed hoc aliâs ita se non habet, quoties scil. unius Reipub. cives emunt à civibus alterius: tum enim nisi communi consensu inter plures Resp. de numo convenerit nulla esse cōmercia possunt argenteis & aureis non retentis.

XXX. *Numus debet esse aliquid stabile.* Quomodo itaque ex hominum opinione numus dependeat, & qua ratione Aristoteles dicat in nostra potestate esse eum mutare & inutilem reddere ita patet: nec enim pro lubitu de eo statuere potest Respubl. multò minus quoties pla-

placuerit eum immutare. Certè tantùm abest ut hoc sentiat Aristoteles, ut normam illum & mẽsuram omnis æstimationis rerum, & cunctorum commerciorum esse dicat, quemque, cum rerum aliarum pretia nunc majora sint, nunc minora, stabile quid & constans, quantum fieri potest, esse oporteat. *Idem*, inquit, *numo quoq; accidit*, scilicet ut valor ejus crescat aut decrescat: *non enim semper æqualem vim habet:* ὅμως δὲ βούλεται μένειν μᾶλλον, *sed ejus natura est ut stabilis permaneat magis.* Nec fieri aliter potest: si enim norma est omnis æstimationis, fundamentum utiq; erit cunctorum contractuũ, & impossibile est aut ipsos contractus aut quidquam justitiæ in ijs remanere, ipso ejusque antiquo valore sublato. Ubi autem contractus tolluntur, & justitia quæ in contractibus requiritur, ibi ipsam societatem civilem everti & planè pessumdari necessum est. Hæc de numo: quæ enim plura hac de re disputari possunt, ea partim ad Politicos, partim ad JCtos pertinent.

Quæ sit natura justitia tàm in communi, quam sigillatim tum distributivæ tum commutativæ, exposuimus hactenus, jamq; defuncti hoc labore plane essemus, nisi tanquam ἐκ παρέργου adijciendæ hic in fine viderentur tres quæstiones, quæ propter Aristotelem explicari in hac materia debent, & ideo, unâ exceptâ, explicantur à Thoma 2.2. quæst. 59. art. 2. & 3. Soto 3. de just. & jur. quæst. 3. art. 2. & 3. & Molina loc. citat. disput. 10. & 11. Sunt autem hæ, primò; an quicunque facit injustè is continuo sit injustus? deinde: XXXI. *Tres quæstiones ad huc explicanda.*

an etiam volenti possit injuria fieri? tertiò: an iustitia & iniustitia sicut reperitur in societate civili & est inter eos qui cives sunt, ita locum quoq; habeat in societatibus domesticis & intercedat etiam inter uxorem & maritum, parentes & liberos, dominum & servos? De his, inquam, verbo adhuc dicendum est, tum ut Aristoteles rectè intelligatur, tum quòd hæc ad ea quæ superiùs dicta sunt facere aliquid videntur.

XXX. *An qui iniuste facit continuo fit iniustus.* Primam itaque quæstionem tractat Aristotel. 5. Ethic. cap. 6. t. 65. & cap. 8. t. 86. Dicit autem posse quenquam iniusta & iniuriam facere qui tamen ideò iniustus ilicò non sit: iniuriam verò vocat si sciens faciat quòd iniustum est nec deliberato tamē animo sed ex ira aut affectu aliquo: solas enim illas iniurias iniustum hominem reddere quæ ab electione profectæ sint. Sed hoc nō videtur úsquequaque verum esse. Sanè id extra controversiam est, posse quenquā agere quæ sunt iniusta, nec ideò iniustum fieri, sicut in universum mala, nec propterea malum esse: aliud enim est agere mala & agere malè, ut 2. Eth. cap. 4. recte docetur, cum mala agat quisquis id agit quod mali, licet inscius fortè aut aliâs invitus; male autem is demum, nō qui id agit quod mali, sed qui sciens & volens ac plane eodē modo quo mali. At quisquis iniuriam facit, is non tantū iniusta sed etiam iniuste agit: quare & iniustus erit. Nec facile cuiquam persuadebitur quod ca. 6. t. 65. dicit Philosophus, non statim furē esse si quis furatus sit, nec adulterum si adulterium commiserit.

ferit. Equidem Aristoteles, ut disertè passim id ostendit, sicut justum eum tantum vocat, qui ex electione & habitu agit quod justum, & in universum virtute præditum, temperantem, liberalem &c. non qui opus virtutis aliquod facit sed qui habitum possidet & electione id agit; hæc enim habitum præsupponit: ita etiam injustum vocat eum tantum qui habitum injustitiæ contraxit: Sed nimis id abhorrere à comuni usu loquendi videtur, & ita potius res se habere, ut nemo justus sit dicendus, nisi qui rectè semper, & ex electione atq; habitu justè agat, injustus verò is qui vel semel sciens volens injuriam fecerit. Cui addi potest, quod in Theologicis sic res se habeat: injustus n. quis sit vel uno actu, sicut primis parentib. id contigit. Hæc sunt quę adsertionem illam Aristotelis dubiam reddunt. Ubi tamen sciendum est, ipsum non negare: eum qui injuriam facit & eo, quod dictum est, modo injusta agit, peccare & pœnâ dignum esse, sed id tantum, injustum non esse, idq; ideo quod injustitia sit vitium, hoc autem habitus, qui una & altera actione non gignitur.

XXXIII. *Quousque vera sit sententia Arist.*

Sed respondendum est Aristotelem nihil falsi dicere: nec enim negari potest id quod asserit, supposita eą acceptione vocis quam ipse usurpat. Neque de sola justitia id ita se habeat, sed de cæteris etiam vitiis: intemperanter enim, timidè, iracundè agere potest, qui tamen nec intemperantiæ, nec timiditatis aut iracundiæ habitum contraxit. Certum etiam hoc est, philosophos morales, ut accuratę tum virtutes tum

vitia explicent,denominationes utrorumq; non tàm ex actu quàm ex habitu perpendere debere, ut Soto dicit. Alia præterea ratio est de justitia etiam exteriori,de qua Theologi agunt,atque de qua Ethici,idq; ideo quod illa ex gratia dependet,quâ sublatâ,quod ob unum peccatum mortale fieri potest, statim amittitur. Falsi ergo & absurdi Aristot.nihil dicit. Interim tamen dissimulandum non est nimis subtiliter id fieri,ut nec injustus dicatur nisi qui ipso habitu talis est, nec fur aut adulter nisi qui furtis & adulteriis totus deditus.Neq; dubito, qui non obstante Aristotelis hac in re sententia,rectè non tantùm injustitiæ,sed cæterorum quoque vitiorum nomina ijs tribuantur qui actus istorum scientes & volentes perpetrant, licet ex prava dispositione sæpe potius quã malitia peccent,sicut & Molina censet. Caussa est quod etsi doctrina Ethica accuratè distinguere debet inter actus nudos & habitus, tamen eadẽ sicut&omnis doctrina civilis ijs merito utitur modis loquẽdi qui à populari sermone non multum recedant,præsertim cum & ipsas disputationes civiles non tam mathematicas quã populares esse jubebat ipse Philosophus 1.Ethic. c.3.& passi. Dicimus igitur injustum recte appellari & verè esse uno modo qui agit iniuste, seu sciens prudens iniuriam facit, sicut & furẽ quisquis furatur,adulterum quisquis adulteriũ committit,altero qui ex malitia & proæresi iniusta agit:hic enim κατ' ἐξοχὴν ita dicitur quemadmodũ & fures atq; adulteri,qui non tantum semel furati

Vera solutio.

rati

rati sunt aut adulterium perpetrarunt, sed istis flagitiis unicè & perpetuò deditι sunt, idq; quodam animi morbo & incurabili malitia. Hæc de prima quæstione.

Alteram multis tractat Aristot.c.9.& 11. Nos paucis eam expediemus. Dicimus autem cum Arist. nemini injuriam fieri, aut posse fieri, planè & omninò volenti. Causa hæc est, tum quod sicut aliàs in moralib. id quis dicitur agere quod ipse vult fieri, ita pati illud dicitur quod ipso fit renitente, ut Thomas & Soto hic docent, tum quod quando quis quid fieri omninò vult, & planè ut fiat consentit, eo ipso iure suo cedit, ut contra id tum agi non possit nec ei iniuria fieri, sicut rem hanc explicat Molina. Nota auté quod dicimus, *omnino volenti*: nam iniuria fieri alicui potest etiam qui aliquid voluit sed coactus & sub certa cōditione. Sic iniuriā patitur qui usuras illicitas soluit, licet id faciat volēs: vult enim ita ut nollet si gratis usurarius, aut licita usura pecuniā mutuaretur. Similiter res se habet de eo qui latronibus pecuniā dedit ut vitā servaret: nec dubium n. est quin iniuriam passus sit, etsi volens pecuniā dedit. Ad eundem deniq; modum matrimonium contractum per consensum metu mortis exortum dissolvitur propter iniuriā, ut Soto hic añotat. Ne itaq; iniuria fiat nō sufficit voluisse aliquid ex parte & mixto modo, sed omninò & omni ex parte. XXXIV. *An volenti possit fieri injuria.*

Nec obstat quod qui seipsos aut mutilant aut sibi manus ultrò inferūt, iniuriam sibi facere dicuntur, cum tamen volentes id faciant, nō enim ii sibiipsis injuriā faciunt, sed Reip. ut dicit Arist. XXXV.

c.11.

c.11.& cum primis Deo; Reip. cui civem subtrahunt; Deo cujus injussu è vita nemini magis exire licet quam militi è statione sua citra præceptum imperatoris, ut etiam Pythagoras censebat, sicut suo loco id ostendimus. Tantū de secunda quæstione. Vbi obiter nota, injuriam posse quenquā facere licet nemo sit cui fiat, Sic si quis rem pluris vendat, quàm par erat, animo defraudandi emptorem, emptor autem sciens & prudens tantum det quantum poscit, nec egestate tamen compulsus aut alias coactus, sed ita ut sponte jacturā ejus pecuniæ, quam ultra justum precium dat, facere velit, aut liberaliter eam venditori concedere, injuriam facit venditor; quod quantum in se est defraudat emptorem: nec hic tamen defraudatur aut injuriam patitur, quemadmodum Soto & Molina hoc loco adservant.

XXXVII *An justitia sit etiā in domesticis societatibus.* Vltima quæstio explicatur ab Arist. lib. 5. c. 6. Rectè autem statuit tam justū quàm injustū esse inter plures & quidē liberos homines ac vitæ in civitate aliquā socios: nam qui in societate domestica unā vivunt ijs justitia & injustitia non nisi per similitudinem tantum aliquam competit. Caussa hæc est, quod servus quidquid est, sit domini sui & liberi parentum. Sicut igitur injuriam nemo sibi ipsi facere potest, ita nec suis: ad quos autem non est injuria ad eos neque justitia est. Similiter res se habet etiam de societate mariti & uxoris, etsi inter eos plus nonnihil justi & injusti intercedit quam inter dominum & servum, parentes & liberos. Hactenus de justitia, & virtute morali in universum. Proximum est ut ad dianoeticas seu habitus mentis accedamus. *PHI-*



PHILOSOPHIÆ MORALIS SEV CIVILIS DOCTRINÆ DE MORIBVS

LIBER QUARTUS.

DE VIRTVTE DIANOETICA seu habitibus mentis.

CAPVT I.

De habitibus mentis in communi.

SUMMARIA.

1 *Quid dicatur Habitus.*
2 *Vocem dispositionis accipi dupliciter.*
3 *De subiecto habituum.*
4 *In solis creaturis esse, nec in corpore sed animo tantum.*
5 *Scotus & Gabriel refutantur.*
6 *In qua facultate animæ sint.*
7 *An cadant etiam in bruta.*
8 *De causa efficiente habituum.*
9 *Habitum principiorum æquè atq; alios acquiri.*

10 *In*

I. *Quid dicatur habitus.*

EXpositurι naturam & essentiam habituum mentis, non inhærebimus explicandæ vocis æquivocationi: notum enim est ex post prædicamẽtis, multis modis dici habitum, sicut idem inculcatur etiam 5. Metaph. c. 20. & 23. t. 25. & 28. Id sciendum est, nos hoc ita vocare qualitatem sive dispositionem rei supervenientem, naturâ sua durabilem seu difficulter mobilem, per quam res certo modo disponatur, ut benè aut malè se habeat ratione naturæ vel operationis suæ: ita n. definiri potest ex 5. Metaph. t. 20. & Prædicam. Qualitatis. Et pertinet hoc sensu ad primam Qualitatis speciem.

II. *Vox dispositionis accipitur dupliciter.*

Ubi tamen nota primò, dispositionis vocabulum recte accipiendum esse: sumitur enim interdum latè, interdum strictè, sicut ipse Aristoteles insinuat in prædicam. & notat D. Thomas 1. 2. q. 49. a. 2. ad 3. Latè pro omni eo quod subjectum disponit, sicut in hac definitione accipitur, strictè pro eo quod ita illud disponit, ut conjũcta adhuc sit

ſit magna imperfectio & mutabilitas, quo ſenſu in Prædicament. diſpoſitiones habitibus opponuntur. Ita calor & frigus diſpoſitiones tantum dicuntur; diſponunt enim ſubjectum, ſed facilè accedunt & recedunt, ſimiliter etiam ſanitas: diſpoſitio preterea eſt in homine cum pingere quis primum diſcit ſeu inchoationem aliquam artis pictoriæ habet. At ſcientiæ & artes ipſæ habitus ſunt, quia perfectius quicquam & magis diuturnum ſunt: *quod enim non eſt difficulter mobile non eſt propriè habitus, ſed ſolum diſpoſitio*, inquit Ariſtoteles. Deinde obſerva quod diximus habitum natura ſua durabilem & difficulter mobilem: nam interdum etiam diſpoſitio propriè dicta durabilis eſt, ſed per accidens tantùm & ratione ſubjecti. Sic calor, ut diximus, diſpoſitio eſt: facilè enim ſi naturam ejus in ſe ſpectes accedit & recedit. Neque minus tamen in hecticis difficulter loco movetur. Ad eũdem modum habitus quoque nonnunquam ſunt inſtabiles; cum tamen per ſe & naturâ ſua durare poſſint. Sic virtutes Theologicæ Fides, Spes, Caritas, culpa ſubjecti & hominis cui inſunt facilè amittuntur: excutere enim eas & perdere homo poteſt, nec minus tamen, habitus ſunt & ita comparatæ, ut niſi per ſubjectum ſtet, durare perpetuò poſſint, ſicut rectè docet Gregor. de Valentia tom. 2. diſput. 4. quæſt. 1. p. 1. Tertiò nota quod dictum eſt habitum diſponere rẽ ut benè vel malè ſe habeat, aut ratione naturæ aut ratione operationis ſuæ: interdum enim primò perficit naturam, interdum

Quomodo habitus dicatur aliquid durabile.

Quid perficiat in ſubiecto ſuo.

Mm & præ-

& præcipuè operationem. Sic lumen gratiæ secundum Thomam perficit primò animā ipsam novumque ei esse conciliat, ac virtutes Theologicæ, quæ ex lumine illo ortum trahunt, perficiunt primo operationes. Hominem itaque novam creaturā esse ab habitu illo gratiæ est juxta ipsum, quod autem ipsum exerceat novos actus, est à fide, spe & cæteris virtutibus, ut in gratia ipsa naturam disponat ad esse aliquid novi, virtutes ad agere. Sed alij aliter hîc sentiunt, & quicquid ea de re sit, præcipuè tamen omnis habitus ordinatur ad operationem, ut ipse Thomas dicit l. cap. a. 3.

III. *De subjecto habituum.* Cæterùm ut natura habituum rectius ad huc intelligatur, quatuor ista cum primis explicanda sunt: *Primò* in quo subjecto sint: *deinde* quomodo producantur: *tertiò* an & qua ratione augeantur: *quartò* deniq; quomodo diminuantur & corrūpantur. Multis hæc pertractat Thomas 1.2. à qu. 50. ad 54. nos præcipua tantum excerpemus. Nihil autem notius est quam certas tantum res esse quæ subjectum ad dispositionem habituum esse possit: nec enim omnibus hoc competit. Thom. 1.c: quæst. 49. art. 4. tres conditiones in re aliqua requirit, ut subjectum habitus aut dispositionis esse queat. Prima est, ut in potentia sit ad aliud: disponi enim nihil potest aut habile reddit, nisi quod in potentia est ad certum quidquam à quo actuetur. Altera est, ut potentia illa ad ea à quibus actuatur indifferenter sese habeat. Tertia ut diversimodè actuari ab eis possit: quod enim sua

natu-

natura determinatum est ad unum tantum, idq; sufficienter & promptè satis præstare potest, illud à superveniente qualitate nec ad unum determinari; nec promptius reddi ad functionem suam bene obeundam potest.

Unde primò efficitur nullum habitum aut dispositionem cadere in Deum opt. max. nec sapientiam aut virtutem ad eum modum ipsi inesse: præterquam enim quod habitus sint qualitates & accidentia, prima illa conditio hic deest, cum sapientia & virtus divina ipsa Dei essentia sint, ut rectè docet Thomas 1. contra gentes ca. 92. & p. 1. q. 14. a. 4. Relinquitur itaq; quod tantum creaturis competant. Deinde & hoc facilè intelligitur, nullos habitus propriè loquendo, sive disponant ad Esse, sive ad operationem, esse posse in corpore. Id sic ostenditur. Qui disponunt ad esse non reperiuntur in corpore, quia corporis qualitates caussas durabiles non habent, cum tamen, ut supra patuit, habitum necesse sit esse aliquid durabile. Sed nec qui disponunt ad operari, cum operationes quæ à corpore primo oriuntur naturâ suâ ad unum sint determinatæ. Ubi notandum est; quoties animæ facultates per membra corporis functiones suas exercent, habitum qui principium est functionum illarum, in ipsis animæ potentijs primò & propriè reside-re. Equidem Scotus 3. sent. dist. 33. unica. ad 3. in fine etiam in ipsis membris corporis per crebras actiones veros habitus gigni statuit: *Concedi-tura*, inquit, *quod in parte corporis potest esse virtus & habitus, sicut patet in manu pictoris & scriptoris*. Et i-

IV. In solis creaturis sunt.

Nec in corpore propriè, sed animo tantum.

Scotus & Gab. contrarium sentiunt.

terum : *Manus mea inexercitata in habilis est in illa facultate quæ est ad pulsandam citharam, exercitata autem est habilis, quod non est nisi habilitate inhærente manui,* Idem ex Occamo docet Gabr. ibid. distinct. 23. q. 1. a. 3. dub. 1. propos. 1.

V. Refutantur. Sed sine dubio rectius sentit Thomas quæst. 50. a. 3. ad ult. Cajetanus, Cōradus, & Gregorius de Valentia habitus omnes principaliter & propriè hærere in animo. Caussa in promptu est: habitus enim primo competit ei quod non tantum ex sese ipso determinatum est ad plura, sed & per se producit actionem. At quicquid fit per membra corporis id omne determinationem à sola anima accipit; estque hæc præterea unica & vera ejusmodi actionū caussa. Cum enim membra illa, ut suo loco ostendimus, instrumenta tātum animæ sint, quicquid agunt; ab animo est, cumque hic plane herile imperium in ea exerceat, ut refragari ipsi plane nequeant, omnem etiam determinationem ad hoc aut illud objectum ab ipso solo recipiunt. Sicut itaque cum faber opus facit malleo; promptitudo actionis illius, quodque hoc aut illud fiat, non est in malleo sed in fabro: ita nec manuū aut pedum vel reliquorū membrorū agilitas, studio & labore comparata, tam membris inhæret, quam animæ facultati membra moventi. Negari equidem nequit, crebrum & continuum exercitium nonnihil etiam membra aptare & rectius disponere ad actionem aliquam suscipiendam, quam alias disposita erant: Sic si manus ex humore forte ali-

Quid cōferant habitus membris corporis.

quo

quo torpeat, discuti ille per crebram exercitationem potest. Sed hæc dispositio ut non est nisi materiale tantum principium actionis quam post modum exercet, ita materialiter etiam se habet ad actionis illius promptitudinem. Quemadmodum enim agens nullum agere potest, nisi materia sit disposita, nec tamen dispositio materiæ principium actionis per se est, sed efficiens, ita etiam promptitudo actionis in manu supponit quandam materiæ dispositionem, ipsa tamen in illa dispositione primò consistit. Eadem ratio est de cæteris membris corporis. Quapropter, ut diximus, habitus illis primò & principaliter competere nequeũt: quod si autem competunt, fit hoc secundariò, id est, conciliant habitus illi in animo majorem aptitudinem corpori ad ejus functiones recipiendas, nec tamen illa aptitudo proprie est habitus, sicut Thomam explicat Valentia & dispositio tantum aliqua habitualis passive se habens, sive corpus proclive reddens ad patiendum, cum habitus proprie gignant proclivitatem ad agendum, ut vult Conradus 1.2.q.56.a.5. Hoc secundum est.

Tertio sciendum est, etsi habitus sunt in anima, nec in omni tamen ea, aut omnibus ejus facultatibus eos reperiri: Certe in anima vegetante non dantur: nec enim facultates ejus ulteriori perfectione indigent, nec indifferentiam habent, ut sic aut aliter agant, cum jam à natura ad actus suos sufficienter instructæ & determinatæ sint. Ita facultas nutritiva

modo viscera sana sint, rectè satis suo officio fungitur. Relinquuntur ergò anima sentiens & rationalis. De rationali difficultas non est: tam enim intellectus quàm voluntas habitibus perficitur, cum utraque potentia bene & male ad operationes suas disponi possit. Tantum de potentijs animæ sensitivæ controversia manet. Thomas quæst. cap. art. 3. ita hac de re censet: *Vires sensitivæ dupliciter possunt considerari*, inquit, *uno modo secundum quod operantur ex instinctu naturæ, alio modo secundum quod operantur ex imperio rationis. Secundum igitur quod operantur ex instinctu naturæ, sic ordinantur ad unum sicut & natura, & ideo sicut in potentiis naturalibus non sunt aliqui habitus, ita etiam nec in potentiis sensitivis secundum quod ex instinctu naturæ operantur. Secundum verò quod operantur ex imperio rationis sic ad diversa ordinari possunt, & sic possunt in eis esse habitus aliqui, quibus benè aut malè ad illud disponuntur.* Hæc ille. Ne dubium est quin sit alia ratio de anima sentiente atque externis membris corporis: ita enim imperio rationis obediunt ejus potentiæ, ut ipsæ tamen simul ad actionem concurrant, & indifferentiam ad obædiendum & repugnandum ex seipsis habeant. Quare etiam habitibus perfici possunt, cumque id appetunt quod debent prompte & alacriter, promptitudo ea nō tantum in voluntate imperante, sed in ipsis etiam residet, sicut & actionis in sese principium aliquod sunt. Sed nota hic, istud de ijs tantum potentijs dici quæ rationi parent, & prout in homine sunt. Tales sunt appetitus sensitivus & sensus

Quomodo competāt facultati sensitivæ.

sus interiores,ut memoria & imaginatio:nam & hæ consuefieri possunt, ut promptius quam solent officium faciant. At in sensibus exterioribus nulli esse possunt: naturâ enim officium suum sufficienter faciunt,nec indifferentiam habent.

VII. *An cadãt etiam in bruta.*

De potentijs autem sensitivis in universum ut sunt in brutis,res liquida nõ est. Notum est bruta animantia multa edoceri, multaq; tam artificiosè sæpe agere, ut & homini inimitabilia sint. Cujus rei plurima exempla accumulat Plutarch. lib. de solert. animal. & exertè de elephantis scribit cap. 26. eos si erudiantur ab homine, *ostendere in theatris eas gestuum figuras & varietates sæpè, ut copiam & concinnitatem eorum difficilè sit humanæ industriæ exprimere aut memoriæ complecti.* Vnde Arist. lib. 9. de histor. anim. c. 46. de ijsdem: *Multa erudiuntur & sciunt quando & regem adorare condiscunt,* Et Strabo libr. 15. *Adeò mansuescunt, ut lapidem ad scopum jacere & armis uti & optimè natare ediscant.* Plura habet Plinius & Ælianus, ad miraculum usque, quę ex omni antiquitate colligit peculiari epist. ad IanumHautenũ Iustus Lipsius. Quæritur igitur, an etiam in brutis sint habitus propriè dicti? D. Tho. art. 3. ad 2. quo minus veri habitus sint hoc deesse putat, quod dominium eorum & potestas utendi ijs in brutis non sit: cum enim ad habitum pertinere videatur, ut secundum eum agamus cũ volumus, sicut dicit Averroes 3. de animat. 18. bruta autẽ omnia illa agunt non tã proprio motu quam homine ad id inducẽte, propriè habitus non esse censet. Nihilominus tamen quia per illã

qualitatem longa consuetudine disponuntur ad agendum sic vel aliter putat quodam modo habitus dici posse. Conradus habituales dispositiones vocat. Gregorius de Valentia solis potentijs naturalibus ea fieri posse putat, ut assuefactio tantum quædam conditio sit ad naturaliter eo modo operandum requisita, quod tamen quid sit non assequor. Scot. loco supra cit. veros habitus esse vult simpliciter. Nos item vel esse tales, vel à veris habitibus parum distare censemus. Tantum de subiecto habituum: nam an etiam in angelis esse possint ad scholas theologicas pertinent disputare.

VIII. De caussa efficiente habituũ.

Cæterum caussam, quæ producit habitus, triplicem statuit Thomas, aliosque à natura inesse docet, alios acquiri actionibus & industria nostra, alios deniq; à Deo ipso infundi. Inter habitus à natura insitos præcipuũ facit habitum principiorum: *intellectus*, inquit, *dicitur esse habitus naturalis: ex ipsa enim natura animæ intellectualis convenit homini, quod statim cognito quid est totũ & quid est pars, cognoscat quod omne totum est maius sua parte.* Nec tamen simpliciter eum facit naturalem, sed tãtum secundum inchoationem aliquam, quod usus eius nullus esse possit, nisi species intelligibiles adsint, hæ autem non natura insint, sed acquirãtur,

Thom. nonnullos dicit à natura produci.

Vnde subijcit: *Sed quid sit totum & quid sit pars, cognoscere non potest, nisi per species intelligibiles à phantasmatis acceptas & propter hoc Philosophus in fine poster. ostendit, quod cognitio principiorũ proveniat nobis ex sensu,* Hæc Thomas. Idem ad habitus naturales refert

quod

quod propter corporis temperiē & organorum dispositionem hominum unus altero nonnunquam ad hoc vel illud intelligendum,& ad hanc vel illam virtutem addiscendam natura aptior est. Et videtur ejusmodi habitus ipse quoq; Philosophus agnoscere, cū 6. Eth. c. 13. & 5. Eudem. c. eod. non tantum doceat hominum nonnullos natura fortes esse, nonnullos item ad temperantiam aut justitiam proclives nasci, sed expresse etiam dicat pueris ac belluis naturales habitus inesse. Verùm quicquid hujus sit, nobis verisimile non fit, habitum ullum proprie loquendo à natura esse posse, sive potius id habitum propriè dici, quod à natura rei inest, ut jam supra in descriptione ejus innuimus. Et potest hoc ex ijs quæ antè ex ipso Thoma docuimus facilè ostendi. Si enim ad subjectum omnis habitus, imò etiā dispositionis proprie loquendo, requiritur, ut non tantum ex se indifferens sit ad plura, sed etiam ut possit diversimo de ad illa disponi, nec habitus principiorum naturalis est, ita ut natura causa ejus sit præcise, nec cæteræ illæ naturales inclinationes veri habitus, quia præcise à natura sunt. *Refutantur.*

IX. *Habitus principiorum æquè atq; alii acquiruntur.*

Nec verò, quod sciam, auctores adeò multi sunt qui cum Thoma habitum principiorum naturalem faciant. Tantum Durans. 3. d. 33 qu. 1. ad 2. & ex recentioribus Dominicū Soto libro 1. de justit. & jur. quæst. 9. art. 2. & Medinam. 1. 2. quæst. 51. art. 1. ita sentire dicunt Conimbricenses, & idem innuere Capreol. in 3. quæst. prolog. respons. ad 3. argum. cont. 1. conclu. Idem et-

jam docet Valentia. Non esse naturalem sed acquisitum docent Suarez in Metaphys. tom. 1. disput. 1 sect. 4. num. 15. & Conimbricens. 1. post. c. 1. quæst. 1. art. 4. qui & Arist. citant. 2. post. cap. ult. Thom. 2. cont gent. c. 79. Ferrar. ibid. ad ratio. 3. Cajetan. 1 · 2. quæst. 50. art. 1. & plures auctores ajunt pro ista sententia allegati ab Abulensi super cap. 13. Exod. quæ 97. Et verò rem ita se habere optime ostendit Suarez, cujus verba ideò adscribimus. *Aristoteles*, inquit, *utrumque posuit, scilicet & habitum principiorum esse virtutem distinctam à sapientia* (de ea enim re illic agit) *ut constat ex citato loco 6. Ethic. & esse habitum quem nostris actibus comparamus, ut ex eodem loco & ex 2. post. cap. ultim. facile sumi potest. Nam in priori loco manifestè ponit illum inter habitus seu virtutes intellectus. Si autem non esset res distincta ab ipsa facultate intelligendi impropriissimè, imò & falsò diceretur, esse habitum intellectus. In posteriore autem loco apertius sentit esse habitum non à natura inditum sed acquisitum, non per discursum sed per simplices actus ex sola terminorum propositione & intelligentia comparatos. Et re vera hoc posterius sequitur ex illo priori. Nam si hic habitus non esset facilitas aliqua usu comparata ad similes actus promptius eliciendos, nulla esset ratio aut fundamentum cur existimaretur esse qualitas aliqua distincta ex natura rei à lumine naturali intellectus, seu ab ipsa facultate intelligendi, tum quia ut Aristoteles dixit 3. de anima cap. 4. intellectus naturâ suâ est pura potentia in ordine intelligibilium & tanquam tabula rasa; tum etiam quia si natura ipsa dedisset totam vim quæ ex parte potentiæ necessaria est ad eliciendos hos*

actus

actus, non tantum quoad substantiam sed etiam quoad promptitudinem & facilitatem, supervacaneum fuisset multiplicare entitates in ipsa facultate intelligendi, sed ipsa posset & deberet in suamet intrinseca entitate fortior & efficacior constitui, neque esset ullum indicium ad illam distinctionem entitatum colligendam: sicut si voluntas natura sua ita est prompta & facilis ad amandum bonũ in communi, ut non possit per actus promptior & facilior reddi, optimum argumentum est, non habere illam promptitudinem per habitum innatum sed per suamet entitatem. Et similiter visus quia ex natura sua habet totam inclinationem & efficacitatem, quam ex aperte sua habere potest ad eliciendum actum videndi, rectè colligimus habere totam illam vim & inclinationem per intrinsecam facultatem & entitatem suam indivisibilem, & non per aliquam aliam à natura inditam. Vndę D. Thomas 1.2. quæst.51.a.1. sensit hunc habitum non esse naturalem secundum se sed quoad inchoationem quandam, quia scilicet actus per quos acquiritur non sunt per discursum habiti, sed immediate ab ipso naturæ lumine profluunt, quamvis in principio & ante habitum non emanent cum tanta promptitudine & facilitate, sicut post acquisitum habitum. Hæc ille. Vnde intelligi poteſt quidnam in cognitione principiorum naturali potentiæ & ipsi lumini intellectus, quid habitui deferendum sit. Quæ, si vera sunt, ut sunt nostra sententia, habitus principiorum innasci nobis aut naturalis dici non poteſt, nisi ideò fortè, quod circa ea versatur facilius & promptiùs percipienda, quæ vulgo naturâ nota vocantur. Tantum nota, quod Suarez dicit Thomam habitum

prin-

principiorum ex parte tantum naturalem facere, quia simplicium terminorum notitiâ acquiri cōcedat, sicut ipse etiam Thomas id dicit, id vix recto talo obstare: cum enim notitia simplicium terminorum, ex quibus principia constant, multum differat à judicio de compositione eorum adeoq; cognitione ipsorum principiorum in se, ipsa facere nequit ut cognitio ista acquisita dicatur, sicut nec lumen intellectus, cujus beneficio primum cognoscuntur, & antequam accedit habitus, naturale ea de caussa esse definit.

X. *Inclinationes in certis individuis potentiæ naturales tantum sunt.* De inclinationibus autem illis naturalibus, quæ in certis individuis propter organorum dispositionem tam ratione intellectus quàm voluntatis nonnunquam reperiuntur, dicimus, habitus proprie eas non esse sed naturales tantum potentias, sicut ex parte etiam explicatum est supra. Nec obstat quod Aristoteles virtutes vocat, item naturalem fortitudinem, temperantiam & naturales habitus, cum abutatur vocabulis tantum, ut ipse disertè fatetur. Idem facit. 1. Polit. ca. 2. ubi uno & eodem commate nomen virtutis nunc nudæ potentiæ naturali, nunc virtuti propriè dictæ accommodat. Verba sunt: *Vt homo perfectionem nactus animantium est optimum; sic cum à lege iustitiaque discessit omnium pessimus est: importunissima enim est armata iniustitia. At homo prudentia & virtute armatus est à natura, quibus maxime potest in res contrarias uti. Itaque impie nefarius atque immanissimus absque virtute fit, & in Venerem & gulam turpissimus.* Hæc Philosophus. Vbi manifestò virtu-

tem

tem & prudentiam verbis prioribus vocat naturalem proclivitatem ad utramque: hac enim abuti tantum possumus, ipsa virtute non possumus, ut insinuatur 2. Ethic. cap. 6. t. 41. & multis deducit D. Augustin. 2. de libero arbitr. cap. 19. Et tamen posteriora verba loquuntur de virtute propriè dicta. Virtutes itaque & habitus naturales vocat insignem aliquam proclivitatem naturalem & indolem ad hunc vel illum habitum, ad hanc vel illam virtutem. Nec minus tamen proclivitas illa propriè habitus aut virtus non est; nec id vult Aristoteles, cum alias otiosè habitus à naturalibus potentiis in prædicamento Qualitatis distinxisset. Ex quibus omnibus manifestum est à natura ipsa propriè habitus non oriri: quod enim præcisè à natura est, id potentia naturalis est. *Quid Arist. vocet virtutes & habitus naturales.*

XI. Quæ tamen cum dicimus; non negamus, si habitus quisquam homini infundatur ab instanti nativitatis, eum naturalem dici posse hoc est, naturæ congenitum; qua ratione omnes virtutes Theologicæ naturales nobis essent, si Adam in integritate perstitisset. Sed etiam hi habitus etsi cum natura inciperent, & eo sensu re verà naturales essent, tamen non essent à natura, nec caussa eorum natura esset; sed huic ejusque potentiis ab illo supervenirent, qui etiam nunc homini Christiano eos largitur. Multo minus id negamus; posse à natura aliquid inesse quod ad instar habitus nobis adhæreat & durabile sit atque adeo habituale aliquid *Quomodo habitus naturales dici possint.*

voce

vocetur. Ita morbi hæreditarii & chronici habituales dicuntur: ita quoque hectica febris appellatur nonnunquam apud medicus omnis febris contumax & opponitur schheticæ, sive ei quæ facilè expelli & fugari potest. Ad eundem modum peccatum originale à Theologis nonnunquam habitus & habituale aliquid dicitur, ut eò rectius distinguatur ab actuali: cùm enim hoc transeat, illud perpetuo & tenaciter inhæret. Nec tamen aut morbus, aut peccatum propriè habitus est, sed labes & corruptio ad modum habitus subjecto inhærens, sicut pravam concupiscentiam & sine metu Dei, sine fide esse, ideo malos habitus appellari disertè docet apologia Augustanæ confessionis ut constet *non actuales culpas esse sed durabiles defectus naturæ non renovatæ.* Manet ergò nullum habitum, ut diximus, propriè ita vocatum à natura esse.

XII. *Habitus acquiri per actus.* Gigni autem eos per actus nostros nullum est dubium, idque cum experientia testatur, tum multis docet Aristoteles 2. ethic. 1. *Omnes*, inquit, *habitus ex operationibus similibus fiunt.* Et paullo ante. *Sicut ædificando homines fiunt ædificatores, citharam pulsando citharœdi, ita mala agendo mali fiunt, bona agendo, boni.* Cum enim res quæ habitibus perficiuntur ita producant actus certos, ut principium agendi sufficiens tamen ab omni parte non sit; crebro idem agendo confirmatur & supplementum principij illius acquirunt. Quæ vero habituum subjecta esse non possunt, in ijs principium agendi jam ante sufficiens est: Ita

ignis

ignis cum præſente materia diſpoſita ſemper urit tam perfecte quam id abſolute fieri poteſt, crebrò urendo qualitatem novam non acquirit: at qui cithara canit, is quia actum illum initio tam perfecte non producit, quàm in ſe produci ille poterat, defectum iſtum continuo exercitio ſupplet. Dixeris hic fortè, non poſſe fieri ut ab actu producatur habitus, cum actus aliquid ſit imperfectius ipſo: quia enim habitus nobiliores actiones producit, quam eæ ſunt quæ à naturali potentia proficiſcuntur, ipſe quoque nobilior ſit iſtis actibus oportet. Sed reſpondeo, animam producere habitum: actus autem illos naturalis potentiæ inſtrumenta tantum animi in hoc negotio eſſe: animus enim idem ſæpe agendo ſemetipſum perficit.

XIII. *An uno actu acquiri poſſit habitus.*

Verum hic quæri poteſt, annon interdū etiam unus actus gignendo habitui ſufficiat? In voluntate quidem, appetitu ſenſitivo & ſenſibus interioribus id nō contingit, ſed crebris ibi opus eſt: at nec in intellectu ad habitum, ut vocant, opinativum generandum. Sufficit tamen interdum unus actus ad ſcientiā concluſionis acquirendā. Oſtenditur hoc ita. Voluntas non poteſt determinari ad agendum quicquam uno actu: obſtat enim libertas ejus, quodq; in particularib. occupetur, actioneſq; illius certas & multas circumſtantias requirant. Vt itaq; conſtanter velit etiam una in re, quod velle debet, plurib. actibus conſuefieri eā oportet; nec tantū enim velle rem illā debet, ſed eo modo & ratione qua velle decet.

Simi-

Similiter res se habet de appetitu sensitivo. Libertatem enim alipuam participat à voluntate, & æquè circumstantiis est alligatus pluribus. Quò accedit, quod post lapsum propter corruptionem naturæ proclivis in se etiam aliâs est ad rebellandum rationi & voluntati; unde non ita facilè subigitur. De memoria & cogitativa facultate experientia idem docet: nec enim facilè quid meminimus, nisi plures unam rem meditemur. At intellectus alia est ratio. Sanè Syllogismus probabilis & argumenta Topica nec illum una vice determinant ad assentiendum rei constanter & perpetuò, sed plures rationes hîc concurrere oportet, unde nec opinio uno actu gignitur, opinio, inquam, loquendo de habitu sive durabili opinione. Verùm ubi demonstrationibus res geritur, etiam unus Syllogismus sufficit; una enim demonstratione convinci intellectus potest, ut sufficienter conclusioni alicui adsentiatur. Ratio in promptu est: cum enim demonstratio caussam adsignet, evidentiam rei conciliat. Intellectus autem cum evidés res est non potest non assentiri; ut suo loco docuimus. Nec tãtùm necessario hoc facit, sed tam firmiter & constanter, ut postmodum assensus ille nunquam tollatur. Et est ejusmodi scientia unius conclusionis habitus aliquis partialis, licet ab habitu totius alicujus objecti sive generis differat, cum non tantum per eum qualitas aliqua de novo acquiratur subjecto, sed ut diximus, etiam durabiliter illi inhæreat. Ita cognoscere intelli-

eclipsin, est percipere illud quod naturâ ignotum erat. Est præterea constans aliquid: qui enim semel caussam ejus cognovit nunquam deinceps ea de re dubitat. Scientia itaque illa non est naturalis potentia sed habitus aliquis.

XIV. *An cum plures actus ad habitum concurrunt omnes aliquid eius producat.*

Sed & hic porrò quæri potest, an quum plures actus ad unum habitum acquirendum concurrunt, habitus ille introducatur per omnes ex æquo, an per vltimum tantum? Thom. 2. quæ. 24. art. 6. ad 2. censet, per ultimum tantum eum introduci: *In generatione virtutis acquisitæ*, inquit, *non quilibet actus complet generationem virtutis, sed quilibet operatur ad eam ut disponens, & ultimum qui est perfectior, agens in virtute omnium præcedentium educit eam in actum; sicut etiam est in multis guttis cavantibus lapidem.* Thomæ contradicit Gabr. 2. sent. d. 23. quæst. 1. a. 3. dub. 4. Verba ejus sunt: *Cum habitus & virtus generatur ex actibus; quilibet actus gignit aliquam partem habitus, quā vocamus gradum. Partem dico certæ intensionis maiorem vel minorem, secundum quod actus ipse est perfectior vel minus perfectus, puta secundum quod est diuturnior aut etiam maiori conatu potentiæ elicitur.* Item: *Per actus singulos aliquis gradus gignitur, quibus unitis & intensis virtus nominatur.* Et iterum: *Sic etiam videre est de guttis lapidem cavantibus: nam qualibet gutta aliquid operatur in lapide cavando, licet sensu imperceptibile, donec frequenter cadentibus guttis appareat lapidis cavatio.* Ita Gabriel. Verum sententia Thomæ nobis probabilior apparet, cū nullus habitus talis introducatur nisi per sufficiens exercitiū; tum autē hoc sufficiens est,

Nn cum

cum ultimus actus elicitur. Ita etiam guttæ præcedentes nihil abradunt à lapide, sed lapidem disponunt tam diu donec una ex sequentibus particulam aliquam auferat, ea inquam, quæ terminus est exercitij illius, quod ad abradendum aliquid requirebatur. Sic sentit etiam Gregor. de Valent. Et certè, si singuli actus producunt aliquid habitus alicujus, tum tales habitus etiam per unum actum possunt produci, nec discrimē est inter scientiæ habitum & cæteros. Hæc est ratio habituum nostra industria acquisitorum.

XV. *Habitus infusi.* Cæterum sunt alij adhuc qui à Deo ipso infunduntur, ut in scholis Theologicis docetur: cum enim Fides, Spes, Charitas, qualitates sint natura sua durabiles & homini supervenientes: subjectum item, in quo sunt, aptum reddant ad certas actiones edendas; nec tamen nostris viribus, sed per gratiam divinam nobis obtingant, habitus sunt, sed longe alius generis quàm cæteri. Potest autem dupliciter aliquid dici infusum, ut notat Thomas 1.2. quæst. 51. art 4. per se & per accidens. *Infusum per se & per accidens.* Infusum *per se* dicitur quod tale est, ut nisi infundatur esse nequeat, sive q simpliciter à nobis & nostra industria produci non potest: Talis est vera & salvifica Fides, caritas Christiana &c. infusum *per accidens* vocatur, quod tale est ut possit etiam à nobis industria nostra acquiri, sed aliquando tamen sine nostro labore à Deo producitur. Hoc modo infundebatur scientia linguarum Apostolis die Pentecostes: cum enim illarum cognitio aliàs paretur nostra industria, Apostolis tamen per solam gratiam divinam con-

concessa fuit. Nec mirum hoc est, cum Deus Opt. Max. non tantum largiri possit & largiatur ea quæ supra naturę vires sunt, nec nisi ab ipso solo proficisci possunt, sed nonnunquam etiam illa sine concursu caussarum secundarum producat, extra ordinem, quæ alias ordinariè per illas comparari possunt & solent. Tantum de causa habituum.

XVI. *De augmento habituum.*

Dicuntur autem habitus augeri non ratione formæ in se, sive specifici & essentialis conceptus sui: *id enim à quo aliquid habet speciem oportet manere fixum & stans in indivisibili*, ait Thomas: sed ratione participationis formæ illius in hoc vel isto individuo. Quatenus enim unum individuum perfectius post recipit formam illam accidentalem quam largitur habitus, atque priùs, eatenus habitus ipse augeri dicitur. Et potest hoc fieri dupliciter: vel enim perfectior redditur in aliquo individuo objecti, prout ad plura se postmodum extendit. Ita scientia rerum naturalium augetur in Petro, cum plurium conclusionum Physicarum cognitionem sibi acquirit quam ante habebat: vel perficitur quatenus forma illa subjectum magis magisque subjicit, licet ad nova objecta non porrigatur. Ita major promptitudo est in uno individuo quam in alio, etiam cum plura individua circa unum & idē objectum versantur, & uno ac eodem habitu prædita sunt. Sic habitus augentur.

XVII. *De corruptione eorum.*

Postremò corrumpi possunt itidem dupliciter, per se & per accidens. Per accidens, cum

 sub-

ſubjectum interit vel corrumpitur aut vitiatur cujus ſint habitus, ſive illud ſit primarium, ſive ſecundarium. Per ſe cum ipſi tolluntur per actus contrarios. Vtroque modo corrumpi dicit Thomas habitus corporis: ſed hi veri habitus nō ſunt, ut ſuprà oſtenſum eſt. Neutro modo corrumpitur habitus principiorum: non antum enim intellectus, cui inhæret, immaterialis eſt & incorruptibilis, ſed tanta etiam illorum principiorum evidentia, ut contrarium ſentire nemo poſſit. Vnde nec à contrario actu deſtrui planè poſſunt, præſertim illa maximè communia; etſi minus communia interdum obliterantur, ut ex 6. eth. cap.3.t.49. notum eſt. Vtroq; modo rurſus corrumpi poſſunt ſcientiæ & virtutes. De ſcientijs hoc liquet: ſicut enim acquiruntur per demonſtrationes & vera principia, ita expelluntur & ex animo delentur per demonſtrationes ſophiſticas & falſas propoſitiones. Et quanquam ſubjectum primarium illarum intellectus incorruptibilis in ſe ſit: corrumpi tamen virtus imaginativa poteſt, & eo etiam modo ſcientia tolli. De virtutibus non minus id conſtat: dum enim nō exercetur bonæ actiones, paulatim ſuccreſcunt contrariæ, & contrarium habitum, altero expulſo, introducunt. Ita corrumpuntur habitus.

XVIII. *An ſola intermiſſione actuū corrumpi poſſit habitus.*

Vnde etiam de diminutione eorum facile conjicere eſt: actus enim contrarij ideo tandem corrumpunt habitum, quia magis magiſque diminuunt. Gabriel. loc. ſup. cit. dub. 6. ſtatuit etiam ſola ceſſatione & intermiſſione actus proprij

prij diuturniore habitus diminui & corrumpi posse. Duas enim caussa corruptionis & diminutionis ponit unam, contrarium habitum, alteram, negligentiam & longam cessationem: Argumentatur & mentem suam explicat hoc modo: *Sicut*, inquit, *habitus generatur ex actibus, ita ex ijsdem conservatur, non quidem simpliciter, quod non possit esse sine actibus, sed quod non possit diu manere sine actuum frequentatione, sicut manifesto patet in habitibus memoriæ*, Et postea subijcit: *Ratio autem hujus non est alia, nisi natura habitus sunt enim quædam ita à Deo condita, ut non solum contrario positivo corrumpantur, sed etiam continuò fluant ad non esse, nisi conserventur ab alio; quorum alia ipse institutor naturæ conservat immediatè, sicut angelos & spiritus rationales; aliqua conservat mediatè, sicut lumen mediante luce vel luminoso. Et horum aliqua sic mediatè conservat, quod cessante mediato conservante statim desinunt conservata per ipsum, quædam non statim, sed remoto conservante (non* Deo *sed medio sive minus principali) successive corrumpi incipiunt, & non diu permanent.* Hæc Gabriel. Verum Thomas hoc negat, & tantum per accidens illa omnia fieri dicit, hoc est, quatenus dum cessatur ab actibus proprijs contrarij suboriuntur. Vbi tamen per contrarios actus, explicante eum Valentia, intelligit actus vel oppositos & revera contrarios vel saltem alienos ab illis, qui habitui proprij erant, ita ut simul his vel illis vacare animus nequeat. Sententiam Thomæ hoc modo explicatam defendit contra Gabrielem, idem Valentia. Argumentatur autem ex fundamento

Negat Thomas.

contrario ita. Si non potest ostendi, habituum conservationem dependere ab actibus, actuum intermissio per se quoq; caussa non est imminutionis aut corruptionis eorum. Sed non potest hoc ostendi, cum enim actus illicò transeant, *non habemus* inquit, *ullum certum argumentum cur sentiamus ab illis quoad conservationem dependere habitus*. Sed quicquid ejus sit, nō videtur de nihilo esse quod Gabriel dicit: etsi enim evidenter ostendi fortè aliâs nequit, habitus per actus conservari, ipsa tamen experientia docet eos expirare, cum diu exercitium suspenditur, etiamsi actus contrarij aut tales, qui cum illis quoquo modo pugnent, non intervenerint. Equidem excepit jam contra hoc Valentia, cum diceret, actus repugnantes vocari etiam alienos, quique ita ab actibus habitui alicui proprijs discrepent, ut simul exerceri cum illis non possint. Vnde dicit, nec requiri, ut actus illi contrarij sint circa idem objectum specie. Sed nescio an hoc rem efficiat. Si enim ideo tantum actus nonnulli contrariari dicuntur habitui alicui, & habitum imminuunt, quia exercitium illorum, si frequens & diuturnum fuerit, incomparabile est cum exercitio habitus, ut loquitur Valentia; item quia actus illi impediunt, quo minus actuum habitui illi propriorum simul tunc esse possit exercitium facile & assiduū, non video, quidnam aliud habitum illum tum tollat, aut imminuat, quam actuum propriorum intermissio. Id sic ostendo: actus enim illi alieni vel officiunt habitui isti, quatenus sunt actus tales, vel quatenus plures actus simul esse etiam a-

XIX. Gabriel. sententia approbatur.

lias

lias non possunt. Non quatenus sunt tales: si enim contrarij non sunt nec sibi inter se ullo modo oppositi, simul esse in eodem subjecto, quod ad naturam illorum attinet, utique possunt. Ergo quatenus plures actus simul esse nequeunt, adeoq; quatenus plures actus simul esse nequeunt, adeoque quatenus unius positio est negatio & exclusio alterius. Quare adhuc manet, interdum habitus perire per id solum quod actus ij proprij cessent, & ab alijs exercitium eorum excludatur, etiam qui illis nullo modo ratione suæ naturæ & essentiæ repugnant.

CAPVT II.

De habitibus in specie.

SUMMARIA.

1 *Non agi hic de habitibus infusis sed acquisitis.*
2 *Quomodo intellectus noster assensum rei præbeat.*
3 *Quomodo scientia, sapientia &c. semper dicant verum.*
4 *Quod sint tales habitus, & de scientia.*
5 *De mente seu intellectu.*
6 *Principiorum divisio & quomodo sint natura nota.*
7 *De sapientia.*
8 *Metaphysicam esse sapientiam.*
9 *Quomodo sapientia à scientia & habitu principiorum differat.*
10 *De habitibus qui circa actionem versantur.*

I. Non agi hic de habitibus infusis.

QVid sint habitus mentis exposuimus hucusque in communi: nunc progredimur ad considerationem eorum specialem. Vbi statim initio sciendum est, tantùm deinceps de acquisitis hic agendum nobis esse: cum enim de infusis ex lumine naturæ nihil constat an sint, & quid sint, & quicquid de ijs cognoscimus, ex S. Scriptura & divina revelatione hauriatur, imò nec habitus illi perficiant hominem tàm in ordine ad hanc quàm ad futuram vitam, in sola S. Theologia explicari possunt & debent, ubi & principia traduntur, ex quibus natura eorum intelligitur, & finis, propter quem à Deo homini conceduntur. Sed nec de omnib. acquisitis hîc disputabimus; cum enim de cæteris habitibus, quibus animus hominis perfici potest, agamus eo tantũ fine, ut prudentiæ naturam hoc rectius percipiamus, omnium illorum tractationẽ persequi necesse non est. Et sunt in animo non tantum habitus principales, sed etiam instrumẽtales. Principales dico, qui per se animum perficiunt & per se quoque expetuntur; Instrumentales, qui cæteris pro instrumentis sunt sive habituum reliquorum quasi accensi quidam, quiq; adeò propter reliquos acquiruntur: Sunt porrò etiam habitus acquisiti alij, qui simpliciter dicunt verum, alij qui verum quidem, sed cum formidine oppositi, ut opinio & fides humana. Cum igitur nullum dubium sit prudentiam per se perficere hominem, per se expeti, item docere eam semper verum, facilè intelligitur, nec inter instrumentales

Nec de omnibus acquisitis.

De quibus sit agendum.

les

les habitus quærendam esse, nec inter eos, qui simpliciter& semper verum nō continent.Quapropter ut naturam prudentiæ cognoscamus, principales habitus & illi, in quibus per se ratio veri est, sive per quos animus veritatē cognoscit, ita ut falsi nihil subesse possit, soli & præcipuè considerandi sunt. Sanè negari non potest etiam opinionem sępè verum dicere, sive animum nostrum veritatem apprehendere, cum opinionem tantum de re habet, vel si de humanâ aliquid credit (dico humana, id est, quæ auctoritate tantum humana nititur) sed id perpetuum non est, nec desinit esse opinio aut fides, si falsum subsit, sicut sapientia, scientia aut prudentia esse desinunt quod sunt, si falsi quidquam habeant: contradictio enim in adjecto est, scire se rem sic habere, & tamen rem aliter comparatam esse. *Opinio & fides humana non semper continent verum.*

II. Sed ut hæc, & quæ postea dicenda erunt, eò rectius intelligas, non abs re fuerit, ut arbitror, verbo hic monere, quomodo in universum animus noster permoveatur, ad assensū rei alicui præbēdum, sicut egregiè id explicat B. Thom. quæ. 14. de verit. a.1.& ex eo Capr. 1.sent, quæ.1.prologi. Movetur autem intellectus vel ab objecto&ipsa re intelligibili, vel à voluntate. Ab objecto, cum à rei ipsius evidentia assensus proficiscitur, à voluntate, cum non tàm res, cui assensum præbes, ad assentiendum te retrahit, quàm voluntas tua. prius quidem rursus fit tripliciter: primò n. aliquando intellectus movetur à re intelligibili, sed non magis ad unam, quàm ad alterā partem cō- *Quomodo intellectus noster permoveatur ad assensum rei præbendum* *Ab obiecto.*

tradictionis, idq; vel propter defectum rationũ & argumentorum, ut in illis problematis contingit, de quibus rationes nullæ suppetunt, puta, si quæratur sit ne numerus stellarum par an impar, vel propter apparentem æqualitatem argumentorum, sive cum tot videntur & tàm fortia militare pro una, quam pro altera sententia. Vtrum horũ fiat semper dicitur intellectus *dubitare*. Deinde movetur intellectus à re intelligibili sępe ad unam partem contradictionis magis, quam ad alteram, nec sufficienter tamen, sed ita ut unam quidem determinatè statuat esse veram, at cum formidine tamen aliquâ oppositi, quod quomodo intelligendum sit pluribus expositum est l. 3. c. 4. n. 6. Et hinc nescitur *opinio*. Tertiò movetur ab objecto ad unã, cõtradictoriarũ totaliter, idq; vel immediatè ut fit in *principiorũ* cognitione: planè enim illis adsentimur, nec propter aliud, sed propter ipsam eorum evidentiam, vel mediate, ut in *scientiis*: Conclusioni enim demonstratæ animus inhæret itidem sine ulla formidine oppositi, nec tamen propter evidentiam ipsius cõclusionis, sed propter eam, quam jã à principijs accepit, ex quibus adstruitur. Hæc est certitudo rerum evidentium. Ita movetur intellectus ab objecto. A voluntate autem hoc fit, cum ad unam partem contradictionis determinatur non tàm à rei ipsius evidentiâ, quàm ab authoritate dicentis, quæ tanta est ut sufficiat ad inducendã volũtatem, ut ei assentiamur. Et hæc est ratio *divinæ fidei*, si scilicet innitatur quis authoritati divinæ & voluntas per peculiarẽ gratiã Spir. S. ad assensum intel-

A voluntate.

intellectui imperandum inclinetur; humanæ, cũ adſenſus ille ſuper authoritate humana fundatur. Quibus expoſitis facilè percipitur, quî fiat, quod opinio & fides humana verum ſemper non dicant: certitudo enim rei vel ab evidentia objecti vel à certitudine auctoritatis eſt, cui creditur. At neutrum eſt in illis: fides enim humana nullam evidentiam nec autoritatem infallibilem habet; opinio evidentiam quidem aliquam, ſed inſufficientem, authoritatem autẽ nullam: cum enim auctoritati aliquid damus, non operari ſed credere rem dicimur. Scientia verò ſapientia & cæteri habitus tales, ſicut & fides divina certitudinem habent: illi propter rerum ipſarum evidentiam, hæc propter auctoritatem infallibilem & iſta etiam evidentiâ longè ſuperiorem.

Ubi tamen accuratè obſerva, quomodo intelligendũ illud ſit, habitus iſtos ſemper verum dicere, quanquam enim nullum dubium eſt, omnem ſcientiam, ſapientiam, prudentiam &c. noſtram eſſe imperfectam & in multis deficere, item ipſum animum hominis, etiam cum habitibus illis inſtructus eſt, ſæpè impingere, non tamẽ ideò vel ſcientia vel ſapientia in ſe ſe falſum dicit. In promptu ratio eſt: primò enim longè aliud eſt, ſcientiam aliquam non eſſe perfectam, ſive non attingere omnia, & aliud eam in ijs, quæ attingit, errare, ut etiam libro 2. multis diſputavimus. Deinde aliud etiam eſt, hominem, ut ut ſcientiam habeat multarum rerum in nonnullis tamen cespitare, aliud ipſam ſcientiam cauſſam erroris eſſe ſive errorem continere: nulla enim ita animum

mum perficit, quin ignorantiæ multum relinquatur, quod ex eo non expellat, nec ita objectum suum exhaurit, quin reliquum aliquid faciat ad quod non porrigatur. Quapropter errare is potest, in quo scientia est, non tamen per scientiam illam, sed imperfectionem & ignorantiam, quæ cum illa ipsa in uno & eodem subjecto conjuncta manent.

IV. *Quod sint tales habitus.* Cæterùm habitus illi principales: quique verum semper dicunt, quinq; sunt numero, ut eos recenset Aristot. 6. Eth. c. 3. ars, scientia, prudentia, sapientia & νοῦς seu intellectus. Sufficientiam numeri hujus Philosophus non ostendit, sed potest ea facilè demonstrari: omnes enim habitus animi acquisiti & principales, quiq; verum propriè dicunt, huc referri possunt, unde plures dari necesse non est. Et tamen omnes illi quinque distincti sunt ut pauciores esse nequeant. Omnes eo referri posse experientia docet, distinctos autem esse quinque illos in progressu patebit. Acciaiolus aliam affert probationem petitam ex diversitate objectorum, circa quæ habitus illi versantur. Sed hæc apud illum legi potest. Nos ordine breviter habitus illos describemus, initio facto à scientia. Quid autem scientia sit rectius intelligi non potest, quam si meminerimus, quid sit ipsum scire. Notum verò est ex Logicis & 1. post cap. 2. scire nihil aliud esse, si propriè & strictè vocabulum accipias, quam rem per caussam cognoscere & illam quidem propter quam res est id est, proximam & adæquatam. Vnde necesse est præcipuè eã reperiri in rebus necessarijs & æternis,

De scientia.

ternis, nec enim in cæteris certitudo aliqua causarum invenitur, vel si qua est, nos tamen latet. Vbi nota æternum vocari, quicquid perpetuū est, sive æternum & semper verum, licet aliàs ab æterno non extiterit, nec in æternum existat: de necessitate enim complexa sive proportionum aut connexionis terminorum sermo est. Acquiritur autem doctrinâ & disciplinâ & quidem Syllogismo demonstrativo: ita enim rem edocere, ut proximam & veram causam ejus adsignes non cujus vis argumentationis est, sed illius, quā apodicticam vocamus. Vnde jam facilè definitio scientiæ adsignari potest: erit enim habitus mentis, qui demonstrat conclusionem necessariā ex veris, necessarijs, primis, immediatis priorib. notioribus & caussa conclusionis. Tale habitus sunt Physica, Mathesis, Metaphysica & quam Pererius addit, quarta illa scientia de substantijs incorporeis. Vbi obiter nota Thomam, Scotum, Albertum, Ægidium & plerosq; Latinos vocabulum scientiæ latius extendere, quam Aristot. 6. Eth. facit, cum scientias distinguunt in cōtemplativas & practicas: res enim, quæ praxi subjacent, ut contingentes sunt, ita nec propriè loquēdo demonstrationem habent. Imò etiam Aristo. cap. 5. in eo discrimen ponit inter scientiam & prudentiam, item inter scientiam & artem, quod scientia non sit rerum contingentium aut quæ sub actionem cadunt, sicut prudentia & ars. Sed hæc alibi pluribus disputantur.

Quomodò acquiratur.

Porrò verò sicut scientia est habitus rem seu conclusionem ex certis & necessarijs principijs de-

V. De mente seu intellectu.

deducens & demonstrans ita νοῦς, seu mens & intellectus & habitus, quo ipsa principia cognoscimus. Imò scientia omnis cognitionem principiorum communium præsupponit, ut multis docet Arist. 1. Post. cap. 2. *Cùm enim* inquit, *oporteat credere & cognoscere rem eò quod syllogismum habemus, quem vocamus demonstrationem, hoc est, eò quod hæc sunt, ex quibus est syllogismus, necesse est non solum præcognoscere prima aut omnia aut quædam, sed etiam magis: semper enim propter quod unum quodque tale est, illud magis est tale, ut propter quod amamus illud magis amicum est, adeò ut si novimus per prima & credimus, & illa noscamus & credamus magis, quoniam per illa novimus & posteriora*: Hæc Philosophus. Non potest aliter fieri, vel enim in infinitum proceditur, vel in primis aliquibus principijs sistatur necessum est. In infinitum procedi non potest, nisi omnem cognitionem tollere velis: nec enim posteriora cognosci possũt, nisi de prioribus ante certus sit: In primis ergò aliquibus subsistendum est. Nec tantùm id in scientijs, sed omnibus omninò disciplinis & universa cognitione nostra usu venit: Non cognoscuntur autẽ principia illa prima vel habitu scientiæ, vel prudentiæ, vel artis, cum omnes istæ disciplinæ, quicquid docent, ex certis principijs demonstrent, & conclusiones tradant, quarum veritas per principia ostendi primũ debet. Quod si igitur habitus est, quo illa cognoscimus alium esse necesse est à cæteris: Datur autem talis habitus: quanquam enim principia illa vulgò naturâ non appellantur & natura etiam

Necesse est esse aliqua prima cognitionis principia.

nota

nota sunt, habitui tamen eatenus hic locus est, quatenus accedente exercitio aliquo promptius veritatem eorum percipimus, quam per solam potentiam naturalem & lumen intellectus congenitum, sicut id cap. precedente ostendimus.

VI. *Principia illa alia theoretica alia practica.*

Cæterùm principia illa alia theoretica sunt, alia practica, theoretica, ut, *Omne totum est maius suâ parte, Æqualia si addas æqualibus, quæ inde oriuntur sunt æqualia. Idem non potest simul esse & non esse. Qualibet res est vel non est*: Practica, ut, *Quod tibi non vis fieri, alteri non esse faciendum*: *Deum esse colendum, Honestè vivendum*; *Benefactores & parentes esse honorandos*, &c. Prima hæc, inquam, sunt & maximè communia principia omnis in universum cognitionis nostræ; cætera enim cuncta in hæc tandem aut similia reciduntur. Novit autem quisque mortalium sine præceptore & sine indagatione aut inquisitione ea vera esse: tantam enim evidentiam habent, ut modo ipsos terminos simplices tantùm intelligas de veritate eorum statim certus sis. Vbi tamen duo notanda sunt, primum est, quod dixi ad cognitionem principiorum requiri cognitionem antea terminorum simpliciorum: quando enim hoc non fit, nullo modo cognoscuntur. Ita natura ipsa quidem docet, totum esse majus suâ parte, sed tùm demum quando jam quis novit, quid vocetur totum, quid pats. Sic itidem docet parentes colendos esse, nec tamen propositionem istam infans intelligit, qui nondum novit, quid sint parentes, quid colere, cum impos-

Quomodo sint naturanota.

Cautela qua.

impossibile sit de terminorum connexione judicare & ejus veritatem percipere, antequam terminos ipsos mens apprehenderit. Alterum est, quod diximus principia illa tam esse evidentia, ut nemo de ijs dubitare possit, id intelligendum esse de ipsis in se spectatis; sive quatenus sine aliqua adjectione & peculiari circũstantia proponuntur: nam alioquin fieri potest, ut vel in dubiũ vocentur, vel non ita facilè percipiantur. Sic natura docet, non esse alterum occidendum; quia hoc tibi fieri nolis: Nec quisquã de veritate hujus principij in se dubitare potest. Interim tamen id in dubium vocari potest, an nec eum interficere liceat; qui quod lethaliter vulneratus sit in prælio ipse te roget, ut hoc facias & mortem sibi approperes. Ad eundem modum naturâ notum est, vim vi repellere licere, & tamen una circumstantia addita id quod alias certum est dubium reddere potest. Ita se habet ratio primorum illorum principiorum. Circa hæc igitur versatur habitus, quem Arist. cum aliud vocabulum commodius non reperiret, nomine ipsius potentiæ intelligendi νοῦν appellavit, vulgo nunc intellectũ vocamus, rectius sine dubio Græcam vocem interpretaturi si mentem diceremus. Sed illud jam usu receptum est, ut mutari nequeat: & parum interest; modò æquivocationem vocis notes & caveas. Pergimus ad sapientiam.

Habitus principiorum dicitur νοῦς seu intellectus.

VII. De sapientia.

Vbi ante omnia sciendum est; dupliciter quẽquã dici posse sapientem, secundum quid & simpliciter, ut docet Aristot. 6. Eth. c. 7. Secundum quid sapiens dicitur, qui in certa materia aut disci-

sciplina excellit. Ita Phidias sculptor, Polycletus statuarius sapiens vocatur; quo sensu nihil aliud intelligimus *quā ipsius artis virtutem*, inquit Philosophus, id est, cognitionem ejus, quod in quaq; arte eximium est seu summū ad quod ea ascendere potest fastigiū: id enim virtus rei vocatur, ut docetur 1. de cœlo t. commentatoris 16. Simpliciter autem sapiens appellatur, qui intelligit non quod in certa re, sed in omnibus præclarissimum est. Sed relicto hîc sapiente secundū quid & respectu certæ artis aut disciplinæ ita dicto, de sapiente simpliciter considerandum est. Hujus Aristo. 1. Metaph. c. 2. sex conditiones sive proprietates esse dicit omniū hominū judicio. Primus est, ut omnia sciat, quoad id fieri potest, non tamen ita ut ea singulatim sciētia complectatur, sed universaliter tantum, altera, ut sciat maximè ardua & difficilia, quæque ab homine levi opera non cognoscuntur: quæ enim vulgata sunt & omnibus obvia ea nosse nullius sapientię est, tertia, ut in demonstrando sit accuratior cæteris & maximè caussas reddere possit, quarta; maximā habeat ad docendum aptitudinem: ista enim cohęrent; caussas omnium accuratissimè nosse; & optimè docere; quinta, ut tradat quæ maximè propter seipsa cognoscuntur, sive ut 6. Ethic. vocantur *honorabilissimā & maximè divina*; sexta denique, ut cęteris artificibus pręsit & pręcipiat: namque & hoc proprium est sapientis; ut non ipse alterius ductū sequatur, sed alijs præscribat, sicut fabris architectus. Idque necessum est fieri: si enim ea novit, in quib. palmarium humanæ eru-

Sapiens secundū quid & simpliciter.

Conditiones sapientis.

1. 2. 3. 4. 5. 6.

ditionis situm est, imò si huius quasi arcem tenet, scientias cæteras ei certo modo subiici oportet. Hæc sunt ὑπολήψεις, quas quisque mortalium de sapientia habet, & ita eum comparatum esse necesse est. Unde Aristoteles in Ethicis sapientiam constare ex duobus illis docet, ex scientia peculiari, & deinde habitu principiorum: si enim eæ sunt conditiones sapientis, quas recensuimus, ut quàm maximè difficilia & cum primis admiranda, tum prima rerum principia & supremas caussas cognoscat, & scientiam oportet esse sapientiam, & talem, quæ quasi caput habeat ipsam principiorum intelligentiam, sicut hoc pluribus explicavimus in Metaphys. l. 1. dispu. 1. membr. 5.

VIII. Metaphysica est sapientia.

Cęterùm inter disciplinas naturâ duce inventas sapientia & reliquarum scientiarum princeps est Metaphysica, ut ostendit Aristoteles 1. Metaphys. c. 2. hæc enim non tantùm scientia est, sed obiectum nacta tam commune, ut sola primas rerum caussas explicet & prima etiam cognitionis nostræ principia illustrare ac propugnare possit. Ita quæ sit prima causa omnium rerum, quis actus ei competat, quæ eius & quanta sit potentia &c. exponit. Ostendit etiam ex terminis suis communissimis eorumque declaratione, quàm impossibile sit, ut prima & communia illa principia cognoscendi, quæ vulgò natura nota vocantur, fallant aut falsi quidquam contineant, sicut hoc pluribus Metaphysici docent. Veruntamen non est sapientia simpliciter, sed naturalis; nam aliàs etiam S. Theologia sic appellatur:

Sed naturalis.

Sed

Sed hic difficultas oritur, quomodo ſapientia à ſcientia & habitu principiorum diſtinguatur: compoſitã enim ex utroq; eſſe apparet. D. Thomas in Ethicis lectione 5. & 1. 2. quæſt. 57. a. 2. dicit, eam diſtingui à ſcientia communiter ſumpta propter eminentiam, quam inter alias ſcientias habeat, ab intellectu, quod iſte conſideret principia in ſe, hęc ea ſimul cum concluſionibus. Acciaiolus ait, ſapientiam nec ſcientiam, nec intellectum eſſe, quia ſit tertium aliquod ex compoſitione utriuſq; reſultans. Idem tamen poſtmodum diffiſus huic ſolutioni, addit ſapientiã poſſe principia aliarum ſcientiarum à priore & communia illa à poſteriori probare, quod nec ſciẽtia aliàs nec intellectus poſſit. Verùm neque hæc omnia recto talo ſtant, nec Thomæ explicatio nodum ſolvit. Breviter itaq; reſpondemus, ſapientiam differre à ſcientia, quod tale objectum habeat, de quo cùm demonſtrat affectiones rei proprias, illo ipſo etiam ſuppeditat rationem & modum tùm confirmandi principia cæteris ſcientijs propria, tùm illuſtrandi, declarandi & propugnandi principia communia, ſi in dubium ab homine pertinaci vocentur: differre item ab intellectu, quia is qua talis, promptitudinem quidem intelligendi illa principia ſuppeditat, non tamen illuſtrandi & propugnandi ea ſicut Metaphyſicus: cum enim hoc dependeat ex accurata explicatione terminorum communiſſimorum, ex quibus conſtant, puta Entis. Totius, Partis, &c. nemo niſi Metaphyſicus illud præſtare poteſt.

IX. *Quomodo ſapientia à ſcientia & habitu principiorum differat.*

Thom.

Acciaiol.

Reſponſio.

X. *Habitus qui circa actionem versatur.* Hactenus descripsimus habitus, qui circa res necessarias & æternæ veritatis versantur: restant duo, qui pro objectis habent res contingentes. Dico autem eas quæ sub actionem nostram cadunt, id est, quas pro arbitrio nostro mutare & conformare possumus. Suntq; rursus in duplici differentia: nonnullæ enim agi propriè dicuntur, nonnullæ effici. *Aliud agere aliud efficere.* Aguntur quæ ad vitam ipsam pertinent rectè instituendam, sive quę rationem honesti aut inhonesti habent, efficiuntur quę instrumenta quasi vitæ sunt & corporis indigentię subveniunt. Thomas actionem vocat *operationẽ manentem in ipso agente* ut est intelligere, velle, &c. Effectionem *operation m transeuntem in exteriorem materiam ad aliquid formandum ex eâ* ut ædificare, secare &c. *Ars.* Vnde duo etiam diversi habitus sunt, rerum quidem quæ aguntur prudentia, quæ vero efficiuntur, ars. *Prudentia.* Hæc definitur, quòd sit habitus cum rectâ ratione factivus, id est, qui conficere aliquid docet rectè & optimâ ratione, sicut sutor calceum, sartor vestem conficit. At prudentia habitus est cum rectâ ratione activus, sive qui secundum veram & rectam rationem vivere docet, & agere ea quæ hanc vitam decent.

XI. *Discrimen inter eas.* Aristoteles triplex facit discrimen inter prudentiam & artem: primo enim opera prudentiæ plerunque sunt propter se ipsa; artis propter aliud. Sic rectè vivere, justè & temperanter agere, &c. propter seipsum expetitur, quia per se pulchrum est, at calceum facere propter usum ejus, id est, ut induas vel vendas. Secundo ars indiget

diget virtute morali sæpè prudentia non item, sed virtus moralis ipsâ potius: regina enim virtutũ moraliũ est prudentia. Tertiò diversa est ratio peccatorum, quæ committuntur in arte, ab ijs quæ in prudentia: nam qui in artefactis peccat spontè, melior eo est qui invitus peccat, cum cõtra res se habeat in rebus prudentiæ subjectis. Sic pictor si de industria in pingendo aberret præstantior est, quã si invitus hoc faciat: qui enim de industria peccarat, rectius pingere norat, qui invitus, non poterat. At in vita ipsa, qui de industria hominem lædit, pejor est eo qui invitus facit. Eleganter hoc exponit etiam Seneca ep. 95. *Vis scire*, inquit, *quam dissimilis sit aliarum artium conditio & huius*: ita enim per abusum vocis appellat prudentiam. *In illis excusatius est voluntate peccare quàm casu; in hac maxima culpa est sponte delinquere. Quod dico tale est. Grammaticus non erubescit solœcismum si sciens facit, erubescit si nesciens. Medicus si deficere ægrum non intelligit quantum ad artem magis peccat quam si se intelligere dissimulat. At in hac arte vivendi turpior volentium culpa est.* Hæc ille. Tot igitur sunt habitus animi principales acquisiti, in quibus ratio veri est, & ista eorum est natura.. Vnde facile jam intelligitur, quid sit prudentia & quid à cæteris habitibus distet. Sed quia hæc tractatio omnis propter naturam prudentiæ explicandam suscepta est, de ea sigillatim & pluribus adhuc dicendum erit.

CAPVT III.

De Prudentia in specie, Et primò de nomothetica sive legislatoria.

SVMMARIA.

1 *De prudentia.*
2 *Quod sit & unde petatur.*
3 *Primum ejus principium à Deo arcessendum.*
4 *Artem simulandi & dissimulandi non esse prudentiam.*
5 *Prudentiam dupliciter dici.*
6 *Divisio prudentiæ.*
7 *Quomodo de ll. agat Philosophus, quomodo ICtus.*
8 *De quibus hac disputatione dicendum, & an vox legis.*
9 *Non involuere,*
10 *Aliud esse legem universi, aliud legem de qua hic agitur.*
11 *Quid si lex.*
12 *Thomæ definitio.*
13.14.15.16.17.18. *Definitio auctoris & eius explicatio.*
19 *Qnotuplex sit lex.*
20 *De lege naturæ.*
21 *Definitio apud Aristot. & Vlpianum.*

22 Ob-

22 *Obiectiones ex scrip. solvuntur.*
23 *Quomodo VVesenbec. explicet definit. Vlpiani.*
24 *Alia difficultas de eadem.*
25 *Legem naturæ esse actum non habitum.*
26 *Præcepta leg. nat. esse duplicia.*
27 *Eam obtinere apud omnes gentes.*
28 *Materia seu obiectum ejus.*
29 *An sit mutabilis.*
30 *De jure humano & quatenus constat ratione.*
31 *Id exemplo declaratur.*
32 *Duplex id esse gentium & civile.*
33 *Obiectum ejus,*
34 *Ius humanum esse mutabile.*
35 *De obligatione legum.*
36 *De obligatione legis naturæ.*
37 *Neminem de ea dispensare posse.*
38 *Nec Deum ipsum.*
39 *Materiam tamen legis tollere posse.*
40 *Explicantur loca quæquam ex sacris.*
41 *De obligatione legis humanæ.*
42 *An etiam Principem obliget.*
43 *Obligare.*
44 *Obligatio ad pœnam & in conscientia.*

PRæclare M. Tullius libro 1. de offic. inter homines & belluam hoc maximè interesse dicit, quod hæc tantum quantum sensu movetur ad id solum quod adest quodque præsens est se accommodet, paullum admodum sentiens præteritum aut futurum, homo autem qui ratio- *1. De prudentia.*

tionis est particeps, per quam consequentia cernit, principia & caussas rerum videt, earumque progressus & quasi antecessiones non ignorat, similitudines comparat, rebusque præsentibus adjungit atque annectit futuras, facilè totius vitæ cursum videat: ad eamque degendam præparet res necessarias. Fit autem hoc ope Prudentiæ, imò hæc ipsa est prudentia, optimè prospicere quid ad vitam feliciter vivendam conducat, & cum ex præteritis de præsentibus judicare, tum his rursus futura annectere: *quod enim sibi rectè prospexerit, id prudentiam habere homines dicunt*, inquit Aristoteles libro 6. Ethic. cap. 7. t. 63. adeò ut nonnullis etiam bestiis prudentia ideò nonnunquam tribuatur, quod in vitâ suâ providendi vim habere videantur ut ipse Aristoteles facit 1. Metaphys. cap. 1. Unde olim Anaxagoram & Thaletem & similes sapientes quidem, sed non prudentes vocabant, cum viderent ipsos propria commoda ignorare, & insignia quidem & admiranda ac difficilia cognitu divinaq; scire, sed inutilia dicerent, quia non quærerent bona humana: prudentia enim circa humana versatur, & in quibus consultatio locum habet, sicut idem philosophus docet.

11. *Quid sit prudentia & unde petatur.* Quapropter prudentia omnis in eo posita est, ut quis cum sibi, tum aliis consultat quæ vitæ salutaria cum primis sunt, eamque quàm pulcherrimam & honestissimam reddunt optima enim vita nulla est, nisi honestissima, sicut id statim primo libro ostensum est. Quid autem honestum

nestum sit tam in universum quàm in singulis actionibus, definit recta ratio: hæc enim prudentiam gignit, imò est ipsa prudentia, dicente Aristotele l.6.Eth.c.ult.t.136. Porro verò recta ratio nihil aliud est quàm ut lib.2. exposuimus, rectum de vitâ hac judicium, idque ex ipsa lege naturæ depromptum. Lex denique naturæ ipsa lex Dei est, ejusq; digito mentibus hominum inscripta, sive potius legis illius æternæ & divinæ radius aliquis, ad vitam hanc civilem regendam nobis post lapsum relictus, sicut ex Paulo ad Rom.c.2. tum docuimus. Unde id intelligi potest, mentiri tantùm nomen prudentiæ & astutiam ac calliditatem merã esse quicquid nec rectæ rationi congruit, nec ad honestatem & virtutem tendit, ut ut aliàs præclaram & utile in vitâ appareat: speciem enim boni habere potest quod à voluntate Dei & lege naturæ abhorret, verè bonum esse nequaquam potest.

Primum itaque principium prudentiæ à Deo ipso immortali arcessendum est & ita existimandum, veram prudentiam ab ejus lege & voluntate unicè dependere. *Nemo enim prudens qui Deum nescit*, ait D. Ambrosius lib.2. offic.cap. 25. *Et nihil est quod magis proficiat ad vitam, quam ut credamus eum judicem futurum quem occulta non fallant, & indecora offendant & honesta delectent*, sicut idem sanctissimus Pater porrò scribit *c.26.* Unde negat Epictetus rectè de vita sentire quenquam posse, nisi idem de Deo & divina providentia rectè statuat, imò nisi penitus & certò sibi id persuaserit, non tantùm numẽ aliquod esse, quod res mortalium

curet tàm in communi quàm uniuscujusque sigillatim, sed etiam, quod Socrates censuerit, se clam Deo nec moveri posse, ut refert Arianus li. 1. cap. 2. Idem Seneca ep. 83. inculcat: *Si certè, inquit, vivendum tanquam in conspectu vivamus, sic cogitandum, tanquam aliquis in pectus intimum inspicere posset. Et post: quid enim prodest ab homine aliquid esse secretum? Nihil Deo clusum est: interest animis nostris & cogitationibus mediis intervenit.* Et Cicero libr. 1. de legibus. *Nihil est præstabilius quam planè intelligi nos ad justitiam esse natos, neque opinione, sed naturâ constitutum esse jus.* Hæc illi. Quare ut nec vita recta aut optabilis, ita nec prudentia vera ulla est nisi Deum autorem & ducem habeat. Notat hoc optimè & Zaleucus Locrensis Pythagoræ discipulus: cum enim magnæ, ut refert Diod. Siculus lib. 12. cap. 19. esset in patria auctoritatis ac observationis, ad ll. componendas à populo delectus & novas sanctiones aggressus, ita in prooemio sanctionum suarum scripsit: *requiri ab incolis suæ urbis ut ante omnia certò persuasum habeant credantque esse Deos, & mente cœlum intuentes & mirificum ejus ornatum & ordinem non casus fortuiti nec hominum illud opificium esse judicent. Idcirco Deos colant ac venerentur, quibus auctoribus omnia honesta & bona mortalibus existant.* Quidquid igitur legi naturæ & rectæ rationi congruit, sectandum totâ vitâ & quidquid ab eâ abhorret, fugiendum ideò censet quisquis prudens est, quod illud Deus ipse præcipiat & approbet, hoc vetet & detestetur, imò quod illud certò remuneretur, hoc acriter

puniat,

puniat. Qua in re enormiter olim lapsi sunt Epicurei, quod non tantùm animæ immortalitatem, sed & providentiam divinam negarint, ut mirum non sit omnem eos rectè vivendi rationem sustulisse, cum ipsa principia veræ prudentiæ subverterint. non potest enim homo quin indignũ in modum se omni scelere polluat, si nec præmia virtuti nec pœnas peccatis post mortem decretas statuat, ut multis hoc deducit liber Sapient. c. 2. dicit. *Nullam*, ait, *providentiam præesse rebus humanis libenter opinantur, dumq; fortuitis committunt casibus & animos & corpora sua, tradunt se feriendos & laniandos libidinibus, divina judicia negantes, humana fallentes, eos à quibus accusantur fortuna patrocinio propulsare se putant.*

IV. *Ars quidvis simulandi & dissimulandi non est prudentia.*

Sunt autem hæc eò accuratius observanda, quò magis hodie sub specie virtutum ipsa vitia venditantur: sicut enim fieri dicebat Cato, ubi Respublicæ in extremo sitæ sint, ut vera rerum vocabula amittantur, & bona aliena largiri liberalitas, malarum rerum audacia fortitudo vocetur, ita prudens nunc plerunque est, quisquis.

Composita dicta ex pectore evoluit suo,
Quæ cum componas, dicta factis discrepent.

Imò hoc palmarium ejus tenere est, sicut de Tiberio Imp. *nullã eum æquè, ut referatur, ex virtutibus suis quam dissimulationem dilexisse*, apud Cornel. Tacitum legimus. Egregiam sane virtutem quàm æquè ut orcum sibi invisam olim dicebat Græcorum fortissimus; & eximiam pruden-

dentiam, quâ sine dubio nulla major vitæ pernicies esse potest, sicut rectè Tullius censet lib. 2. offic. quæque etiam in improbissimos quosque cadit, imò non nisi in illis summam suam ἀκμὴν attingit: nam *Malus cum bonum se simulat, tum pessimus est.* Nihil ergo in universum cum verâ prudentia commune habet ars illa, quidvis simulandi & dissimulandi callideq; alios circumveniendi. Docet id rursus ita Cicer. 1. de officijs cum ait: *Cum duobus modis, id est, aut vi aut fraude fiat iniuria, fraus quasi vulpeculæ, vis leonis videtur: utrumque ab homine alienissimum, sed fraus odio digna maiore, Totius autem iniustitiæ nulla capitalior est, quàm eorum qui tum, cum maxime fallunt, id agunt, ut viri boni esse videantur.* Vnde ipsa cultores suos tandem pessumdet. *Nam si quis simulatione & inani ostentatione, ficto non modo sermone, sed etiam vultu, stabilem se gloriam consequi posse retur, vehementer errat. Vera gloria radices agit atque propagatur, ficta omnia celeriter tanquam flosculi decidunt, nec simulatum quidquam potest esse diuturnum.* Imo *quo quis versutior & callidior est hoc est invisior & suspectior, detracta semel opinione probitatis*, ut hæc omnia Cic. lib. 2. præclarè persequitur: Sed relictâ hac falsò dictâ prudentiâ, in instituto nostro pergamus.

V. Prudentia dupliciter dicitur.

Sciendum autem est, cum Prudens sit qui vitæ rectè consulit, posse prudentiam dupliciter accipi, vel pro eâ quæ privata curat & rem familiarem administrat, quatenus ad corporis sustentationē illa pertinet, vel pro eâ quæ mores & victetus rectè instruit. Priore significatione hic vocem nō accipimus: nam & hæc minus propriè

pru-

prudentia est, cum etiam brutis commune sit ut de ijs prospiciant quæ ad vitam conservandam faciunt.

——Sæpè exiguus mus
Sub terris posuitque domos atque horrea fecit;
Aut oculis capti fodêre cubilia talpæ.

Tamen de posteriore significatione hic sermo est.

Et hoc sensu prudentia re ipsâ nihil differt à Politica, sive facultate civili, etsi ratione discerni possunt, sicut docet Aristoteles lib. 6. Ethic. cap. 8. *Vnus & idem*, inquit, *est habitus, sed esse non est idem.* Vbi recurrit formula illa loquendi quem suprà usurpabat & nos explicabamus; cum de distinctione justitiæ universalis & particularis ageretur. Differunt autem hoc, quod prudentia magis respicit quæ in rem cujusque propriâ sunt, civilis facultas, quę in publicum bonum: etsi utrumque tandem in idem recidit, cum unum idemq; bonum sit unius hominis & totius civitatis; una etiam & eadem felicitas, sicut docetur 1. Ethic. c. & 7. Polit. c. 1. & 2. & nos suo loco ostendimus. Liquet hoc facilè: sicut is demum privâtim rectè & prudenter vivit, qui nihil avarè, nihil injustè, nihil intemperâter etiam in vita privata agit, sed cum ipse virtuti studet, tum familiam universam eâ instruit, maximè autem liberos in spem & emolumentum patrię educat: ita etiam Remp. rectissimè curet qui virtute excellit. Quemadmodum item administratio rei familiaris & vita privata administrationi Reipubl. subordinatur; ita

Prudëtiâ & doctrinâ civilis ratione tantum differunt.

quo-

quoq; prudentia statuendi de rebus privatis referatur necesse est ad Prudentiā civilem. Quare nec una ab altera separari potest,& ubi prudentiam civilem explicaveris de universa eā res liquida erit.

VI. *Divisio prudētiæ.* Dividit autem Aristoteles prudentiam civilē primò in duas partes,in Nomotheticam sive legislatoriam & Politicam propriè dictam. Legislatoriam appellatur quæ leges condit, ut verbo dicam novam Remp. ornat; Politica quæ eam secundum leges istas administrat. Vnde Aristot. illam architectonicam respectu hujus esse dicit: sicut enim architecti est ædes mēte designare,& præscribere quid quomodo in earū extructione fieri debeat,fabrorum autem,sedulo exequi quę præscribit:ita is qui Remp. ordinat.tam publica quàm privata jura condit, ad quorum normam Politica deinceps eam gubernat. Dicitur autem posterior hæc κατ᾽ ἐξοχὴν civilis & Politica facultas,quia etsi constituere&ordinareRemp.majus quid est quàm eā administrare;administratio tamē maximè in sensus incurrit. Vnde facultas cùjùs ope&beneficio hæc perficitur præcipuè Politica appellatur,sicut & Politici illi qui partem reipubl.aliquā gerunt: Porrò verò Politica rursus dividitur ab Aristotele in Iudiciariam&Deliberativam. Iudiciaria est quæ judicia obit,Deliberativa quæ deliberat,& sententiam in senatu dicit. De singulis partibus agendū nobis est,initio facto à Nomothetica siveLegislatoria.Pertinet autē huc universa tractatio deLegibus&jure,non quidem ut à prætoris edicto aut à XII.tabulis,sed penitus ex intima Philosophia eā hau-

De prudentia legislatoria.

riamus, hoc est, naturam juris & legum in genere explicemus, eamque ab ipsa hominis repetamus natura, sicut id faciendū monet Cicero libr. 1. de legib. Quod dum fit, jus civile, sicut idem Cicero dicit, in parvum quendam & angustum locum concludatur necessum est. Neq; enim hæc consideratio ad leges aut jura unius civitatis, sed universi generis humani pertinet, cum non tam spectetur hic quæ jura tam composita sint aut quibus legibus Resp. regantur, sed quibus regi debeant, & ut multa paucis complectar, fontes aperiendi sint unde jura omnia & leges profluunt, quo recurrendum etiam idẽtidem est quoties in explicatione juris civilis hæretur.

Et hæc ideo observari debet, ut intelligatur quo pacto de jure & legibus agat Philosophus, quo item ICtus: nec enim id existimandū est tractationẽ illam ad ICtos tantùm pertinere. Quod quidem tantum abest, ut fieri possit, ut solum jus civile, hoc est, quod certa Respubl. sibi jam constituit, ad eos pertineat: cū enim ICtus non condat leges, sed conditas interpretetur tantùm, nec de alijs agere potest quatenus talis est, nisi quæ latę jam sunt. Vnde quidquid tractat id omne eò refertur, ut ostendat ita aut legibus, aut rescripto principis, aut jure statuario vel simili cautum esse, idque ideo quia aut expressè sic scriptum illic inveniatur, aut ex ijs quæ scripta sunt evidenter hoc deduci possit. Quare nec an rectè & utiliter lata sit lex disputare potest, aut rationes eorū quę constituuntur inquirere l. & ideo 2. ff. de leg. imo

VII. Quomodo de ll. agat philosoph. quomodo ICtus.

imò erubescit sine lege loqui §. consideremus novell. de trient. & semis. 18. item quum lex etiã dura est, sufficere ei tamen debet quod ita sit scripta l. prospexit 12. ff. qui & à quibus man. lib. non fiant. At longè altioris indaginis est quæ Philosophus tractat: primam enim originem omnium legum ostendere debet, leges civiles item in legẽ naturæ quantum fieri potest, & hanc in divinam reducere; imò rationem condendarum legum explicare. Prius facit Ethicus: sicut enim huic exponendum est quę sit natura justitiæ, ita etiam quid & quotuplex in universum jus sit, unde justitia æstimetur. Posterius autem ad Politicum pertinet: quæ enim leges in unaquaque Reip. forma salutares sint, quæ noxiæ, quantâ curâ lex semel lata conservanda sit, & si qua abroganda, quantâ cautione id fieri oporteat; ejus tantum est & illius habitu faciunt qui Reip. præsunt: sicut enim solo habitu Politices Respubl. constituuntur, ita maximè etiam leges feruntur in quib: anima Reip. & salus posita est. Quare de condendis ijs & cuique formæ rerum publ. aptandis disputare Politici est. Plures itaque disciplinæ, ut diximus, de legibus tractant, sed quæq; peculiari ratione: nec tantum eę quas antè attulimus; sed ipsa etiam sacra Theologia: de lege enim divina sive de lege æterna Dei agit.

Quid hic sit Ethici quid Politici.

VIII. *De quib. dicendum hac disputatione.*

Verùm nos relictis ijs quæ ad alias disciplinas pertinent, tria illa hic explicabimus. I. Quid sit Lex? II. Quotuplex sit, & III. Quomodo & quatenus unaquæque obliget. Vbi principio sciendum est, vocabulum Legis tam latè patere, ut

re ut Gregorius de Valentia tom. 2. disput. 7. q. 2. punct. 1. quinque ejus acceptiones recenseat. Sed quia aliqua ex ijs ad solam Theologiam pertinet, nobis ad nostrum institutum sufficere videtur tres tantùm annotasse. Accipiunt autem primò latissimè pro omni regula aut præscripto quo vel imperatur vel prohibetur aliquid in vita sive justè id fiat, sive injustè. Secundò strictius, pro regula tantùm rectâ, quæque præscribit ea quæ justa & bona sunt, & ex usu publico. Tertiò strictissimè sicut interdum apud Iurisconsultos, cum lex opponitur plebis scito, senatusconsulto, edicto prætoris, &c. ut ex toto titulo Institutionis de jure naturali gentium & civili liquet. Sed omissâ ultimâ acceptione, quæ ut facilè putat, justo angustior est pro hoc quidem loco, de duabus cæteris videndum est, quænam huc competat. Sunt autem autores multi & magni, qui legem verè tantùm esse putant quam secunda acceptio vocabuli denotat. Sic Plato 5. de legibus sub fin. statuere videtur, cum legem omnem annexam habere vult rationem, ut non tantum cogat subditos, sed vim persuadendi habeat. Cicero verò etiam disertiùs hoc docet passim in libris de legibus. Unde lib. 1. definit legem rectam rationem imperandi atque prohibendi. Et lib. 2. ait: omnem legem quæ quidem rectè lex appellari possit esse laudabilem. Et paulò post subijcit, eos qui perniciosa & injusta populis jussa descripserint, cum contrafecerint quàm polliciti professique sint, quidvis potiùs tulisse quàm leges; ut perspicuum esse possit in ipso nomine legis inter-

Quotuplicitèr accipiatur vox legis.

An vocabulum legis involvat ut sit justa & bona.

pretando inesse vim & sententiam justi & juris colendi. Hæc ille, cui consentit & D. Augustinus lib.1. de libero arbitr. cap. 5. *Mihi lex esse non videtur*, inquit, *quæ iusta non est*. Multis etiam inculcat hoc D. Thomas. Sic 1.2. *quæst.* 99. *art.* 2. docet omnem legem ordinari ad bonum commune totius civitatis, idque testimonio Aristotelis ex lib. 5. ethic. cap. 1. confirmare nititur. Et. q. 92. art. 1. ubi quæsierat, an affectus proprius legum sit homines reddere bonos & responderat, fieri hoc, si rectè latæ sint; sin minus, reddi bonos tantùm secundum quid, sive in ordine ad illud regimen, cui leges aprentur, sic ait in solutione quartæ objectionis: *Lex tyrannica cum non sit secundùm rationem non est simpliciter lex, sed magis est quædam perversitas legis*. Rursus quæst. 96. art. 4. in corp. dicit, leges injustas esse magis violentias quam leges. Cum Thoma facit Gregorius de Valentia, ut tam ex loco citato quàm ex definitione legis punct. seq. perspicitur.

IX. *Non involvere.* Verum enim vero quidquid hac de re sit, nobis tamen videtur prima acceptio vocabuli magis quàm secunda huc quadrare: nec enim aut de lege divina, aut de naturali, aut bonis tantum legibus hîc agitur, sed de lege in universum. Licet itaque nec lex divina nec naturalis, nec ulla rectè lata possit esse injusta, id tamen ideo non fit, quasi lex esse tum aliquid desinat, cum injustum est, sed quod talis lex sit, hoc est, aut divina, aut naturalis aut rectè lata, cum alias legi humanæ non repugnet, ut interdum iniqua sit, sicut et-

ut etiam Arnisæus docet libro 1. doct. polit. cap. 18. Id sic ostenditur: primo enim sive à legendo vocem derives, ut Isidorus libro 2. etymol. c. 10. sive à deligendo quod optimum est, quam notationem Cicero adfert: sive à ligando, ut volunt Scholastici, nihil impedit, quo minus & quæ iniusta sunt leges esse & dici possunt, cũ ista omnia etiam malis legibus accommodari certo modo queant: Deinde si de essentia reipubl. non est ut sit bona aut ad publicum bonum simpliciter referatur, nec est de essentia legis. At non est de essentia reipubl. cum non tantùm bonæ formæ rerumpubl. veræ respubl. sint, sed etiam malæ. Ergo etiã verè lex esse potest illa quæ bona simpliciter non est. Maior probatur: sicut enim lex primò inventa est propter publicum bonum, ita etiam resp. ut, quantum ad hoc negotium, utrobique par sit ratio. Probatur etiam minor: definitio enim reipub. quam Aristoteles tradit 3. polit. c. 4. puta quod sit ordinatio civitatis cum circa magistratus alios tum maximè circa id quod summam in civitate authoritatem habet, tàm competit tyrannidi, oligarchiæ & democratiæ, quàm regno & alii alicui bonæ & laudabili reipublicæ. Tertiò si nõ tantùm verus sed & bonus civis esse potest qui non est tamẽ vir bonus, etiam lex esse revera potest, imò bona etiã secundum quid, quę tamen simpliciter bona & iusta non est. Prius illud fieri posse docet Arist. 3 pol. c. 3. E. potest fieri etiam posterius. Quartò, disertè ita docet ipse Aristot. quum nõ tantum 3. pol. c. 7. leges alias assi-

Hoc probatur.

gnat bonis rerumpubl. formis, alias malis, sed etiam 5. eth. cap. 9. quem locum Thomas allegat, expressè dicit: *Leges de omnibus rebus ita loquuntur, ut vel communem omnium utilitatem spectent, vel optimorum, vel eorum penes quos summa rerum est potestas, idq; vel secundum virtutem, vel secundum aliquem alium modum talem.* Nec obstat quod supra dixerat, omnia legitima esse aliquo modo justa: sicut enim 4. politic. 7. optimos sive optimates alios simpliciter dici ait, alios ex hypothesi huius aut illius reipub: ita etiā iustū est quod iuri consentit, sive sit simpliciter tale sive ex hypothesi tantum. Hæc primò notari debent.

X. *Aliud est lex universi aliud lex de qua hic agitur.* Porrò & hoc observandum est, Legem interdum appellari id quod ad solas actiones humanas pertinet, interdum ordinem quo tota rerum universitas ab eius conditore & observatore regitur, quique etiam res inanimatas concernit. Ita Claudianus in Ruffi. lib. 1:

——Tunc omnia rebar
Consilio firmata Dei qui lege moveri
Sidera, qui fruges diverso tempore nasci,
Qui variam Phæben alieno iusserit igne
Compleri &c.

Et Boëthius lib. 1. de consolat. Philos. metro 5.

O stelliferi conditor orbis,
Qui perpetuo nixus solio
Rapido cœlum turbine versas,
Legemque pati sidera cogis.
Et paulò post:
Nihil antiqua lege solutum
Linquit propriæ stationis opus.

Idem

Idem *lib.2.met.3.*

Constat æterna positumque lege est,
Vt constet genitum nihil.

Eodem sensu voce ista utitur Manilius 1. *astronom.*

Nec quicquam in tanta magis est mirabile mole
Quam ratio & certis quod legibus omnia constent.

Nos hîc priorem tantùm acceptionem retinemus, cum posterior ad prudentiam civilem nihil spectet.

His suppositis dispiciendum jam est quid sit Lex. Cicero in libris de legibus multas habet definitiones. Primo ita eam definit lib.2. *Lex est æternum quiddam quod universum mundum regit, imperandi prohibendique sapientia.* Sed hæc definitio huc non quadrat: latius enim vocabulum legis accipit, quàm fieri debere jamjam diximus. Altera est libro eod. talis: *Lex vera atque princeps apta ad jubendum & ad vetandum ratio est recta summi Iovis.* Verùm hæc solam legem divinam complectitur. Tertia est libro 1. cujus partem suprà etiam attulimus: *Lex est recta ratio quæ jubet ea quæ sunt facienda, prohibet autem quæ non sunt facienda.* Papinianus ICtus l 1. ff. de leg. ita eam definit: *Lex est commune præceptum, virorum prudentium consultum, delictorum quæ sponte vel ignorantiâ contrahuntur coercitio, communis reipubl. sponsio.* Cui definitioni similem libr.2. Martianus ex Demosthene adfert & Gregorius de Valentia aliam ex Aristotel. Rhetoricis ad Alexandrum cap. 1. Sed præterquam quod multa desiderari etiam in istis definitioni-

XI. *Quid sit lex.*

Variæ ejus definitiones,

bus possint, omnes eæ solis legibus positivis humanis conveniunt.

XIII. *Thomæ definitio.* D. Thomas qu. 90. art. 4. hanc definitionem habet: *Lex nihil est aliud, quam quædam rationis ordinatio ad bonum commune ab eo qui curam communitatis habet promulgata.* In qua tamen Gregorius de Valentia duo reprehendit: Primò quòd illa definitio latius pateat quàm definitum, cum non tantùm leges, sed etiam consilia contineat, quæ & ipsa sint ordinationes quædam, nec tamen propriè leges, cum vim obligandi non habeant. Deinde vocem *promulgata* minus convenientem esse putat, quod promulgatio tantùm creaturis intelligentibus fieri possit, lex autem æterna Dei tam latè pateat, quam ipsa providentia divina & gubernatio totius universi. Sed quidquid sit de voce ordinationis; nec enim negare fortè potest consilia, præsertim quæ in scripturis occurrunt, nonnunquam ordinationes appellari posse, cum leges tamen propriè non sint, quia necessitatem nobis nullam imponunt, altera tamen reprehensio illa locum hic non habet, ipse Gregor. sic definit: *Lex est rectum quoddam rationis practicæ decretum ab eo qui curam communitatis gerit sufficienter sancitum & constitutum, ut ex eius vi debeat necessariò modus aliquis sive in re sive in actione propter commune bonum adhiberi.* Verùm & hæc definitio laborat, ut ex suprà dictis manifestum est.

XIII. *Propria.* Nobis ita definiri posse videtur: *Lex est decretum sive Dei, sive eius penes quem maiestas est in republica, vel naturæ ipsi impressum, vel sufficienter aliàs sancitum & constitutum iuxta quod vivatur, ita ut vel sim-*

vel simpliciter expedit & pium ac honestum est, vel expedit huic saltem aut illi reipublicæ.

Dico *decretum*: lex enim vim cogentem habere debet, quemadmodum dicitur 10. ethic. cap. 9. text. 86. ut à consiliis, cohortationibus & dehortationibus differat. Unde Philosophus ibid. præter optimam educationem civium etiam leges republic. (*multitudo enim*, inquit, *necessitati potius quam rationi, & pœnis quàm honestati paret,)* insinuans commonefactiones & suasiones ac dissuasiones hoc à lege differre, quod illæ necessitatem nullam imponant ei cui suggeruntur aut præscribuntur, hæc omninò imponat. Imò expresse hoc dicit, cum subijcit: *Patris quidem præceptio vires non habet neque necessitatem, neque ullius omnino unius viri, nisi rex aut aliquis talis.* Atque hinc Papinianus legem vocat coerctionem. Errant hic Plato & Cicero quod ut diximus, leges omnes prooemio constare volunt, quo persuadeatur id quod jubetur. Rectiùs Seneca epist. 94. *Non probo*, inquit, *quod Platonis legibus adjecta principia sunt: legem enim brevem esse oportet, quo facilius ab imperitis teneatur: velut emissa divinitus vox sit: jubeat, non disputet. Nihil videtur mihi frigidius, nihil ineptius quam lex cum prologo. Mone, dic, quid me velis fecisse: non disco, sed pareo.* Ita Seneca. Quod tamen cum dicimus non putamus necessarium esse aut de essentia legis, ut certa pœna transgressoribus semper in ea constituatur, sed sufficere si ab ijs repeti ea possit legis vigore & obligatione, ut rectè docet Gregorius de Valentia, disput. 7. q. 2. punct. 2.

XIV. *Explicatio definitionis.*

Lex debet habere vim cogendi.

XV. *Pertinet ad intellectum & voluntatem.* Porrò *decretum* etiam ideo voco, ut intelligatur cum lex sit regula juxta quam vivatur, præscribere autem & proponere regulam partim ad intellectum, partim ad voluntatẽ pertineat, utriusque potentiæ actus ad legem condendam in legislatore concurrere. Intellectus quidem concurrat oportet; cum ejus proprium sit ostendere quid fieri debeat ac utile sit, quidque conducat ad finem quem legislator propositum habet. Concurrit autem etiam voluntas, cum legem ferre non tantùm sit dicere aut proponere quid fieri oporteat, sed & jubere ut fiat: quatenus igitur regula est, opus est intellectus, quatenus vim obligandi habet, opus voluntatis ejus, cujus voluntati conformari voluntatem alterius oportet. Hinc D. Augustinus utrumque exprimere voluit, cum lib. 22. contra Faustum cap. 27. de lege æterna Dei dicit, *eam esse rationem divinam vel voluntatem Dei, ordinem naturalem conservari jubentem, perturbari vetantem.* Quo etiam pertinet illud Vlpiani. l. 1. ff. de constit. princip. *Quod principi placuit legis habet vigorem.*

XVI. *De ejus promulgatione.* Dico porrò in definitione: *Sive Dei sive eius penes quem est maiestas in republ.* & intelligo prioribus quidem verbis non tantùm legem divinam propriè ita dictum, sed potissimum legem naturæ: nam & hæc Dei est, cum Deus ipse eam revelârit, & mentibus hominum inscripserit, ut docet D. Paulus ad Rom. cap. 1. 19. & cap. 2. 15. posterioribus verò omnes leges humanas, sive ecclesiasticæ sint sive civiles: etsi enim majestas propriè est in republ. tamen quia etiam ecclesia visibilis ad

modum

modum reipubl.alicuius eatenus gubernari debet,ut certa disciplina observetur, etiam illic leges ab hominibus feruntur & ferri possunt. [Additur deinde; *Vel natura impressum, vel alias sufficienter sancitum & constitutum*, illud propter legem naturæ,hoc propter leges positivas: cum enim, ut dictum est,lex esse regula aliqua debeat, iuxta quam vivatur, nota sit iis oportet quibus præscribitur. Innotescit autem lex naturæ per naturale lumen rationis & conservatur per συντήρησιν, lex positiva verò & humana, quando sancitur & proponitur,sive promulgatur, quod fieri necessarium est,idque eò usque ut etiam de essentia legis hoc sit,sicut rectè docet Thomas 1. 2.qu. 90. art. 4. Vbi tamen paulò latius accipimus vocabulum promulgationis, quàm fiebat olim apud Romanos,cum legem promulgare esset publicè eam proponere integro trinundino, sive diebus viginti septem, antequam præferretur,sicut ex Cicerone, Livio, Halicarnassæo & aliis scriptoribus constat,& annotavit Rosinus libro 8.antiquit.cap.2.

VIII. *Perinde est sive scribatur sive non scribatur.*

Nihil autem interest an ita constituatur,ut scripto ea comprehendatur, an ut memoriâ tantum,aut alia ratione conservetur,sicut rectè dicit Aristot.10.eth.cap.9.text.90. Sanè Lacedæmonii nullam legem scribebant, sed omnes memoriæ mandabantur,ut Iustinian.Imp.§.10. inst. de iur.natur. gent. & civ.testatur. Imo lege caverat ipse Lycurgus ne scriberentur, ut refert Plutarchus in Lycurgo. Alius mos erat Atheniensium: hi enim omnes scripto comprehendebant. Dis-

putant equidem hic ICti multis, an scriptura sit de essentia legis, aliis disertè id negantibus cum Connano lib. 1. com. 8. aliis contra affirmantibus cum Wesenbecio in parat. de legib. nu. 5. Mynsing. in §. quartum inst. de jur. N. G. & civili. Sed istam litem nostram non facimus: nec enim quid requiratur ad leges Romanas, quatenus sunt tales, sed quid in universum sit de ratione legis, quærimus.

XVIII. Postremò dicimus, *juxta quod vivatur &c.* h. e. quod præcipit bona vetatque mala, puta quæ vel simpliciter, talia sunt, vel secundum quid, idque cum hac interminatione, ut puniat contra facientem, sicut docet Thomas 1. 2. q. 92. a. 2. Ubi tamen duo observa. Primum est, Thomam etiam tertium affectum legi tribuere, ut permittat indifferentia. Sed quia permissio fit sine obligatione, & necessitatem nullam imponis, minus propriè in hunc numerum venit, ut rectè docet Gregor. de Valentia loc. cit. quæst. 1. puncto 1. Deinde & hoc nota: Quamvis lex præcipiat & vetet cum obligatione ad pœnam, nec punitione tamen esse inter effectus ejus recensendam, cum non primariò sed secundariò tantum legi proposita sit, etsi Valentia in obligatione legis includi eam censet, quæst. 2. punct. 2. Ejusmodi igitur quid sunt leges, & solent alio nomine vocari *Iura*: quanquam enim voces istæ nonnihil discrepant, & jura præcipuè dicuntur leges bonæ, plærumq; tamen hæc duo in re ipsa aliâs conveniũt. Sic jus divinum, ius humanum, jus naturale dicimus æquæ ac legem divinam, huma-

humanam, naturalem: Imò jura civitatis nonnunquam illa quoq; dicuntur cum iusta simpliciter non sunt. Sed hæc facilè, ut puto, ipse usus loquendi docebit.

Quid sit lex, ostendimus: explicetur iam porrò quotuplex sit. Potest autem dividi rectissimè omnium ratione caussæ efficientis, ut lex omnis sit aut divina, aut humanam, accipiendo vocabulum divini paulò latiùs. Divina est quæ Deum ipsum autorem habet: humanam quidem homines ferunt. Divina porrò vicissim dividitur in eã quam Deus naturæ inscripsit, & eam quam speciali patefactione promulgavit. Prior est lex naturæ: posterior decalogus, & leges omnes tam iudiciariæ quâm ceremoniales populo Iudaico à Deo præscriptæ, &c. Vnde vulgo tria in universum genera legum faciunt; Legem divinam, naturæ, & humanam. Sed de divina ad scholas Theologicas pertinet agere. Nos de naturali & humana tantùm hic dicemus. Solet quidem lex distingui etiam in affirmativam & negativam, illa dicitur quæ præcipit aliquid, hæc quæ vetat. Sed quia hæc divisio ex accidente tantùm est, eâ omissâ priorem retinemus. XIX. *Quotuplex sit lex.*

Est autem paulo accuratius nobis agendum tam de lege naturali quam de lege humana, sed primo de naturali. Lex itaque naturalis nihil aliud est, definiente Valentia q.4.p.1. quàm *naturale rationis nostræ iudicium seu dictamen, quo per lumen nobis ab æterna lege impressum & inditum evidenter cognoscimus ea esse facienda, quæ ita sunt recta & naturæ nostræ consentanea, ut ea negligere sit deforme & natura* XX. *De lege seu jure naturæ.*

turæ repugnans, & contra ea esse vitanda quæ facere turpe sit, & naturæ rationali minimè congruum. Talia sunt Deum colere: honestè vivere; neminem lædere; suum unicuique tribuere; & uno verbo, illa omnia aliis facere, quæ tibi fieri velis. Hanc legem etiam post lapsum in nobis reliquam esse tum ipsa experientia testatur, jam disertè docet B. Paulus ad Rom. 1. & 3. sicut id lib. 2. c. 2. multis explicavimus, & contra nonnullorum absurditatem sufficienter, ut arbitror, demonstravimus. Et sanè dicit Apostolus, *gentes quæ legem* (intellige scriptam) *non habent, naturaliter quæ legis sunt facere, & ostendere opus legis scriptum esse in cordibus suis, una testimonium reddente ipsorum conscientia & cogitationibus sese mutuò accusantibus aut etiam defendentibus.* Unde manifesto liquet etiam homines corruptissimè viventes legem habuisse & cognovisse, quæ tam bonum approbaret, quàm malum vetaret, licet eam non observarent. Aristot. 5. eth. cap. 7. jus naturale ita describit: *Ius naturale est, quod ubique gentium unam vim obtinet, nec ideò valet, ita vel decretum sit, vel non decretum.* Quæ definitio etsi rem ipsam satis explicat, à posteriori tamen est nostra quidem sententiâ, licet Soto dicat ita jus naturale per caussam formalem & philosophico more definiri lib. 3. de just. q. 1. art. 2. Vlpianus libr. 1. ff. de just. & iur. ius naturæ esse ait, *quod natura omnia animalia docuerit*: nec enim id soli humano generi proprium esse, sed omnibus animalibus quæ in cœlo, quæ in terra, quæ in mari nascantur. Idem repetitur in instit. de iur. N. G. & civili Sed hæc definitio minus accurata

Eam post lapsum in homine reliquam esse.

XXI. *Definitio iuris naturalis ap. Aristotelem.*

Alia Vlpiani.

est etsi eam partim approbant, partim in bonum sensum trahunt. D. Ambrosius 1. offic. cap. 27. Thom. 2.2. qu. 57. art. 3. & Gregor. de Valentia, disput. 7. q. 2. punct. 2. Primò enim dubium nullum est, quin sicuti injuria in bruta non cadit; ut ipse etiam Imperator testatur. libr. 1. ff. si quadrupes pauper, fecisse dicatur, ita etiam nec jus illis competat. Inde ipsi Iurisconsulti ex Cujacio & Goveano ita rem plerumq; explicant, jus naturæ esse si homines id ratione faciant, quod bruta incitatione naturali. Dici itaque jus naturale esse commune etiam brutis, non quod jus ipsum reperiatur in illis, sed quia id in ijs deprehendatur, quod, quando in homine est, jus dicatur. Ita bruta per naturalem inclinationem tuentur se contra vim, alunt & protegunt sobolem & similia faciunt, quæ etsi in ipsis rationem juris aut justitiæ non habent, justa tamen sunt cum homo ea facit. Iulius Pacius in notat. ad instit. expositionem hanc violentam esse putat, & ipsi textui repugnantem & relabitur ad illud, posse saltem impropriè jus tribui etiam brutis. Sed quidquid do priori illo sit: ita enim est, ut dicit, vix admittere explicationem illam verba tàm evidentia videntur, posterius defendi nequit. Sanè occurrunt etiam in sacris Scripturis loca, ubi jus & injuria brutis quoque tribui videntur. Sic Exodi 21. 28. bos cornupeta, qui hominem occiderit, lapidari jubetur, & Levitici 20. 15. occidi jumentum quicum homo cubuerit. Similiter Deuteron. 22. 6. sancitur, si quis offenderit nidum avium, ne matrem accipiat cum pullis, sed

Difficultas quæ in ea occurrit.

Ius & injuria nullo modo cadunt in bruta.

lis, sed pullos tantum, matre liberâ dimissâ, & paulò post, interdicitur ne quis aret asino simul & bove. Quæ leges omnes id supponere videntur, injuriam etiam in bruta aliquo modo cadere: cur enim bos cornupeta & jumentum illud puniuntur, si non peccant, nec bos ille injuriam fecit ei quẽ occidit? pœna enim omnis peccato alicui irrogatur. Vnde D. Augustinus quæst. super Exod. cap. 81. tractans hunc locum de bove, *ait ad justitiam pertinere, ut animal hominibus noxium perimatur*. Possunt ergo injuriam bruta quoq; facere. Sed & eandem pati possunt: si enim non licuit Iudæis pullos & matrem simul auferre; nec asinum bovi jungere in opere faciundo, quia bove imbecillior est, videtur utique injuria utrique animali fieri posse.

XXII. *Objectiones è scriptura solvuntur.* Verùm enim verò hæc nihil probant: nec enim vel bos cornupeta lapidabatur, ideo quod injuriam fecisset, ut jumentum, qui cum homo consuesset, occidebatur, quod ipsum etiam peccasset, sed alterum horum fiebat, ut eo magis cõstaret non leve peccatũ esse homicidium, quippe cum sanguis hominis etiam à bruto repeteretur, quod se facturum expressè dixerat Dominus Genes. 9. 5. alterum verò sancitum fuit in detestationem criminis & abolendam omnem memoriam rei tam nefandę sicut eodem fine Achan propter peccatum suum non solùm cum filiis & asinis ac bobus, sed tentorio quoque & omnibus quæ ei erant comburebatur. Iosu. 7. 25. De pullis autem cũ matre non auferendis & asino bovi non jungendo ideò præceptum fuit, ut dũ ab ijs quæ spe-

ciem

ciem crudelitatis tantum & injuriæ habent abstinerent, eò fortiùs à vera crudelitate & injuria erga proximum retraherentur, quemadmodum hæc omnia exponunt Lyranus & cæteri scripturæ interpretes communiter. Vnde rectè S. Augustinus lib. 1. de adulter. conjugiis ad Pollent. cap.16. ait: *Consuetudo sermonis ita latè patet, ut etiam jumenta quamvis sint rationis expertia, tamen plærumq; dicamus debere vapulare cum peccant. Peccare autem propriè non est nisi eius qui utitur rationalis voluntatis arbitrio, quod in omnibus mortalibus animantibus nonnisi homini est divinitus attributum, sed aliud est cum propriè loquimur, aliud cum verba ex aliis rebus transferendo vel abutendo mutamus.*

Wesenbec. in paratitlis de justit. & jur. ita medicinam huic rei facere conatur, ut dicat hominem, cujus causa omne jus constitutum sit, considerari posse tripliciter, primò ut animal, secundò ut hominem, tertio ut hominem civilem. Hinc efficit porro, quum ei opus jure & disciplinâ sit, tam quatenus est animal, quàm quatenus est homo, & homo civilis; tria esse genera jurium, jus naturale, jus gentium & civile, & naturale illud cõpetere homini prout animal est: unde ait jus naturale efflorescere ex inclinationib. naturalibus, & facultate animæ qua concupiscamus & afficiamur, quæque sit homini cum reliquis brutis communis: istas enim inclinationes unde est custodia & defensio vitæ, libertas, conjũctio maris & fœminæ, procreatio liberorũ, & στοργὰς φυσικὰς esse, quæ omnibus animantibus, ceu communi naturæ hominũ & bestiarũ inditæ sint,

XXIII. Quomodò VVesenb. conetur difficultatem solvere.

Conside-ratio il-lius solu-tionis. sint. Sed & hæc rem non conficiunt ut ipse postmodum ingenuè fatetur: nec enim inclinationes illæ communes cum brutis; aut quidquid est in homine quatenus est animal, justum est aut juri consentaneum, nisi quatenus rationi & principiis practicis conformatur. Causa est in promptu: quod si enim id ilicò est agere secũdum jus naturæ sequi inclinationes naturales quæ sunt in animalibus, jam omni turpis libido, cædes, imo cuncta flagitia juris naturæ sunt, cum omnia ista homines faciant brutâ aliquâ inclinatione: Quare ita censendum est, quicquid juste fit secundũ illas inclinationes, id omne à ratione esse; sicut hoc ipse Wesenbec. uberrimè persequitur. Quin nec obscurè ostendit, minus accuratam esse istam descriptionem juris naturalis, & licet dicat eam retineri posse, quia recepta sit, rationi tamen magis consentaneum esse ait, si non ex inclinationib. duntaxat naturalibus, sed principiis practicis jus naturæ arcessamus. Hoc primum hic notandum fuit.

XXXIV. *Alia difficultas in eadem definitione.* Alterum est quod dicitur juris naturæ esse conjunctio maris & fœminæ, item procreatio liberorum. Vnde Wesenbecius dicit conjunctionem illam esse verè naturalem & communem bestijs. Sed non video quomodo ipsa conjunctio maris & fœminæ item ipsa procreatio sobolis à jure aliquo sit; aut talia agere sit facere quod jus naturæ doceat. Quicquid enim juris naturæ est hoc sine peccato omitti nequit. Sic uxorem, ubi duxeris, tutari legitimo modo, & sobolem quam procrearis educare, juris naturæ est,

est, adeoque nec sine peccato omitti potest. At nemo peccat si non duxerit uxorem, vel liberos non procrearit. Quare etsi uxorem ducere & liberos procreare naturale est, hoc est, naturalis ad eam rem in homine est inclinatio, non magis tamen juris naturæ est quam cibum & potum sumere. Sed his omissis, quæ obiter annotare placuit, eò redeamus, unde digressi sumus.

Primò autem recolendum est quod diximus, legem naturæ esse dictamen sive judicium rationis nostræ. Alexander Alensis p.3. summæ q.27. membr.2. art.1. mavult eam habitum esse: sed rectius, sine dubio, sentit Thomas; qui actum aliquem rationis esse dicit. Sic docet. 12.q.94.a.1. sicut n. aliud sunt ipsa principia naturâ nota; aliud naturalis potentia & habitus quo principia illa cognoscuntur, ita aliud etiam est sine dubio ipsa lex naturæ, modo accuratè loqui velis, aliud habitus, qui docet tam principia quam conclusiones legis illius. Imò lex omnis est præceptum: præcepta autem propositiones sunt in mente, non habitus. Quare nec lex naturæ habitus propriè esse potest. Deinde hoc nota, judicium illud esse, *à lumine nobis ab æterna lege indito*, quibus verbis tum promulgatio tum vis obligandi legis naturæ continetur: lex enim non est lex nisi promulgetur, & vim aliquam præcipiendi habeat, ut suprà ostēdimus. De promulgatione res liquida est. Imperandi autem facultatem is habet qui communitati præest. Cum igitur Deus opt. max. totius rerum universitatis, cujus nos pars aliqua sumus, Dominus & Princeps sit, quidquid ille

XXV. *Lex naturæ est actus rationis habitus.*

Descendit à lege æterna Dei.

ita ostendit faciendum vel omittendum esse, ut si contra ages, ipsius indignationem & vindictā incurras, id omne præcepti & legis vim habeat, necesse est. Et hoc modo proponitur quidquid lex naturæ dictat. Tertio observa, cū dicitur per legem naturæ cognosci ea esse facienda, *quæ ita sunt recta & natura consentanea. ut ea negligere sit deforme & natura repugnans,* &c. non intelligi tantū ipsa principia practica, & comunia illa præcepta, sed omnes etiam conclusiones, quæ inde necessariò deducuntur. Quicquid n. ita faciendum, ita bonum & honestum est, ut cōtrarium ejus ex se sit turpe, id omne ad legem naturæ pertinet, cum quod contra legem humanam fit, turpe tantum sit eatenus quatenus id lege jam & certa constitutione prohibitū est. Id patet quid sit lex naturę:

XXVI. *Præcepta legis naturæ duplicia sunt.*

Sed ut ratio ejus rectius adhuc percipiatur, quatuor ista porro explicanda nobis sunt, primò quotuplicia sint præcepta legis naturæ, secundo; an lex illa & quomodo valeat apud omnes homines: cum enim Aristot. jus naturale hoc distare dicat à legitimo, quod illud ubiq; gētium obtineat, hoc nō itē: potest sine dubio inde quā rectissimè cognosci, tertio quodnā sit ejus objectū; & quarto an mutari possit necne:. namq; & hoc addit Arist. non valere eatenus quatenus quid sit vel decretū vel non decretum, innuens de legis illius ratione esse quod sit immutabilis. Duplicia autē præcipuè sunt præcepta illa: alia ipsa cōmunia & indemonstrabilia principia practica, puta honestè esse vivēdū: quod tibi velis fieri alteri faciendū &c. aliæ conclusiones ex principiis illis de ductæ

ductæ, ut non esse occidendum: neminem esse defraudandum; non esse dicendum falsum testimonium. Sed & hæc vicissim duplicia sunt: nonnulla enim ex principiis illis primis & indemonstrabilibus promptè & facilè deducuntur, adeoque ijs propinquiora sunt, quemadmodum cõclusiones jã allatæ; alia difficilius & ferè à doctis tantùm, remotiora enim ab ijs sunt. Sic juris naturæ est ut pecunia quùm mutuo acceperis, reddatur eadẽ prorsus bonitate, qua accepisti: quanquã n. videri potest sufficere sola externa ut vocant bonitas, idque etiam doctis nonnullis fortè persuaderi, revera tamen non sufficit, sed proximum defraudat qui quod tam interna quam externa bonitate accepit, externa tãtùm reddit. Atque hac in re tam diu proceditur, quàm diu per cogentem & necessariam rationem ex principiis illis aliquid deduci potest, etiamsi conclusiones oriantur à principiis illis nonnihil remotæ, quæque prima fronte non ostẽdant statim ad legem naturæ sese pertinere. Quamprimum autem ratio probabilis tantùm occurrit, exceduntur limites legis naturæ, & incipit esse lex humana.

XXVII. Lex naturæ obtinet apud omnes gentes.

Obtinet autem lex naturæ apud omnes homines, sicut enim natura una est omnium, ita etiam quod natura dictat, præsertim, si illa maximè communia præcepta spectes; maximè communia inquam: nam alias fieri potest, ut vel propter peculiarem affectum, vel pravam & inveteratam consuetudinem, nonnunquam apud nonnullas gentes aut ignota sint, quæ lex naturæ docet, aut ab ijs approbentur etiam quæ disertè cum illa

pugnat, sicut hoc rectè explicat D. Thomas q
cit. a. 4. & ex eo Greg. de Valentia. Quin nc
tantùm contra conclusiones juris naturæ paul
abstrusiores multa interdum fiunt, sed etiam et
rarius, in ipsa illa communissima præcepta in
pingitur. Sic apud Lacedæmonios furta & adu
teria, apud Locrenses, Ozolos Ætolos & Aca
nanes prædationes olim erant licitæ, ut hæc t
stantur Plutarchus in Lycurgo, Xenophon
rep. Lacedæm. Thucydides l. 1. quod & Germ
nis nostris sive verè sive per calumniam tribu
Iulius Cæsar de bello Gallico lib. 6. Imò ipse
mnis sapientiæ apud Græcos parens Homer
Antolycum ob calliditatem in furando & pej
rando prædicat. Odyss. 1. idque à Deo Mercur
edoctum esse dicit; reprehensus hac de re meri
à Platone 1. de rep. in principio.

XXVIII. *Materia seu abjectum legis naturæ.* Materia legis naturæ, quod ad præcepta affi
mantia, sunt actiones omnium virtutum; qu
ad negantia omnes actiones virtuti contraria
illas n. imperat has prohibet. Dico autē signa
ter actiones omnium virtutū, non omnes acti
nes virtutum: nec enim omnes istas lex natu
præcipit, cū multæ suscipiantur liberè sive abs
obligatione, multæ etiam ex solo præcepto h
mano. Hujusmodi sunt omnia quæ secūndu
virtutē heroicā fiunt: etsi enim nihil illis est pu
crius aut præclarius, nemo tamē ad ea obligatu
Ita continere se & temperanter agere etiam tu
cum voluptatem licitè capere quis poterat ex
aliqua, lex naturæ nō imperat. Vnde quid ex h
roica quadam temperantia facit secūdum virt
te

tem quidem agit, sed ultrò sine obligatione. Similiter cibo & potu abstinere ex mandato magistratus tum quando licebat aliàs eo frui, actio virtutis est, nec tamen ad eam quis obligatur vi legis naturæ sed præcepto tantùm humano. Idque docet Thomas, cum ait, *actus virtutum secundùm speciales suas rationes non esse de lege naturæ.* Constat igitur, legem naturæ etsi nihil præcipit, nisi actionem virtutis, imo præcipit actiones omnium virtutum, non tamen præcipere omnes actiones omnium, sive omnes quæ à virtute proficisci possunt. Alia ratio est de præceptis negativis: prohibet enim lex naturæ omnes actiones vitiosas. Et causa hæc est: quamquam enim esse potest actio aliqua bona ad quam suscipiendam non obligeris, nulla tamen actio est à vitio aliquo profecta, qui non obligemur ad eam vitandam. Omnia igitur vitia sunt contra naturam & legem naturæ. Quod tamen cum dicimus verba illa, *contra naturam*, paulo latiùs accipiuntur, quam fieri interdum solent, sicut monet D. Thomas a 3 ad secund. cum enim natura hominis possit dici vel natura ei propria, pura ratio, vel naturalis inclinatio, quæ ei cum brutis etiam communis est, fit ut nonnunquam omnia vitia dicantur contra naturam esse, hoc est, contra rationem: nonnunquam autem quædam tantùm peculiariter & κατ' ἐξοχὴν. Quo sensu peccatum Sodomiticum dicitur esse contra naturam hoc est, tam tetrum & immane, ut non solù rectæ repugnet rationi, sicut cætera peccata omnia, sed ipsi etiã naturali inclinationi brutorũ.

XXIX. *An lex naturæ sit mutabilis* Postremò cum quæritur, an lex naturæ sit m tabilis, potest id intelligi dupliciter, primò it: ipsa mutetur, desinatque aliquando rectum quod ea dictat, deinde ita ut cōsideres subjec in quo est lex naturæ, & quæras an nonnunqu aboleri ex mente hominum possit, ita ut q quod ejus beneficio sciebant bonum esse an hac, post aut ignoret, aut malum esse statuat. cilis autem est responsio distinctione tantum a hibita: quod si enim loquamur de præceptis m xime communibus, certum est nec posse ea desinere esse veram in se; nec deleri è mente h *Communissima e jus præcepta sunt immutabilia.* minis. Sin verò sermo sit de conclusionibus præceptis particularibus, possunt nonnu quam aliqua mutari, sed per accidens tantum obliterari etiam, imo prava consuetudine & d uturno usu peccandi planè obrui. Ita depositu esse reddendum, legis est naturæ: nec tamen fu rioso gladius quē fortè deposuerat, reddi debe sic latrocinia sunt contra legem naturæ, & tam fieri posse, ut totæ nonnunquam gentes puter ea licita esse, suprà ostendimus. Imo ita docet D Paulus ethnicos in reprobum sensum à Deo da tos esse ad Rom. 1. v. 28. ut sc. permiserit eos po ro, indulgendo omnis generis vitiis, mentis ho magis expertes fieri, quo magis ipsi sanam men tem & notitiam honestatis, quam natura, siv Deus per naturam iis concesserat, ultro ante con templerant & nefariè decoxerant.

XXX. *De jure humano.* Quid sit lex sive jus naturæ, exposuimus; per gamus ad jus humanum. Hoc Aristot. lib. 5. eth c. 7. ita describit: *Ius legitimum est, quod ab initio ho*

an il-

an illo modo fiat, nihil refert; cum verò constitutum fuerit, tum demum refert. Plenior descriptio hæc esse potest: *Lex humana est decretum factum & promulgatum ab eo qui publicam autoritatem in civitate aliqua habet præscribens quidpiam à subditis servandum, quod ad reip. tranquillitatem & utilitatem facere probabiliter putatur:* Appellatur jus legitimum: secundum excellentiam enim lex dicitur, quod peculiariter sancitur & constituitur, nec tam per se faciendum est, quàm ideò quia sic constitutum fuit. Eadem de causâ positivum dicitur. Humanum verò, quia tam natura id jubet, quam homines pro arbitrio suo constituunt, prout scilicet ad vitæ usum conferre aliquid censent: omne enim quod natura ipsa docet, hoc enim vel ipsa principia practica, vel conclusiones ex ijs evidenti necessitate deductas ad jus naturale spectare diximus. Causa autem constituendi ejusmodi aliquod jus hæc fuit: cum enim præcepta juris naturæ is observari in vita nequeant, nisi particulares nonnullas dispositiones ratio humana addat, quæ ipsâ lege naturæ expressæ non sunt, necesse fuit præter legem naturæ esse aliquã humanam. Sic jus naturale docet equidem furtum rem esse per se malam, & fures esse puniendos, at quâ nam pœna præcipuè coerceri debeant, ut quantum fieri potest è medio tollantur, non addit. Similiter juris naturæ est, ut testamentis, & ultimis voluntatibus hominum autoritas sua constet, ijsque fides habeatur. Sed quot testes à testatore adhibendi sint, ut testamento credi tutò possit, constitutioni humanæ

Definitio legis humanæ.

Quare propter legem naturæ opus sit ll. positivis.

relictum est. Denique juris naturæ est, non esse quenquam defraudandum in contractibus, at quanti hoc aut illud, hoc aut illo tempore venire debeat, ne quis defraudetur, caveri legi humana potest. Dependet itaque jus humanum ut dixi, ab hominum constitutione: nec minus tamen ratione aliqua constare debet, modo benè se habeat. Sic furtum pæna severiore aut mitiore punitur pro ut conditio reip. id requirit. Ita etiam non unus sed plures testes adhibentur ad testamentũ ut ei fides hoc rectius constet. Similiter quanti vendendũ sit frumentũ hoc vel illo anno, ostẽdit major minorve proventus ejus anni: id n. legis humanæ est, præscribere quomodo quã rectissimè fiat, quod lex naturæ jubet. Fit autẽ hoc per rationẽ, ut dixi, quæ non quidẽ necessario ex lege naturæ depẽdet, (nã aliàs & ipsũ legis naturæ esset,) sed quæ aliàs probabilis est.

Quatenus & quousque constent ratione.

XXXIII. *Id ex exẽplo declaratur.* Quod rectissimè intelligetur si quis animo cogitarit qua argumentatione apud semetipsum utatur optimus aliquis legislator cum legẽ quãpiam invenit quam reip. utilẽ esse putat. Est autẽ hæc istiusmodi: Quicquid quam rectissimè tollit è rep. furtum hoc sine dubio reip. est salutare. Sed furem reddere duplum, id facit: vel non illud, sed pœna capitis hoc facit. Ergo illa est irroganda. Vbi manifestum est, majorem quidem proportionem esse legis naturæ, sed minorem niti ratione tantum probabili: fieri enim potest, ut pœna dupli aut quadrupli in certa rep. sufficiens sit ad cõpescendam improbitatem civium, sicut in populo Iudaico; unde etiã illa constituta est Exo. 22. fieri

eri quoq; poteſt ut ſeveriori aliqua nonnunquã ſit opus. Quare ut aliàs quum principiorum ſive præmiſſarum una, præſertim major, eſt evidens vel neceſſaria, altera probabilis tantum & minus evidens, concluſio infertur non niſi probabilis, ita etiam in his & ſimilibus argumentationibus res ſeſe habet: omnes enim leges humanæ, quatenus ſunt tales, per ejuſmodi aliquem diſcurſum excogitantur & conſtituuntur.

Ius poſitivum duplex vulgò gentiũ & civile.

Cæterùm etſi jus humanum multipliciter dividi poteſt, duplex tamen vulgò faciunt, jus gentium & civile. Ius gentium vocant, quod vel omnes gentes vel plures communiter conſtituerunt: hujuſmodi eſſe ajunt rerum proprietatem, emptiones venditiones & ſimilia: civile quod certa aliqua reſpub. peculiare habet, ita ICti & ex noſtris Thom.1.2.q.96.a.4. Soto 3. de juſt.q.1. a.3. Greg. de Valent. diſp.7.q.5.p.2. Sed ſi ita definias tum jus naturale tum poſitivum & humanum, ut nos cum Ariſtot. ſuprâ definivimus, jus gentium pars eſt juris naturalis nõ poſitivi, ſicut ipſe Thomas id docet 2.2. quæſt.57. art.3. & 5. eth. lect.12. Ratio in promptu eſt: ſi enim jus gentium ex jure naturæ derivatur, ſicut concluſio ex principiis & neceſſariò quidem, nec per modum particularis determinationis tantum, ut Thomas & Soto ipſi docent, ſi item eſt id quod naturalis ratio inter omnes homines conſtituit, & apud omnes homines peræque cuſtoditur, *ut* dicitur §. jus autem inſt. de jur. nat. gent. & civ. non differt à naturali, ut etiam Weſenb. in paratit. de juſtit. & jur. n.16. ultro fatetur. Sanè faciunt diſcrimen

Iusgentiũ eſt pars juris naturalis.

inter jus naturale & gentium hoc, quod natur le simpliciter sit necessarium secundum absolu considerationem quoque citra ratiocinatione homo intelligat justa esse quæ præcipit, ut sun cōmunissima principia legis naturæ, puta se tue & suos alere, jus gentiū autē necessarium tant sit certis additis circūstantiis & in ordine ad certū finē, sicut si ager absolutè spectetur, non habe unde magis sit hujus quā illius; quod si autē cōsideretur per respectum ad opportunitatem colendi & ad pacificum usum agri, necessum est, ut sit unius & nō alterius. Unde ēt per discursum id discitur justū esse, ut privatim agros quisq; possideat potius quam ut cōmunes sint. Ita Thomas & Sotus. Sed quia non tātum ad jus naturale spectant sprincipia legis naturæ, verum etiā conclusiones quæ non probabiliter sed necessariò ex ijs deducūtur, ut supra ex ipso Thoma id docuimus facilè patet discrimen illud nullius momēti esse. Et quanquam natura quædā dictat facienda esse simpliciter, quædam propter certas circumstantias, non minus tamen ista docet quam illa. Sic etsi non intererat rem absolutè spectando, ut ea quibus vita indiget privatim quisque possideret potius quam omnes cōmuniter, interest tamen imò & necessariū est, si ita administrari ea oportet ut commodè vivatur sicut ex 2. polit. c. 2. & 3. constat. Certè quod omnes aut pleræque gentes in proprio omnia possident non tam ex arbitrio quam necessitate coacti fecerunt. Hoc de jure gentium monendum erat. De civili autem nota, aliter illud hic nos appellare quam quod Civile

sive

sive Politicum Aristot. vocat: ipsi enim ita vocatur jus omne quo utitur civitas, sine quod nō intercedit inter parentes & liberos; dominum & servum, sed inter cives: nam istud œconomicum secundum quid tantum jus esse dicit multisque ostendit l.5.eth.c.6. Quare etiam jus civile in naturale & positivum sive humanum aut legitimū dividit, cū nos id speciem positivi faciamus. ICti ferè eodem modo quo nos accipiunt nisi quod plerunque solum jus Romanum intelligant.

Materia legis humanæ sunt actiones virtutis & vitii, quatenus vitæ tranquillitatem & utilitatem illæ juvant, hæc perturbant & impediunt, ita tamen quousque ei quod natura dictat aliquid hominū constitutio addere hic potest. Dico quæ juvant aut perturbant tranquillitatem & communem vitam: nam alias lex humana omnes actiones virtutum imperat, nec omnia vitia prohibet, sed eas tantum actiones virtutis quæ cumprimis ad conservationem reip. necessariæ sunt, mandat, & ea vitia coercet, à quibus tota aliqua multitudo commodè revocari potest, quemadmodum dicit Thomas 1.2.qu.96.art.2.& 3. imò nec de omnibus leges ferri possunt, ut Plato docet 4. de republ. XXXII. *Objectū legis humanæ.*

Postremò potest etiam jus humanum mutari, idque duplici de causâ: primò enim mutabile est respectu rationis & causæ ob quam lex aliqua lata fuit; deinde respectu hominum quibus fertur. Prius iterum dupliciter fit: aut enim ratio ferēdæ legis erat bona, & tū ideo tantū cessat, quia XXXIII. *Ius humanum est mutabile.*

fortè

fortè res ipsa & necessitas amplius non urget, ut si constitutum aliquid sit, quod bello tantum valere: id enim pace restituta abrogatur. Aut bona non erat, etsi in initio sic visum fuerat: falli enim homines possunt; & tum lex vetus abrogatur ideò quia inventa est utilior & melior. Respectu hominum quibus fertur causa legis abrogandæ est, quatenus mores multitudinis nonnunquam in melius aut pejus proficiunt. Ita igitur lex positiva mutabilis est. Cautissimè tamen mutatio omnis instituï debet, tum quod non facilè reperitur aliquid veteribus melius; tum quod res est mali exempli: sicut enim nihil magis obedientes legibus subditos reddit quàm diuturna consuetudo ijs parendi; si cum eò certiori noxâ conjunctum est, sic temerè lex aliqua abrogetur, quæ religiosè diu observata fuit, quod ea ratione omnium autoritati delibatur, ut docet Thomas 1.2.quæst.97.artic.1. & 2. Vnde optimi quique legumlatores, quantopere potuere, semper hoc caverunt; sicut vel unius Charondæ Thuriorum legislatoris sanctio sufficienter ostendere potest, qua cavebat, ut si quis legi cuidiam correctionem adhibere vellet, proposito ea de re consilio, interim guttur laqueo insertum haberet, & expectaret, dum populus de mutatione legis suffragia pertulisset: quod si comitia populi legem posterius scriptam recepissent, autorem ejus solvi; sin ita irritam haberent abrogationem, confestim frangi gulam jussit, referente Diod.Sicul.12.c.17. Imò apud Cretenses & Lacedæm.lex peculiaris erat, qua vetabatur, ne aut juve-

Non tamen nisi cautè notandum.

juvenes in ullam legem inquirerent, rectè ne an ſecus lata eſſet, aut ſenes in præſentia juvenum de legibus diſputarent, ut autor eſt Plato libro 1. de legibus. Sed hæc latiùs perſequi ad Polit. per-

XXXV. *De obligatione legum.*

Quid ſit lex tam naturæ quàm humana, expoſuimus hactenus, oſtendatur nunc quomodo & quóſque utraque obliget. Vbi principio conſtat omnem obligationem legis in eo conſiſtere, ut voluntas & actus ſubditorum conformentur voluntati ejus qui legem tulit. Sed id rectè intelligendum eſt: nec enim conformari voluntas ſubditi ad voluntatem domini, aut hominis ad voluntatem divinam ſemper decet tam ratione voliti quam ratione volentis, hoc eſt, nõ tam ut velit ſemper quod Deus vult, quam quod ipſe eum vult velle: iſta enim differunt. Docet hoc de conformatione voluntatis humanæ cum voluntate divinâ admodum egregiè D. Auguſt. in enchir. ad Laurent. c. 101. unde deſumſerunt Alexan. Alenſis part. 3. q. 26. memb. 3. & Thomas 1. 2. q. 15. art. 10. *Sic aliquando*, ait D. Auguſt. *bona voluntate homo vult aliquid quod Deus non vult, etiam ipſe bonâ multò amplius multòque certius voluntate: nam illius voluntas mala nunquam eſſe poteſt: tanquam ſi bonus filius patrem velit vivere, quem Deus bona voluntate vult mori.* Hæc ille. Obligat itaque lex divina ut homo non tam velit quod Deus ipſe vult, quia quod ipſe vult eum velle. Ita nullũ dubium eſt, licet pater propter crimen aliquod dignus morte ſit, pietatem tamen filii requirere, ut nolit mortem patris, nec Deus hoc in ipſo improbat, cum

Quomodo voluntas ſubditi debeat conformari voluntati ſuperioris

cum ipse *copyin* istam naturæ inseverit; & nihilc minus tamen Deus vult noxium patrem ad sı plicium rapi. Quare etsi interdum non vult hc mo quod vult Deus simpliciter, conformatur ta men voluntas ejus volũtati divinæ, modò id ve lit quod Deus ipsum velle vult. Exemplum hu jus rei in sacris observat Lyranus 3. reg. cap. 8. 17 Leguntur ibi verba hæc Salomonis regis: *Volu David pater meus ædificare domum nomini Domini D Israel & ait Dominus ad patrem meum: Quod cogitaj ædificare domum nomini meo benè fecisti, hoc ipsum mei te tractans; veruntamen tu non ædificabis mihi domun sed filius tuus qui egredietur de renibus tuis.* Rectè ita que fecerat David, quod templũ extruere vole bat, idq; à Deo ipso cõmmẽdatum dicit Salomc nec tamen Dominus hoc fieri voluit. Eadem ra tio est de voluntate subditi conformanda ad vo lũtatem Principis aut ejus qui principis loco es

Sed hæc in genere de obligatione: descenda mus ad speciem. Duo autem ad obligationem le gis alicujus intelligendam necessaria esse viden tur; unum ut scias quosnam obliget; alterum a & à quo tolli illa obligatio, & ut vocant, de leg aliqua dispensari possit. De utroq; videbimu Obligat autẽ lex naturæ omnes omnino hom nes, ratione utentes, quæcunque ætate, quocun que loco & conditione sint: cum enim omniur naturæ eam Deus insculpserit, non potest non o mnibus lata & promulgata etiam esse. Dico, *ra tione utentes*, tum enim primò incipit homini in notescere, quando ratio incipit se exercere: ne necesse est ut actu eã semper omnes cognoscan

suff

sufficit ut cognoscere potuerint. Vnde constat, quid contra legem naturæ fit, à quocunque fiat peccatum esse. Docet id præclarè D. Aug. l. 3. conf. c. 8 *Flagitia*, inquit, *quæ sunt contra naturam, ubiq; ac semper detestanda ac punienda sunt, qualia Sodomitarum fuere, quæ si omnes gentes facerent, eodem criminis reatu divinâ lege tenerentur, quæ non sic fecit homines ut se illo uterentur modo. Violatur quippe ipsa societas quæ cum Deo esse debet nobis, cum eadem natura, cujus ille autor est, libidinis perversitate polluitur.* Hæc D. August. quæ ex eo repetit jus Canonicum c. *Quæ contra*, dist. 8. Quamvis itaque princeps in repub. superior alias legibus vulgò dicatur, & peculiari indultu eximi quisquam ab observatione legis humanæ possit, naturali tamen etiam princeps & omnes subijciuntur, ut impiè & absurdè Cambysi contra legem naturæ & gentis Persicæ consuetudinem sororis conjugium appetenti, & de jure sciscitanti, judices regii responderint, *nullam quidem legem de conjugio cum sorore contrahendo apud Persas se invenire, sed aliam tamen esse, quòd regi Persarum liceat quidquid libeat*, ut narrat Herodotus libr. 3. Cui simile est illud Iuliæ novercæ Antonini Caracellæ imp. cum privignus eam incestaturus, diceret velle se si liceret; respondentis, *licere si liberet, an nesciret se imperatorem esse & leges dare, non accipere*, teste Spart. in Carac. sub fin. Nec minor impudentiâ Anaxarchus Philosoph. Alexandr. M. mœstum ob Clyti cædem his verbis consolabatur: *En tibi Alexandrum quem universus terrarum orbis suspicit, ut jacet mancipii in morem flens, hominumq; legẽ & reprehensionem timens quibus ipse debebat*

Quicquid contra eã fit. à quocunq; fiat peccatum est.

bebat iuris regula & finis esse, siquidem in hoc vicit ut i- peraret, non ut inani opinione victus serviat? Nescis ius fas assidere Iovi, quidquid rex facit id iustum fasq; fit. S- nè assidere Themin Jovi Poeta dixit; sed id quòd justitia sit norma omnium quod facit, n- quod facit quæ sunt contra justitiam. Vnde Pl- tarchus meritò Anaxarchum istum novam p- nè rationem philosophandi secutum ait, alio- superbe contemsisse, & Alexandrum hac cons- latione ex crudeli crudeliorem reddidisse: qu- si enim veterem & veram illam sectatus esset, mò nisi pessimus adulator potius quam philos- phus fuisset, nunquam ista dixisset, adeoque naturam & Deum ipsum hæc talia injuria contumeliosa esse facilè intellexisset.

XXXVI. Nec quisquam hominum de ea dispensare potest. An Deus possit. Ius igitur naturale, ut diximus, omnes hom- nes obligat, cujuscunq; conditionis sint, & ill- etiam qui legibus humanis non obstringunt- Unde & illud manifestum est, nec hominem u- lum dispensare contra legem naturæ posse: na- dispensare de lege aliqua requirit superiorem esse. An autem Deus ipse id possit, dubitat- apud authores. Qua de re antequam dicam- quid sentiendum sit, observandum est qui- nam propriè sit dispensare de lege aliqua. Equ- dem est hoc facere ut lex in aliquo casu non v- *Quid sit dispensare* leat; sed istud non valere admodum latè pate- cum etiam illa lex non valeat, quæ vel rectè fa- cita & promulgata non fuit, vel abrogata est c- antè valuisset. Potest etiam fieri, ut lex eaten- valere desinat, quatenus æquitas seu ἐπιείκεια adhibetur. Dispensare itaque est cum quis v-

exim

eximitur per privilegium à principio, ut non obligetur, qui aliàs obligaretur; vel postmodum in certo casu liberat ab obligatione quæ cæteroqui tenebatur, sicut rectissimè id ex Richardo, Durando & Heruéo docet Greg. de Valetia, disp. 7. qu. 4. p. 6. Cùm ergò quætitur an dispensari à Deo possit de lege naturali, aut aliquo ejus præcepto, sensus iste est, an salvâ justitiâ divina, sive sine contractione dici queat, per peculiare indultum Dei ab obligatione legis naturalis quemquam liberari; ita ut in certo casu lex ea, quæ omnes obligat, ijs circumstantijs quibus obligas, eum non obstringat. Dico in *circumstantiis quibus aliàs obligat*: nam cæteroqui, hoc est, si de ijs circumstantijs loquaris, quæ à jure humano fortè additæ sunt, dubium nullum est, quin eatenus obligatio tolli possit, non à Deo tantùm sed homine etiam. Sanè id certum est, Deum esse autorem legis naturæ, adeoque ipsa illa lege superiorem. Notum enim est ex sacris Abrahamo patriarchæ non concessum tantum sed imperatum ab ipso fuisse, ut suum ipsius filiũ occideret, Gen. 22. 2. sicut & Israelitis, ut vasa aurea & argentea ab Ægyptiis commodatò accepta secum auferrent, Exodi 11. 2. Legimus etiã 1. Mac. 2. 41. Iudæos cum contribulium suorum mille trucidatos esse ab exercitu Antiochi ideò tãtùm viderent, ꝗ die Sabbati arma capere noluissent etiam sabbato hostes propulsasse. Cum itaq; auferre quod commodatò acceperis, furtum sit, & filium nihil promeritũ à privato occidi, parricidium, sabbato autem præliari sit debitum hono-

Quid sit dispensare.

Unde videri possit Deus dispensare de lege naturæ.

rem Deo non tribuere: videtur posse â De
spensari de præceptis legis naturæ: rectè er
sta esse dubitari nequit, cum Dei instinc
præcepto, præsertim priora illa duo, facta
rint.

XXXVII *Vera & commun. sententia Deum non posse id facere.*

Sed quanquam ex Scholasticis Occam. 2.
dist. 19. ad 3. omnia præcepta legis naturæ
psius etiã decalogi; Scot. verò 3. distin. 27. q.
câ; Bonavent. 1. d. 47. q. ult. & ut citant, Ægi
Rom. a. ibi. q. 3. præcepta tantum secundæ t
læ sive quæ ad proximum attinent, dispensal
esse statuunt, communis tamen & vera sente
est, nihil tale fieri posse. Ita docet Albert. M.
summæ tr. 10. q. 80, ar. 1. D. Tho. 1. 2. q. 100. ai
Herveus 1. sen. dist. 47. q. 3. art. 3. Cajet. Greg
Valent. loc. cit. Veritas hujus rei ita demons
tur: Nullum Dei decretum mutabile est, hoc
ita tolli potest ut iisdem circumstantiis qui
semel jussit aliquid fieri, idq; simpliciter sine
finitione certi temporis ad ipsum fieri postme
nolit: retractare enim dicta non potest, *nec est*
us quasi homo ut mentiatur, aut filius hominis ut mu
tur, sicut Nu. 23. a. 9. scriptum est, multo minus
gare seipsum potest ut est 2. Tim. 2. 13. At si Deus
spenset contra legem naturæ, juberetutiq; iisd
circumstantiis rem non fieri, quibus ante ma
daverat ut fieret, vel fieri quibus ante vetue
ne fieret. Dispensatio igitur eiusmodi Deo t
buenda non est. Deinde idem sic ostenditur:
Deus nihil potest agere contra justitiã suam, ne
potest etiam dispensare de præceptis legis nat
ræ: particula enim quasi sunt justitiæ divinæ. Se
no

non potest agere contra iustitiam suam. Ergò nec dispensare de præceptis legis naturæ quatenus sunt talia. Equidem id fieri potest, ut si quid sub conditione tantùm Deus decernat, id sublatâ illâ conditione mutetur. At hoc non est mutari decretum ipsum, sicut nec universum hypothetica aliqua proportio falsa fit, si una simplicium ex quibus constat vera esse desinat. Longè aliud etiam est Deum velle rem aliquam mutari, & aliud voluntatem Dei mutari, sicut rectissimè docet Thomas pag. 1. quæst. 19. art. 5. Verùm quæ lege naturæ præcipiuntur ea quatenus talia sunt simpliciter & sine omni conditione Deus mandat: quare ista mutari sine mutabilitate voluntatis divinæ nequeunt. Nec obstat quod Deus sit autor legis naturæ & superior ipsâ: *etsi enim* ut rectè respondet Albert. *lex superior tollit inferiorem, si diversa inter se sint, fieri tamen id non potest, quando inferior directè est exemplar superioris.* Talis autem est lex naturæ: ex ipsa enim lege æternâ Dei, quasi transcripta est, ut ait D. Augustinus l. 2. de ord. c. 8. & l. 83. qq. quæst. 53.

Hæc igitur sic se habent. Interim tamen id fieri potest, ut tollat Deus materiam legis, & ita efficiat, ut contra legem naturæ non peccet, qui absque eo esset, omnino contra eam peccaret, sicut multis hoc explicat Thom. loco ad 3. Sed hoc non est dispensare nisi impropriè loquendo. Ita quanquam Deus imperare aut concedere non potest, ut furtum quis faciat, committat homicidium &c. facere tamen potest, ut id furtum non sit, nec homicidium, quod absq; ejus concessione XXXVIII *Interim materiam legis tollere potest.*

furtum & homicidium esse. Quin tale quidquam etiam magistratus Politicus potest. Sic princeps cum privat vasallum feudo, facit ut licitè illud acquirat, & occupet ejus agnatus, quod non præcedente illa privatione, rapina, aut spolium esset. Ad eundem modum, qꝫ sine mandato Dei fieret furtum & homicidium esset, definit esse tale quando Deus id jubet.

XXXIX. *Explicantur loca sacris suprà adducta.* Quibus ita explicatis, facilè etiam solvuntur argumenta ex sacris supra allata. Licuit igitur Abrahamo occidere filium, non quod homicidium sine culpa penetraret, sed quia homicidium non erat: nec enim privata, sed ejus autoritate fecisset, qui propter peccata tam justis, quàm injustis pœnā mortis justè cum vult, & per quem vult infligit. Licuit etiam Israelitis vasa Ægyptiorum auferre, quia ipsorum erant, postquam sententia Dei, in cujus manu est transferre dominia rerum, à quo in quē vult, ijs concessa erant. Nec furtum committebant quia non aliena sed suā sibi vindicabant. Concesserat autē illa ipsis Deus tum in compensationem, tam durarū operarum quam ægyptijs præstiterunt, tum quod in bello justo res hostium victoribus cedunt, vt hoc explicat Clem. Alex. lib. 1. strom. & Epiph. in anch. Vnde & liber Sap. c. 10. 11. dicit: *Reddidit justis mercedem laborum suorum* & v. 20. *Iusti tulerunt spolia impiorum.* Licuit denique Iudæis contra Antiochū pugnare die sabbati, non quod concessum illis erat violare sabbatum, sed quia hæc non est violatio sabbati, facere eo die quod ad salutem hominis

minis procurandam pertinet,ſicut Dominus ipſe diſputat Matth.12.12. Hæc de diſpenſatione. Vnum reſtat ut addamus,quod rectius fortè ſuprà monuiſſemus, aliter obligare præcepta affirmativa,aliter negativa;hæc quovis tempore, illo aliquo tantùm. Sic quum lex jubet parentes honorare, obligat ut colas eos ijsque benefacias quoties eſt occaſio & commoditas : at quum prohibet furtum, obligat ut totâ vitâ & omni tempore à contrectatione rei alienæ abſtineas. Nec ita tantùm de lege naturali res ſe habet, ſed & humanâ, & in univerſum omni. Tantum de obligatione legis naturalis.

Aliter obligant præcepta affirmantia aliter negantia.

Cæterùm de legis humanæ obligatione alia eſt ratio,etſi in multis etiam convenit cum obligatione legis naturalis. Obligat autem hæc non omnes homines ſimpliciter, ſed ejus reip.ſubditos,in quâ lex illa ſancita eſt.Nec dubitari poteſt, quin etiam lex humana revera vim obligandi habeat:ſicut enim non tantùm jus naturale, ſed aliquod etiam civile requiritur ad rectè adminiſtrandam rempubl. & gubernandam vitam hominum,ita utrique meritò paretur,ſiquidem ſalvos nos eſſe & piè ac honeſtè vivere cupimus. Imò in lege humana & temporali,modò rectè lata ſit,*nihil eſt iuſtum atque legitimum quod non ex æterna lege Dei homines ſibi derivarint*,ait Aug.l.de libero arb.c.6.Et quanquam lex illa multa concedit & impunita relinquit,quæ tamen per legem æternam & divinam providentiam vindicantur; nihilominus bona & à DEO eſt, cum ijs tantùm vindicandis condatur,quæ ſatis ſint conciliandæ

Quomodo obliget lex humana.

paci hominibus imperitis,& quanta possunt per hominem regi: cæteræ enim culpæ alias pœnas habent à quibus sola sapientia liberare potest. *Nec quia non omnia facit ideò improbanda est*: sicut totidem ferè verbis idem D.August.respondet c.5. Quemadmodum itaq. lex naturę obligat omnes homines, ita etiam quod ex lege naturæ derivatur, obligat eos quibus præscribitur. Nec interest hîc sive infidelis quis sit sive fidelis, cùm fides Christiana magistratum & leges politicas non tantum non tollat,sed maximè confirmet, sicut ex infinitis scripturæ locis constat.

XLI. *An etiam principem reip. obliget.* Dixi autem obligare eam omnes subditos: nam de principe ipso aut ijs penes quos maiestas reip.est,dubitare solet. Et notum est illud ex l. Princeps 10.ff.de ll. *principem non esse subiectum legi.* Nec videtur princeps cum legem cōdat,eaq;vim cogendi ab illo obtineat, ipse sibi legem ponere posse: nemo enim seipsum cogit. Ita etiam sentiunt ICti plurimi, Wesenb.in paratit.d.tit.n.7.&

Obligare. alii. Verùm tamen rectiùs sine dubio censent. D. Thomas 1.2.q.96.art.5.& illic. Caietan. Covarruu.in cap.*alma mater*,part.1.§.1.n.4.cùm Felino, ut ipsę citat,Decio,Ludov.Gemesio & aliis insignibus ICtis,qui nec principem omnino à lege quam ipse fert,absolvi statuunt. Idem sentit Dominic.Soto de iust.lib.1.q.6.a.7.& Greg.de Valēt.disp.7.q.5.punct.5. Quod ut intelligatur,observandū hîc ante omnia ex Caietano est, in duplici differentia leges esse quæ à principe ferantur; alias enim ita fert,ut sint communes toti civitati, & ut rationes ob quas feruntur, ad ipsum

De quibus ll. quæstio hic sit.

etiam

etiam principem extendi possint: alias verò ita, ut aliquot tantùm, & certos ex civium numero concernant. De posteriobus nulla controversia est: nec enim lex quæ peculiariter e.g. fertur militibus, principem obligare potest, nisi forte ipse etiam militet; tantùm de prioribus est quæstio. Deinde & hoc notandum est, in lege omni triplicem vim esse, unam ostendendi sive monstrādi quid faciendum, quid omittendum sit, quum habent leges etiam prout à philosophis præscribuntur: docent enim tantùm non obligant: alteram dirigendi, sive obligandi, ut id facias aut omittas, nisi peccare velis; tertiam cogendi, sive ut pœnam statuat, eamq; à delinquentibus exigat.

XLII. Hypotheses quædā hic necessaria.

Cum igitur dicimus principem non absolvi omninò à lege quam fert, sermo est primò de lege quam toti civitati condit, & quidem ob eas causas, quæ certo modo etiam ipsum attingere possunt, ut diximus. Deinde, non de vi coactivâ aut ostensivâ, (hæc enim non obligat: illa autem locum non habet, nisi ubi invitus quis legi parere cogitur,) sed de directivâ tantùm: etsi enim princeps lege quam ipse fert non obligatur ad pœnam civilem: solâ enim ipsius authoritate pœna in lege constituta repetitur à delinquentibus, obligatur tamen eâ illousque ut quia legem illam fert aliis, ipse etiam juxta eam vitam dirigar nisi peccare velit. Ostendo hoc ita cum Cajetano & Valentia: Quod sine violatione legis naturæ omittere princeps non potest ad id utique obligatur. Sed sine violatione legis naturæ

Etiam principem obligari suis ll. ostenditur ratione.

non potest omittere observationem ejus le quam toti comunitati tulit, cujus ipse pars, i capur est. Ergo ad ejus observationem obligat Major manifesta est; Minor ita probatur: Prin quod oneris tibi imponi non vis, id neque al imponès, qui sit eadem cōditione tecum quo rem de qua agitur: nam quod tibi non vis fi alteri ne feceris. Quare quod omnibus impe princeps, & ab aliis fieri vult, id ipse etiam fac debet, vel jus naturæ violat. Secundò: Turpe si pars, & præsertim caput, non congruat c toto, in ijs quæ omnibus partibus communia se debent, & ad salutem totius corporis faciu Tertiò, si princeps quod bonum est subditis, n præcipit tam seriò & efficaciter quàm potest, p cat in jus naturæ: opus enim Domini negligen facit. At si princeps iste non faciat quod aliis jungit in communi negocio, non tam seriò p cipit quod bonum est, quàm præciperet si ipsi dem faceret. Longum enim iter est per verba, quidam ait, breve & efficax per exempla, qu hic cum primis locum habet. Peccat ergò in j naturæ. Idem confirmant autoritates plurin quæ tam ex sacris literis quàm Iure Canoni Civili & sapientum scriptis adduci possunt. ipse Salvator Pharisæos reprehendit, *quod alii nera imponant, nec ipsi digito ea moveant.* Mat. 23. 4. I cit etiam huc illud. *Cap. Omnes. ext. de constit.* *Qu quisq; juris in alterum statuit, ipse eodem uti debet.* & t tit. *ff. quod quisq; jur. in al.* & vulgatum Dionysii C tonis præceptum à Papa allegatum: *Patere legē q tu ipse tuleris:* unde & lib. 4. *de legib.* ait, *dignam voc*

Confirmatur idem autoritate.

m

majestate regnantis esse, legibus alligatum se profiteri. Cui simile quid reperitur §. *fin. Inst. quib. mod. test. infir.* ubi Imperator inquit: *Licet legibus soluti simus, attamen legibus vivimus.* Præclariùs adhuc 5. eth. 6. t. 71. Aristot. *Non sinimus hominem dominari sed rationem.* Quæ omnia eleganter Iacobus Sanazarius libr. 2. epigramm. sic expressit, ad Fridericum regem Neapol. scribens:

Edicto nuper cum tu, rex magne, caveres,
Audaci ne quis stringeret arma manu,
Deposuisse tuum vel primus diceris ensem,
Et monstrasse palam primus inerme latus.
Quid maius populisve tuis: Friderice vel urbi
Accidere huic nostræ per tua dona potest:
Post domitos hostes, inter tot commoda pacis
Contigit exemplis vivere posse tuis.
Publica nimirum res tunc sibi constat & æquum
Imperium, cum Rex quod iubet ipse facit.

Sed observandum tamen hic est quod sapienter monet D. Thom. obligari quidem principem id faciendum, quod lege suâ aliis imperat, sed proportionaliter, hoc est, quantum dignitas & personaprincipis requirit. Dices, obligari ergo eum ad legem propriam servandam non ipsâ illâ lege suâ, sed lege duntaxat naturæ. At obligatur & illâ & hac, imò ne hac quidem, nisi propter illam, nec enim id facere quod lex quam tulit jubet, teneretur, nisi aliis eam legem tulisset. At postquam eam tulit, & hoc ipso non tantum id salutare esse, & honestati ac legi naturæ congruum declaravit, sed alios hoc facere voluit, se XLVI. *Cautela.*

Rr 5 quoque

quoque an illud obstrinxit. Nec obstat quod
rogare legem à se latã potest, & ita semetips
etiam ab ejus observantiâ liberare: neque er
ad observandam eam tenebatur, nisi cum l
conditione, quàm diu legem istam à subditis
servari vellet. Conditione itaque hac subl
tollitur ipsa legis observantia, nec prius tam
Quibus ita explicatis, etiam ad argumenta su
in contrarium allata responsio per se patet. Q
Lex non obligat nisi promulgata & recepta. igitur obliget lex humana ita constat. Nec ob
gat autem quemquam, nisi cum promulgata
At promulgationem verò requiritur non ta
tùm ut ritè sanciatur, & solenniter proponat
sed ita etiam divulgetur, ut ad singulorum no
tiam pervenire possit, imo etiam ut à subditis
cipiatur, hoc est, ad minimum à majore eor
parte, sicut communiter Iurisconsulti docent,
ste Molina.

XLIII. *Obligatio ad pœnam vel in conscientiam tantum.* Postremò modus obligandi diversus esse p
test: vel enim obligatur quis tantùm ad pœna
vel in conscientiam etiam. Obligare legem h
manam, (loquimur autem de civili) nam de E
clesiastica alibi agitur, ad pœnam nullum est d
bium. Meritò enim pœnam à magistratu cons
tutam suffert qui legibus civilibus repugnat, n
aut notoriè tyrannicæ aut manifestò impiæ si
Leges præstrvæ etiam in conscientia obligant. hoc est, adversæ legi naturali aut divinæ. Sed
in conscientia obligare possunt, hoc est, ita ut q
non obtemperat ijs, etiam DEUM ipsum offe
dat, & in eum quoque peccet. Liquet hoc m
nifestò: cum enim quidquid ad justitiam, hon
statem & salutem reipub. conservandam à mag
stra

ſtratû civili percipitur, id à Deo ipſo proficiſci nullum ſit dubium, nec leges civiles quibus iſte ſcopus propoſitus eſt, violari ſine peccato in Deum poſſunt. *Subiecti eſtote,* inquit Pet.1.epiſt.2.13. *cuivis humanæ ordinationi propter Dominum, ſive regi ut ſupereminenti, ſive præſidibus, &c.* Et ad Rom.13.1.2. Paulus: *Omnis anima poteſtatibus ſupereminentibus ſubiecta eſto: non enim eſt poteſtas niſi à Deo, & quæ ſunt poteſtates ſunt à Deo ordinatæ. Itaque quiſquis obſiſtit poteſtati, Dei ordinationi obſiſtit, &c.* Et rurſus verſ.5. *Neceſſe eſt ſubiici non tantum propter iram, ſed etiam conſcientiam.* Idem docetur Tit.3.1.1.prov.8.15. Tantum de Prudentiâ Legislatoriâ.

CAPUT IV.
De Prudentia Iudiciaria & deliberativa.

SUMMARIA.

1 *Prudentia iudiciaria.*
2 *Quid ſit iudicare.*
3 *Quare iudicando litera ll. ſemper ſequenda.*
4 *Cuinam liceat rigorem eius moderari.*
5 *Tria in iudice requiri.*
6 *Iudicium non debere eſſe uſurpatum.*
7 *Dubium ex ſacris ſolvitur.*
8 *Nec debere in eo perſonam acceptari.*
9 *Non temerarium eſſe.*
10.11.12.13.14.15. *An iudex etiam contracta & probata iudicare poſſit:*
16 *Quid in caſibus dubiis faciendum.*
17 *Caietan. ſententia à Soto refutatur.*
18 *Prudentia deliberativa. & quid ea à reliqua differat.*

19. Pru-

19 *Vnde petatur.*
20 *Quæ sit optima deliberatio.*
21 *Male imperari ubi non imperatur ad salutem sub ditorum.*
22 *Nonnullorum ficta prudentia.*
23 *Epilogus.*

I. *Prudentia judiciaria.* EXplicavimus paulò pluribus quæ ad natu ram prudentiæ legislatoriæ pertinere vi sunt, & exponi in philosophia morali debent Restat prudentia judiciaria & deliberativa. D utraque breviter, sed de illa prius dicemus. O stendimus suprà ad reipub. salutem pertinere, u non tantum leges optimæ ferantur, sed juxta ea quàm fieri potest diligentissimè & accuratissim ipsa administretur:

——Τὸ γάρ τοι συνέχον ἀνθρώπων πόλεις
Τοῦτ' ἔσθ' ὅταν τις τοὺς νόμους σώζῃ καλῶς.

Isthoc enim est, quod continet respublicas
Servare quicquid iura legesque imperant.

ut ait Euripides *ἱκέτισι*. Quod expressit Amm Marcellin. quum libr. 4. hist. leges *fundamenta libertatis & retinacula sempiterna appellat*. Sicut igitur una pars prudentiæ in illo occupata est, ita altera hoc curat, idque in eo consistit, tum ut leges rectè explicentur, tum ut ex earum præscripto causæ civium decidantur, hoc est, si uno verbo dicas, judicia in republic. quàm optimè & dexterrimè obeantur. Et huc pertinet Iurispruden

dentia, quam multi ex ipsis ICtis perperam ad Nomotheticam referunt, sicut id disputatione superiore monuimus.

II. Est autem judicare nihil aliud, quàm actum aliquem justitiæ exercere, sive jus dicere, unde etiam judex judicia animata dicitur. 5. eth. 4. tex. 38. Sed jus dicere in duobus consistit: unum est; ut judex secundum leges perscriptas pronũciat, alterum, ut sicubi eæ propter universalitatem deficiant, quod deest ex æquitate suppleat. Et verò residet illa facultas præcipuè in ipso principe reipublicæ, cujus enim est condere leges, ejus etiam est interpretari eas; sed derivatur ab ipso in magistratus. Quid igitur sit æquitas, & quid à jure differat; quousq; item secundũ verba legis & quando secundum æquitatem pronunciandum sit, explicari hic debet. Notum autem esse potest ex 5. ethic. c. 10. æquitatem nec idem planè esse cum jure, nec toto tantũ genere ab eo distare, Non est eadem cum jure, quia moderamen ei quoddam addit & juri ipsi sæpè præfertur. At nec tamen planè diversa est, cum res sit laudabilis, & in ijs versetur in quibus & justitia locum habet. Est itaq; correctio quædam juris scripti, judici relicta à legislatore in ijs casibus, ubi lex deficit. Dico esse correctionem legis, sed quæ scripta non est: quod si enim lex vetus nova sanctione aut emendetur aut suppleatur, nõ æquitas hæc est, sed lex nova, ut rectè notat Acciajolus ad 5. eth. loco citato, unde etiam ipsa æquitas est jus & justum aliquid, sed tale quod scriptum aut constitutum non erat.

Quid sit judicare. Iudicatur vel secundum literam legis, vel secundum æquitatem.

Quid sit æquitas.

Opus

III. *Quare in judicando litera legum non semper sequenda.*

Opus autem habet jus scriptum ejusmodi a
quo supplemento, non quod leges ipsæ malè
tæ sint, sed quia nulla in universum tam accura
ferri potest, quin casus emergat nonnunquã, c
secundũ omnes circũstantias & præcisè, sive ju
ta literam, sive iniquitate applicari nequeat. Id
à materia & objectis legum oritur : cum eni
hæc sint res humanæ, eæque infinitis modis va
ent, non potest tam perfectè de omnibus defir
ri, præsertim ubi ad particulariora deveniti
quin aliquid non sufficienter determinatum r
linquatur. Imò non tantùm ideo supplemen
ejusmodi opus est, quia legibus casus omnes c
prehendi non possunt, sed etiam quia nec omn
exprimi deberent, si fieri id posset, idque propt
confusionem vitandam: infinitæ enim alias leg
essent, sicut rectè observat D. Thomas 1. 2. q. 9
art. 6. ad 3. Sed ipsum Aristot. videat hîc qui vol
lib. 5. c. 10. sicut & li. 9. c. 15. ubi partem istam pr
dentiæ quæ æquitatem sectari docet γνώμην a
pellat. Idem docent ICti *Non possunt*, inquit J
lian. l. 2 *ff de ll. omnes articuli singulatim aut legibus a*
ICtis comprehendi, sed cum in aliqua causa sententia e
rum manifesta est, is qui jurisdictioni præest, ad simil
procedere atq; ita jus dicere debet. Et Modestinus li
12. *Nulla juris ratio aut æquitatis benignitas permittit,*
quæ salubriter pro utilitate hominum introducuntur,
nos duriore interpretatione contra ipsorum commodu
producamus ad severitatem.

IV. *Cuinam liceat moderari vi-*

Vbi tamen observa quod diximus, correctio
nem illam legi adhiberi non à quovis posse, se
ab e

ab eo qui jurisdictionem habet, sive cui potestas illa à principe concessa est: constat enim aliàs nemini præter verba legis agere licere, quamvis casus emergat in quo intelligat legem deficere, & in publicam utilitatem observationem ejus literalem impingere. Et ratio in promptu est: nec enim cuilibet permitti potest, ut pro lubitu quid utile, quid inutile publice sit, statuat, sed à magistratu illud expectari oportet, nisi periculum fortè in mora sit, & evidens necessitas urgeat, sicut id explicat Thomas loc. cit. in corp. Sed redeamus ad institutum. *gorem literæ.*

Ad prudentem itaq; judicem utrumque illud quod diximus pertinet. Quod ut rectè administret tria requiruntur. Primum est ut amore justitiæ judicium exerceat; alterum ut publica authoritate id faciat: tertium ut secundum rectam rationem: quod si enim judicare est actum aliquem justitiæ exercere, sicuti diximus, legitimum judicium esse nequit, nisi istis omnibus accuratè observatis, quemadmodum iterum docet Tho. 2.2. q. 60. art. 2. Quare si quis alio animo judicet, quã justitiæ administrandæ causa, judicium illicò injustum est. Si verò id faciat optimo quidem animo, sed autoritate judicandi non instructus, judicium tantum usurpatum dicitur. Si denique utrumque adsit, nec tamen certis rationibus, sed suspicionibus tantùm in judicando nitatur, judicium temerarium est. Quæ omnia maxima esse vitia judiciorum facilè patet. Sed de singulis paulò pluribus dicendum est. *V. Tria requiruntur in prudenti judice.* *Totidem præcipua vitia judiciorum.*

Et pri-

VI. Et primò quidem de jurisdictione, quam
Iudicium non debet esse usurpatum. cundo loco collocavimus, res certa est. Cum
nim sententia judicis sit tanquam particula
quædam lex, ut eleganter notat Tho. 22. qu.
art. 1. lex autem omnis vim cogendi habeat; n
potest nec debet usurpare potestatē iuris dicu
di qui eam non habet, neq; ordinariè neque p
commissionem: cum ipse nec jus habeat cog
An quis possit judicare etiam sibi non subjectum. di alios, nec vim etiam & efficaciam si coge
velit. Quod tamen quando dicimus, non neg
mus, judicare quenquam posse interdum etia
sibi non subjectum, sicuti in compromissione
eri solet. Etsi enim propriè illi non sunt subjec
tamen quia compromiserunt in hominem a
quem certum, tanquam arbitrum, eatenus i
se ei subjecerunt, licet nec plenaria fortè juris
ctio hæc sit, cum vim coercendi non habe
Idem fieri potest & fit, si quis eo loco delinqu
quidquam, qui sub jurisdictione alterius est:
ficitur enim, tum judex ejus loci superior il
cui aliàs imperare non potuerat, idque propt
delictum eo loco perpetratum ubi ipsi justitia
administrare competit.

Occurrit equidem in sacris exemplis unu
atq; alterum, ubi judiciū exercuisset etiam sa
cti viri traduntur, qui tamen jurisdictionem,
videtur, nullo modo habebant. Prius est Mo
interficientis Ægyptium, qui virum Hebræu
percusserat. Exod. 2. 12. alterum Phineæ, filij El
azaris, nepotis Aaronis, cum Zamri filium Sa
lum spiculo confoderet, quod mulierem M
dianitidem contra præceptum DEI ante oc
lc

los Iſmaëlis adduxiſſet, ut cum ea ſcortaretur & idololatriam exercet. Num.25.7. Vterque erat privatus, nec ij quos occidebant ipſis ſubiecti, & tamen factum Phineæ illic non tantum à Domino laudatur, imo iram ejus à populo Iſraëlitico avertiſſe dicitur, ſed etiam ob id ipſum confirmatur ei ſummum ſacerdotium in perpetuum; unde & Pſ.105.31. legitur reputatum illud ei eſſe ad iuſtitiam in generationem & generationem. Sed Moſes id vel ex peculiari revelatione fecit, qua autoritas & poteſtas vindicandi fratres ſuos ipſi à Deo conceſſa fuerat, quemadmodū innuit. S.Steph.Act.7.25. vel defendendo Hebræum illum contra iniuriam Ægyptii cum moderamine inculpatæ tutelæ, ſicut hoc interpretatur D.Ambroſ.in offic.cap.30. Quid & id fieri poteſt ut non plane abſque peccato res ea fuerit, etſi non â malitia ſed amore erga popularem & odio iniuſtitiæ profecta, ut docet D.Aug. q. ſuper exod. cap.2. idque multis exponit l. 22. cont. Fauſtum cap. 70. ubi fervorem iſtum Moſis cum præpoſtero zelo Pauli, perſequentis eccleſiam propter amorem paternarum traditionum, & Petri percutientis Malchum Domini defendendi cauſa comparat. *Vterque*, inquit de Moſe & Petro, *non deteſtabili immanitate, ſed emendabili animoſitate, iuſtitiæ regulam exceſſit, uterque odio improbitatis alienæ, ſed ille fraterno, iſte dominico, licet adhuc carnali, tamen amore peccavit.* Vnde & paulo ante animum illum Moſis ſimilem facit agro optimo ſed malis herbis luxurianti. *Sicut agricola*, ait, *quum terram viderint quamvis inutiles tamen ingentes herbas progignere,*

Quid ſtatuendum de facto Moſis percutientis Ægyptii.

frumentis aptam esse pronunciant, & ubi filicem adsp
rint, licet eradicandam sciant. validis vitibus habilem in
telligunt, & quem montem oleastris silvescere adspexe
oleis esse utilem cultura accedente non dubitant: sic il
nimi motus, quo Moses peregrinum fratrem à cive imp
injuriam perpetientem non observato ordine potestati
ultum esse non pertulit, non virtutũ fructibus inutilis
sed adhuc incultus vitiosa quidem sed magna fertili

Quid de Phinea Num. 25. *signa fundebat*. Hæc de facto Mosis. De Phi
resp. Thom. dicendum esse vel quod itiden
revelatione divina id fecerit, vel quod licet
non esset summos sacerdos, ad quem pertine
ejusmdi scelera vindicare, fuerit tamen fi
ejus. Hæc de jurisdictione.

VIII. Nulla debet esse acceptatio personarũ in judicio. Eadem ratio est de amore justitiæ quem ir
dice requiri diximus. Is autem præcipue i
consistit, ut citra acceptionem personarum j
cium fiat: cum enim ideo judicetur, ut quo
æquale est ad æqualitatem redigatur, statin
que vel actoris vel rei persona acceptatur,
est, vel huic vel illi plus tribuitur quam m
causæ patiuntur, corrump. judicium necesse
nam ita inæqualitas, ob quam auxilium ju
implorabatur, vel non tollitur, vel major e
fit quam antea erat. Sane ostendimus supr
justitia distributiva personarum rationem h
dam esse & nonnunquam etiam etiam in cõ
tativa, sed distributiva ad judicia non pert
quidquid autẽ in commutativa tale fit id lẽ
liud est, & ad ipsam æqualitatem requiritur
qui in societate ad sortem contulit mille au
distinguendus utique ab eo est ii ducent

cum erogavit, nec lucri divisio alias æqualis esse aut iusta potest. Similiter personæ conditio nunc elevat, nunc aggravat delictum, ut suo loco docuimus: nec huius magnitudo æstimari recte potest nisi inter alia accurate & illa observetur. Sed hoc non est acceptare personas, id personæ tribuere quod ei debetur, sed tribuere quod non debetur. Sic persona pupilli commendatur iudici in sacris, ut & pauperis & viduæ. *In iudicando esto pupillis misericors ut pater, & pro viro matri illorum*; ait ecclesiasticus c.4.10. Nec minus tamen Exod.23. v.3. legitur, *Pauperis quoq; non misereberis in iudicio.* Videlicet cum viduæ & pupilli facile opprimantur, certè omnium maximè expositi sint aliorum libidini, & iniuriam facilius patiantur quam faciant, præsumi pro iis contra potentiores debet, cum hi in maiori plerunque culpa & malitia sint. Quod si tamen de ipsorum etiam malitia constet, alia est ratio, nec minus in culpa sunt quam quisquam alius.

Quid sit personam acceptare.

Postremo requiritur ut iudex sufficientibus rationibus instructus sit: iniuriam enim alias facit iis quos iudicat. Ad hãc rem duo sunt necessaria: scire accurate tum ius secũdum quod decidi res debet, tum factum de quo disceptatur. Prius cõtinetur exacta scientia legum, statutorum & laudabilium consuetudinũ, qua de re supra. Ad posterius requiritur, primo ut sit aliquis accusator: *Nec enim iudicis est sine accusatione quemquã damnare*, ait Ambrosius sive is est Remigius, in 1. ad Cor. c.5. & ex eo Ius canonicum *cap si quis potestatem* 23. q.4. Vnde & Act.25.16. dicit Festus: *Non est Romanis con-*

Iudicium non debet esse temerarium.

nis consuetudo damnare aliquem hominem priusquan qui accusatur præsentes habeat accusatores, locumque fendendi accipiat ad abluenda crimina. Accusator a tem est vel privatus quispiam, qui propter r xam aut crimen perpetratum sive rempubl. psam, sive in se & suos, alterum in iudicium ra vel magistratus ipse, si factum notorium sit, in iudicio perpetratum. Docuit hoc Deus i cum Gen. 11. ædificatores turris Babylonicæ tè non puniret, quam descendisset & vidi turrim: ubi recte S. Chrysostomus hom. 30. κατέβη, φασὶ, κύριος ὁ θεός. οὐχ ἵνα ἀνθρωπίνας νοήσω ἀλλ' ἵνα διὰ τοῦτο παιδευώμεθα, μηδέποτε κατ'ψηφ σθαι ἁπλῶς τῶν ἀδελφῶν τῶν ἡμετέρων, μήτε ἐξ ἀκοῆς ταδικάζειν, ἐὰν μὴ πρότερον πολλὴν δεξώμεθα τὴν πλ φορίαν. *Et descendit, inquit, Dominus Deus: nõ ut hu no more (illud) intelligamus, sed ut hoc pacto doceai nunquam condemnare simpliciter quenquam frat nostrorum neque ex auditione contra eum senten ferre nisi magnam antea consecuti simus certitudi* Deinde requiritur, ut qui accusat sufficie factum edocere possit, quæ præcipue docun torum integritas, testium sufficiens numeru diligens eorum quæ à testibus deponuntur cussio pertinet. Tertio, ut reo copia sit se de dendi sive per semetipsum, sive per advoca nam,

Qui statuit aliquid parte inaudita altera,
Æquum licet statuerit, haud æquus fuit,

ait Seneca Medeâ. Sed de his omnibus ple agunt ICti: etsi inter ethicam & iuridicam ctrinam id hic interest, quod quicquid illa

tinet ex ipsa rerum natura deducere decet, & id tantum tradere quod hac in re juris naturæ est & apud omnes gentes observari debet, ista vero ea tradit quæ jus civile juri naturæ adjecit; quod item ethicus communia tantum persequitur, jurisconsulto autem ad particulariora descendendum est & res tota pressius urgenda atque enucleatius pertractanda. Hæc igitur ad judicium recte obeundum necessaria sunt.

X. *Tractatur quæstio an judex judicare secundum acta & probata, contra propriam scientiam possit.*

Verum enim vero hic quæstio nobis quasi sub manu nascitur consideratione digna: cum enim dixerimus ad judicium exercendum requiri ut factum sufficienter ab actore probetur, quæri potest: annon privata scientia judicis quam ipse de re quapiam habet, supplere illud possit, ut quem ipse certo, sed solus scit innocentem esse, contra acta & probata absolvere, aut quem scit nocentem, sed non convinci, condemnare possit? Absolvere innocentem qui sufficienter convincitur, aut condemnare nocentem non convictum non potest: ne omnis ordo & leges judiciorum perturbentur, & dum rei aut vitæ privati atque unius hominis consulitur, tota respubl. pessum eat. Condemnare innocentem & absolvere nocentem non licet: *Innocētem enim ac justum non occides* dicit scriptura Exod. 23. 7. *Non suscipies vocem mendacij, nec junges manum tuam ut pro impio dicas falsum testimonium.* ibid. 1. *Si quis per industriam occiderit proximum suum & per insidias, ab altari meo evellas eum ut moriatur.* Exod. 21. 13. *Qui iustificat impium & qui condemnat iustum abominabilis est uterq; apud Deum.* Prov. 17. 15. Vtrinque est ma-

Discrepantes auctorum sententia de innocente sufficienter convicto.

gna difficultas. *Hinc atq; hinc vastæ rupes geminiq; minantur, In cœlum scopuli.* Unde & auctores in part diversas imo contrarias eunt. Sane de absoluti ne nocentis non convicti fere consentiunt; in Soto dicit nunquam de ea dubitatum, adeoq hoc extra controversiam esse, etsi nostro judic pœne eadem heic difficultas est: at de conder natione innocentis convicti plurimum disc pant. Non condemnandum esse contra scient nec absolvendum contra acta, sed judici insta dum ut exoneretur ab officio judicandi, vel m neri quod gerit plane renunciandum, censet N col. Lyranus super Exod. c. 23. Hostiens. in c. I storalis, §. *quia vero de offic. iud. deleg* & Panormit bid. Absolvendum esse dicunt Angelus Cla sius in V. judicare q. 7. Rosella in V. Iudicium xta acta & probata judicari & reum condemn posse statuunt Alex. Alensis p. 3. q. 34. memb art. 4. & q. 40 memb. 6. artic. 2. Thom. 2. 2. q. artic. 2. Cajetan. ibid. Dominicus Soto lib. 5 justit. & jur. q. 4. art. 2. Gregor. de Valentia tom disp. 5. q. 11. punct. 2. & ex ICtis Bartolus sup illicitas §. veritas ff. de offic. præsid. Didacus C varruvias var. resol. tom. 2. lib. 1. c. 1. Cujac. l. obser. c. 19.

XI. *In quibus auctores concordent.*

Antequam autem ostendamus quid hac de sentiēdum putemus, & quænam opinio maxi probabilis nobis appareat, duo præmittēda s primo sciendum quatenus auctores omnes co cordent, deinde quæ sint præcipuæ rationes q bus nituntur. Omnes igitur in eo concorda primo incumbere judici nihil non tentare &

c

cere quod per iura & ordinē iudiciorum potest, ut innocentem liberet: & quanquam alii alias rationes afferunt quibus id efficiat, nihil tamen amplius facere forte potest, quam ut eo maiori studio iudicium administret, absterrendo testes à periurio, percontando item de loco, tempore, &c. si forte hoc pacto fides testimoniorum elevari queat, sicut à Daniele factum est in causa Susannæ Dan. 13. 45. 55. Quanquam & id sine dubio facere potest, quod Soto addit, ut si fieri citra scandalum & secreto queat, carceres apertos relinquat quo se captivus in pedes coniiciat & aufugiat. Secundo etiam hoc inter eos convenit, si sit inferior judex, ut si potest ad superiorē negotium remittat, & reum ipse iuvet testimonio suo, etiam iurato, modo illi eo pacto consuli possit. Sin iudex supremus sit & ipse princeps in repub. id agat, ut placato actore in causa dispenset, quod pro sua autoritate non difficulter obtinebit. Tertio, neq; hoc in dubium vocatur, an si iudex persuasum habeat non licere contra scientiam etiam sufficienter convictum condemnare, peccet si id faxit: sine dubio enim mortaliter peccat, cū simpliciter contra conscientiam agat. Contra conscientiam autem agendum non esse etiam illi non negant qui iuxta acta pronunciandum censent, ut erudite monet Covarru. & suo loco pluribus ostensum est. Quarto multo minus de eo disceptatur, an nō iudex extra iudicium de iis quæ ab ipsius arbitrio commissa sunt, constituere debeat pro scientia sua quam privatim & solus habet: de eo enim quod iudex facit ut iudex, hoc

est, in judicio, quæstionẽ esse à principio dict
est. Hæc sunt in quibus doctores concord

XII. *Expenduntur rationes quib. vulgo utuntur in hac controversia.*

Rationes quibus pugnant multiplices si
deprompta non tantum ex jure divino & nat
sed etiam positivo Sed quæ petuntur ex jure
sitivo ICtis relinquimus: nec enim ex ijs quæ
hæc principaliter decidi potest, nec de ijs litig
ad nostrum forum pertinet. Et sine dubio ex
licitas, §. vetitas ff. de offic. præsidis, ut ipse
varru. & Cujac. testantur, aut ex c. jud. 3. qu. 7
c. pastoralis §. supra allegato de offic. jud. de l
ti, elici certi hac de re nihil potest. Nec vero
pro sententia juxta scientiam privativam fe
disputant, caute contra adversarios suos illa
gent, adversus conscientiam nihil esse facie
nec mentiendum judici, quod tamen faciat
sciens & volens eum nocentem pronuncia
reapse innocens est. Causa hæc est, nam prim
conscientia ipsi concedunt, ut ante dictun
Sed negant hoc esse contra conscientiam ag
scientia enim tantum est 1 eum esse innocen
ac conscientia, statuere quid de eo faciẽdu
nec vero omnis scientia conscientia est, ut
docetur. Deinde utrumq; quod afferunt æq
let de absolutione nocentis non convicti, at
condemnatione innocentis legitime con
cũ tamen illi absolutionẽ illã approbent. E
tè si semper, id est, contra conscientiam ager
nocentem condemnare, est utiq; etiam noc
absolvere: sicut n. illic est scientia in judice,
non esse innocentem, ita heic ille scit esse nc
tem. Quod si etiam mentitur judex semper

Aliud nuda rei scientia, aliud conscientia.

sciens pronunciat, e.g. homicidii reum esse qui revera homicida non est, mentitur non minus cum pronunciat homicidii reum non esse quem homicidam scit, licet sufficienter convictus non fuerit. Quid quod nec mentitur judex quando pronunciat innocentem illum sufficienter convictum, secundum leges & jura puniendum esse, cum non dicat eum in culpa aut revera nocẽtem esse (nec enim hoc facere debet, aut sine maximo peccato potest) sed pœnæ à legibus addici, quod eo modo convictus sit, quo eæ præscribunt convincendum quenquam esse, ut recte notat Soto in solut. arg. ultim. Nec quadrat huc illud ex l. absentem ff. de pœn. satius esse nocentis facinus impunitum relinquere quam innocentẽ damnare: etsi enim id in dubiis valet, tamen ubi certo constat reum nocentem esse, ea locũ habent quæ supra ex Exodo & Prov. adduximus. Sed neq; contra qui pro actis & probationibus stant, recte dicunt, duplicem esse in judice conscientiã, publicam, quã habeat ut judex, & privatam, quam habeat ut homo, nisi hoc ita explicent, & per privatam conscientiam intelligant nudam scientiã facti, per publicam, notitiã juris sive judicium intellectus, quo judex statuit quid faciendum sibi sit. Nam alioquin quod fundamẽtum illa distinctio habeat non video, nec quomodo de una & eadem re contrarium judicium, idq; certum, in uno subjecto, uno tẽpore esse possit, ut recte etiam ex Joh. Calderino Juris Canonici interprete notat Panormitanus. Et parum interest, si peccat judex, dum secundum acta judicat, sive id faciat

Distinctio conscientia in publicam & privatam fundamento caret.

Legitimæ probationes non male dicuntur veritas publ.

ut judex, sive ut homo: certe enim à Deo punietur, sive pœna ut judici sive ut homini ipsi expectanda fuerit, ut recte objicit summa Angelica. Tandem nec qui pro scientia privata faciunt recte ejiciunt distinctionem veritatis in publicam & privatam: etsi enim proprie veritas unica & simplex est, quod intempestive in hac controversia inculcat Treutlerus disp. 12. vol. 2. th. 14. lit. E. ut &, quod vera conscientia & veræ probationes pugnare inter se nunquam possint, recte hoc nomine reprehensus à Reinh. Bachovio: tamen nihil impedit, quo minus veritas publica vocetur quod legitime probatum & eo modo ostensum est quo veritas erui humana industria potest, & alias communiter solet, cum ipsum etiam jus divinū pro vero habeat quod certo modo, puta duorum aut trium hominū testimonio, probatum est, non obstante quod nonnunquam ejusmodi etiam testimonium falsum esse possit, ut in caussa Susannæ contigerat quemadmodum erudite hæc disputat idem Bachovius.

XIII. *Præcipua argumenta in hac controversia.*

Hæc ergo rationes rem non conficiunt. Præcipuum argumentum est nostra sententia, pro scientia, quod innocentem damnare sit actus in se pravus, ut nulla recta intentione, nullo timore, nulla scandali evitatione licitus fieri possit, sicut Cajetanus notat: etsi enim *interest plurimum qua causa, quo fine, qua intentione quid fiat, ea tamen quæ cōstat esse peccata nullo bonæ caussæ obtentu, nullo quasi bono fine, nulla velut bona intentione facienda sunt*, ait D. Aug. lib. cont. mendac. c. 7. Pro actis autem ista sunt: primo quo judici nec cōcessum est nec concedi

cedi

cedi potest, ut ex privata scientia & arbitrio rem gerat, ne plus hinc incommodi quam commodi ad remp. perveniat. Cogitur igitur officii ratione judicare secundum acta non minus in uno casu quam in altero, cũ rectius reip. prospici nequeat, nec majora mala evitari. Quod si autem hic sequius quid evenit, quam oportebat, necessitati publicæq; saluti id concedendum est: *est enim lex omnis humana, quantumvis justa, nihil aliud quam cribrum expurgando tritico, quæ nequit sic exacte justa & injusta decernere, quin cum purgamentis nonnulla quandoq; decidant grana*, ut eleganter dicit Soto. Idq; in multis aliis etiam accidit, estq; elegans plane exemplum quod à ICtis hic suggeritur. Ita non retractatur ordinarie sententia semel lata, postquã in rem judicatam transit, propter instrumenta nove reperta, non quod ex ijs non possit rectiora judex sæpe edoceri quam ante norat, sed quia isto pacto lites nunquam finiendæ essent, ut ad l. 4. & 5. C. de re jud. illi disputant. Secundo, si licet nocentem absolvere quam diu non convincitur, idq; ideo quia non convincitur, quem absolvere tamen alias nullo pacto licebat; nec innocentem in tali casu, ubi aliis licitis mediis liberari nequit, condemnare peccatum est. Et quemadmodum dicta illa, Qui justificat impium & qui condemnat justum, abominabilis est uterque apud Deum &c. Non junges manum tuam ut pro impio dicas falsum testimonium &c. intelligenda sunt ita, si convincatur, sic & istud: Innocentem non condemnabis, accipi de eo cujus innocentia demonstrari potest.

His

XIV. *Decisio controversia.* *Prima conclusio.* His suppositis rem totam tribus conclusic bus comple̅ctemur: *Prima*: Reus sufficiei convictus contra acta absolvi non potest, nei id judex obligatur, quamvis innocentem e esse sciat, contra quam statuit prima opinio. teſt tamen princeps ipsum absolvere vel fal dispensare in causa, ut etiam Covarru. censet *Secunda.* *cunda*: Iudex inferior relinquat causam superi si fieri id utiliter & cum commodo rei potest vult secunda opinio, nam hoc ipse Thomas cit. quæst. 64. artic. 6. ad 3. docet, & ut supra d mus in eo auctores fere omnes concorda Quod si autem superior ipsum exercere ju cium velit, renunciare ideo officio non cogi nisi facere id toties etiam velit quoties noc non convictus absolvendus est: multo minus tæ periculum adire tenetur, ut ipse etiam Ro la concedit. *Tertia*; Quoties judex cogitur ju *Tertia.* care non peccat si secundum acta & probata dicet, cum id sit ejus officii: nec ipso reo injur facit, sed vel ij qui falsum testimonium depo runt, vel humanorum judiciorum conditio, c rectius instituti nequeunt, imo injustissima fu ra sint, nisi ex actis judicetur, ut statuit tertia c nio. Vnde recte dicit Thom. in epist. ad Ron 20. lect. 1. aliam esse rationem judicii hum etiam justi, & judicii divini, quia Deus est judex ut ipse simul testis sit, nec falsis alle tionibus decipi possit: *Hominis judicium*, in q *etiamsi juste dicetur, non semper est secundum verita negotii: sed secundum dicta testium, quæ quand dissonant à veritate. Sed hoc non est in divino judicio,*

u

ut ipse dicit Hierem.29. Ego sum iudex & testis: non etiam fallitur falsis allegationibus. Hæc sententia maxime probabilis non apparet, etsi prima opinio tutior forte est.

Quibus ita explicatis, facile iam quoq; liquet quid de absolutione nocentis sufficienter non convicti sentiendum sit: quia enim iudex secundum acta & probata iudicare debet, absolvere etiam nocentem non convictum potest: aliud enim officii eius non est, cum in scelera animadvertere tum demũ cogatur, cũ eorum quis convictus fuerit. Interim tamen & hic princeps pro sua auctoritate, præsertim si atrox crimen sit & reipub. intersit illud puniri, aliud statuere potest, maxime si scientiam suam publice testatus sit. Tantum de ista quæstione. *XV. Quid de absolutione nocentis non convicti sentiendum sit.*

Vnum restat de casibus dubiis. In iis autem, ut supra iam innuimus, mitior pars præferenda est. Docet hoc recta ratio: qui enim deteriorem partem rapit quod dubium est, iniuriam utique ei facit de quo ita iudicat, cum quantum in se est sine iusta caussa hominem condemnet. Nec excusatur etiamsi reapse res sic, ut ipse auguratur, se habeat: omne enim hoc per accidens est, cum etiam aliter habere se poterit. Et quanquam condemnavit tum eum qui condemnandus per se erat, eo tamen proposito hoc fecit, ut condemnatum voluerit etiamsi in culpa non esset: nam id animi ei fuisse oportet, cum dubitans an reus esset, nihilominus damnarit. Idem scriptura approbat. Vnde Deut. 22.24. & seqq. cum distinxisset inter compressionem puellæ desponsatæ fa- *XVI. Quid in casibus dubium faciendum sit.*

tæ factam in civitate & factam in agro, sanc
facta sit in agro solum scortatorem puniend
esse: *clamaverit enim*, inquit, *puella, nec fuerit qui
varet eam*. Ad quem locum Lyranus: *Lex inter
tatur factum in meliorem partem, scil. quod puella cla
verit & cognita fuerit per violentiam. Et ex hoc h
tur argum. quod dubia sint in mitiorem partem inter
tanda.* Hæc ille. Nec obstat quod sæpius fa
mur quum mitiorem partem eligimus qu
quum pejorem: melius enim est frequenter
li & bonam opinionem fovere etiam de hom
malo, quam rarius falli & male de viro bono
spicari, cum hoc cum injuria proximi conju
ctum sit, illud non item; ut docet Thom. 2.2.
60. art. 1. ad 1.

XVII. *Cajet. sententia.* Equidem Cajetan. l. d. censet imprudentiæ
se, ubi nihil certi appareat, in alterutram part
animum impellere, adeoq; non positive sed n
gative id intelligendum esse, quod dubia in m
liorem partem interpretanda sint, ita scilicet n
ut alterutri parti adsensum præbeas, sed ut ju
cium suspendas. Unde Christum Matth. 7. 1.
non dixisse ut in meliorem partem judicem
sed ne judicemus, & Paulum ad Rom. 14. 3, pr
cipere, tantum, ut qui non manducat, mand
cantem ne iudicet. Sic Caietan. qui & hoc add
si tamen omnino judicandum sit, & alteru
parti adhærendum, meliorem ideo eligenda
non quod bonū sit sine certitudine ulli rei m
liori quam peiori sententiæ. Verū hæc omnia r
Refutatur à Soto. cte confutat Soto lib. 3. de iust. q. 4. artic. 4. N
dubium est quin non tantum non concessum
propt

propter dubia signa male sentire de quoquam mortalium, sed teneamur etiam optima, quantum res patitur, de omnibus præsumere, nisi interdum judicia in sequiorem partem nimiū vergant: tum enim nihil definire à judicio temperare sufficit. Nec impedit quod dicit Cajetanus, ubi res dubia est nullam causam esse quare uni parti essentiaris: ipsum enim jus naturæ ad assentiendum meliori parti & bonum præsumendum nos obligat quoties ratio manifesta non est quæ contrarium imperet. Vbi itaq; nulla certa caussa est quare malum suspiceris, bonum præsumendū omnino est. Itaq;, ut puto, diserte etiam docet locus ex Deuteron. allatus: etsi enim dubium est si puella extra urbem, ubi sola cum scortatore erat, compressa sit, an clamaverit & invita pudicitiam perdiderit nec ne, lex tamen divina jubet simpliciter eam absolvi & ita haberi quasi clamaverit sed à nemine exaudita sit. Nec magni momenti est quod Cajetanus obiicit, si uni parti adsensus in dubiis præbeatur errore intellectum nostra culpa implicari: nec enim error intellectus est quid per se malum in genere motum, nisi tum demum ubi appetitum & actiones nostras depravat. Adde quod etiam alias circa singularia contingentia parum ad ipsam scientiam interest, an verum falsum statuatur, cum nec perfectio intellectus in eorum cognitione posita sit. Hæc de prudentia judiciaria.

Cæterum cum leges nec ferri possint nec ferantur de omnibus quæ in vita hominum occurrunt, sicut supra diximus, imo respiciant potius quid *XVIII. Prudentia deliberativa.*

quid iustum sit, quam quid utile & necessarium reipublicæ requiritur ad vitam recte instituendam & remp. feliciter administrandam non tantum legum condendarum & iudiciorum ex earum præscripto obeundorum scientia, sed etiam facultas recte deliberandi & statuendi de iis quę præterea tum ad ipsius reipub. conservationem, tum privatim ad singulorum emolumentum ac vitę tranquillitatem procurandam pertinet. Vnde Aristoteles rhetor ad Alexand. ait: Τὸ βουλεύεσθαι τῶν περὶ τὸν ἄνθρωπον θειότατόν ἐστι, *Consiliarii eorũ, quæ inter homines sunt divinissimum est.* Et Sallust. ad Cæsarem: *Ego ita comperi omnia regna, civitates, nationes, usque eo prosperum imperium habuisse, dum apud eos vera consilia valuerunt. Vbicunque gratia, timor, voluptas ea corrupere, post paullo imminutæ opes, deinde ademptum imperium, postremo servitus imposita est.* Hoc ergo munus est prudentiæ Deliberativæ. Quid autem sit bona deliberatio, seu quibus de rebus deliberetur ac consultetur, supra, ubi de principiis actionum humanarum egimus, dictum est. Nec opus est ea hic repeti: communia enim tantum sunt. Sed nec peculiariter hic explicari potest, quoniam in unaquaque forma reipubl. consilia & deliberationes præcipue referendæ sint: sicut enim politici est explicare & distinguere ipsas rerumpubl. formas & causas exponere, tam quæ conservant quam quæ destruunt singulas: ita etiam ad ipsum spectat ista omnia uberrime persequi. Huius loci id tantum est, ostendere in universum quomodo comparata esse debeat consultatio, & quis ei propositus finis, ut

Quatenus de ea hic agatur.

consi-

consilia ea inveniantur & approbentur quæ optima sint & reip. ac vitæ mortalium universæ salutaria. Differt autē hæc pars prudentiæ à duab. cæteris, præcipuè à judiciaria: nam cum Nomothetica magnam affinitatem habet. Et sanè fieri potest, ut rectè quis intelligat quæ ad lites juxta legum normam decidendas pertinent, nec idem tamen quid aliàs utile sit reipublic. adeò exactè calleat. Equidem prius illud accuratâ legum, statutorum ac consuetudinum cognitione absolvitur, at posterius ex illis nullo modo peti potest aut decet, cum aut parum aut nihil de ijs præcipiant. Ita an bellum sit gerendum, an pax facienda; an fœdera & cum quibus pangenda, quomodo importentur res in regionē & exportentur, quomodo ipsa custodiatur & muniatur, unde reditus in promptu esse possint, & ærarium sufficiens, denique quomodo leges ferantur utiles ac observentur, & reprimantur vitia, quæ paulatim, cum resp. degenerare incipiunt, invalescere solent, &c. de quibus potissimum capitibus deliberari docet Aristoteles 1. rhet. cap. 4. hæc, inquam, talia legum peritia non suppeditat. Vnde magnus error est, atq; is cum majori reipubl. pernicie conjunctis, quod vulgò persuasum hodie est, prudentiam judiciariam & senatoriam, (ita n. hæc altera vocari potest, quod senatus sit consultare; ut judicis est judicare) unam eandemque esse imò ipsam etiam jurisprudentiam cum hac coincidere. Nam sicut leges ad formam reip. accommodandæ sunt, non contrà hæc ad illas, ut dicitur 4. Pol. c. 1. ita etiam ex

Quid differat à reliqua prudentia.

Male confunditur cum judiciaria.

Tt   præ-

nis consuetudo damnare aliquem hominem priusquam is qui accusatur præsentes habeat accusatores, locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina. Accusator autem est vel privatus quispiam, qui propter noxam aut crimen perpetratum sive rempubl. ipsam, sive in se & suos, alterum in iudicium rapit; vel magistratus ipse, si factum notorium sit, vel in iudicio perpetratum. Docuit hoc Deus ipse, cum Gen. 11. ædificatores turris Babylonicæ antè non puniret, quam descendisset & vidisset turrim: ubi recte S. Chrysostomus hom. 30. Καὶ κατέβη, φασὶ, κύριος ὁ θεός. οὐχ ἵνα ἀνθρωπίνως νοήσωμεν, ἀλλ' ἵνα διὰ τοῦτο παιδευθῶμεν, μηδέποτε καταψηφίζεσθαι ἁπλῶς τῶν ἀδελφῶν τῶν ἡμετέρων, μήτε ἐξ ἀκοῆς καταδικάζειν, ἐὰν μὴ πρότερον πολλὴν δεξώμεθα τὴν πληροφορίαν. *Et descendit, inquit, Dominus Deus: nō ut humano more (illud) intelligamus, sed ut hoc pacto doceamur, nunquam condemnare simpliciter quenquam fratrum nostrorum neque ex auditione contra eum sententiam ferre nisi magnam antea consecuti simus certitudinem.* Deinde requiritur, ut qui accusat sufficienter factum edocere possit, quæ præcipue documentorum integritas, testium sufficiens numerus, & diligens eorum quæ à testibus deponuntur discussio pertinet. Tertio, ut reo copia sit se defendendi sive per semetipsum, sive per advocatum: nam,

Qui statuit aliquid parte inaudita altera,
Æquum licet statuerit, haud æquus fuit,

ait Seneca Medeâ. Sed de his omnibus plenius agunt ICti: etsi inter ethicam & iuridicam doctrinam id hic interest, quod quicquid illa continet

tinet ex ipsa rerum natura deducere decet, & id tantum tradere quod hac in re juris naturæ est & apud omnes gentes observari debet, ista vero ea tradit quæ jus civile juri naturæ adjecit; quod item ethicus communia tantum persequitur, jurisconsulto autem ad particulariora descendendum est & res tota pressius urgenda atque enucleatius pertractanda. Hæc igitur ad judicium recte obeundum necessaria sunt.

Verum enim vero hic quæstio nobis quasi sub manu nascitur consideratione digna: cum enim dixerimus ad judicium exercendum requiri ut factum sufficienter ab actore probetur, quæri potest: annon privata scientia judicis quam ipse de re quapiam habet, supplere illud possit, ut quem ipse certo, sed solus scit innocentem esse, contra acta & probata absolvere, aut quem scit nocentem, sed non convinci, condemnare possit? Absolvere innocentem qui sufficienter convincitur, aut condemnare nocentem non convictum non potest: ne omnis ordo & leges judiciorum perturbentur, & dum rei aut vitæ privati atque unius hominis consulitur, tota respubl. pessum eat. Condemnare innocentem & absolvere nocentem non licet: *Innocẽtem enim ac justum non occides* dicit scriptura Exod. 23. 7. *Non suscipies vocem mendacij, nec junges manum tuam ut pro impio dicas falsum testimonium.* ibid. 1. *Si quis per industriam occiderit proximum suum & per insidias, ab altari meo evellas eum ut moriatur.* Exod. 21. 13. *Qui iustificat impium & qui condemnat iustum abominabilis est uterq; apud Deum.* Prov. 17. 15. Vtrinque est ma-

X. *Tractatur quæstio an judex judicare secundum acta & probata, contra propriam scientiam possit.*

Discrepantes auctorum sententiæ de innocente sufficienter convicto.

gna difficultas. *Hinc atque hinc vastæ rupes geminique minantur, In cælum scopuli.* Unde & auctores in partes diversas imo contrarias eunt. Sane de absolutione nocentis non convicti fere consentiunt; imo Soto dicit nunquam de ea dubitatum, adeoque hoc extra controversiam esse, etsi nostro judicio pœne eadem heic difficultas est: at de condemnatione innocentis convicti plurimum discrepant. Non condemnandum esse contra scientiã, nec absolvendum contra acta, sed judici instandum ut exoneretur ab officio judicandi, vel muneri quod gerit plane renunciandum, censet Nicol. Lyranus super Exod. c. 23. Hostiens. in c. Pastoralis, §. *quia vero de offic. iud. deleg* & Panormit. ibid. Absolvendum esse dicunt Angelus Clavasius in V. judicare q. 7. Rosella in V. Judicium Iuxta acta & probata judicari & reum condemnari posse statuunt Alex. Alensis p. 3. q. 34. membr. 1. art. 4. & q. 40 memb. 6. artic. 2. Thom. 2. 2. q. 67. artic. 2. Cajetan. ibid. Dominicus Soto lib. 5. de justit. & jur. q. 4. art. 2. Gregor. de Valentia tom. 3. disp. 5. q. 11. punct. 2. & ex ICtis Bartolus super l. illicitas §. veritas ff. de offic. præsid. Didacus Covarru.vias var. resol. tom. 2. lib. 1. c. 1. Cujac. l. 12. obser. c. 19.

XI. *In quibus auctores concordent.*

Antequam autem ostendamus quid hac de re sentiẽdum putemus, & quænam opinio maxime probabilis nobis appareat, duo præmittẽda sunt: primo sciendum quatenus auctores omnes concordent, deinde quæ sint præcipuæ rationes quibus nituntur. Omnes igitur in eo concordant, primo incumbere judici nihil non tentare & facere

cere quod per iura & ordinē iudiciorum potest, ut innocentem liberet: & quanquam alii alias rationes afferunt quibus id efficiat, nihil tamen amplius facere forte potest, quam ut eo maiori studio iudicium administret, absterrendo testes à periurio, percontando item de loco, tempore, &c. si forte hoc pacto fides testimoniorum elevari queat, sicut à Daniele factum est in causa Susannæ Dan. 13. 45. 55. Quanquam & id sine dubio facere potest, quod Soto addit, ut si fieri citra scandalum & secreto queat, carceres apertos relinquat quo se captivus in pedes coniiciat & aufugiat. Secundo etiam hoc inter eos convenit, si sit inferior iudex, ut si potest ad superiorē negotium remittat, & reum ipse iuvet testimonio suo, etiam iurato, modo illi eo pacto consuli possit. Sin iudex supremus sit & ipse princeps in repub. id agat, ut placato actore in causa dispenset, quod pro sua autoritate non difficulter obtinebit. Tertio, neq; hoc in dubium vocatur, an si iudex persuasum habeat non licere contra scientiam etiam sufficienter convictum condemnare, peccet si id faxit: sine dubio enim mortaliter peccat, cū simpliciter contra conscientiam agat. Contra conscientiam autem agendum non esse etiam illi non negant qui iuxta acta pronunciandum censent, ut erudite monet Covarru. & suo loco pluribus ostensum est. Quarto multo minus de eo disceptatur, an nō iudex extra iudicium de iis quæ ab ipsius arbitrio commissa sunt, constituere debeat pro scientia sua quam privatim & solus habet: de eo enim quod iudex facit ut iudex, hoc

est, in judicio, quæstioné esse à principio dictum est. Hæc sunt in quibus doctores concordant.

XII. *Expenduntur rationes quib. vulgo nituntur in hac controversia.*

Rationes quibus pugnant multiplices sunt, deprompta non tantum ex jure divino & naturę sed etiam positivo Sed quæ petuntur ex jure positivo ICtis relinquimus: nec enim ex ijs quæstio hæc principaliter decidi potest, nec de ijs litigare ad nostrum forum pertinet. Et sine dubio ex l. illicitas, §. veritas ff. de offic. præsidis, ut ipse Covarru. & Cujac. testantur, aut ex c. jud. 3. qu. 7. aut c. pastoralis §. supra allegato de offic. jud. de legati, elici certi hac de re nihil potest. Nec vero, qui pro sententia juxta scientiam privativam feréda disputant, caute contra adversarios suos illa urgent, adversus conscientiam nihil esse faciendú, necmentiendum judici, quod tamen faciat cum sciens & volens eum nocentem pronunciat qui reapse innocens est. Causa hæc est, nam primo de conscientia ipsi concedunt, ut ante dictum est. Sed negant hoc esse contra conscientiam agere: scientia enim tantum est reum esse innocentem, ac conscientia, statuere quid de eo faciédum sit, nec vero omnis scientia conscientia est, ut alibi docetur. Deinde utrumq; quod afferunt æq; valet de absolutione nocentis non convicti, atq; de condemnatione innocentis legitime convicti, cú tamen illi absolutioné illá approbent. Et certè si semper, id est, contra conscientiam agere innocentem condemnare, est utiq; etiam nocétem absolvere: sicut n. illic est scientia in judice, reum non esse innocentem, ita heic ille scit esse nocentem. Quod si etiam mentitur judex semper cum

Aliud nuda rei scientia, aliud conscientia.

ſciens pronunciat, e.g. homicidii reum eſſe qui revera homicida non eſt, mentitur non minus cum pronunciat homicidii reum non eſſe quem homicidam ſcit, licet ſufficienter convictus non fuerit. Quid quod nec mentitur judex quando pronunciat innocentem illum ſufficienter convictum, ſecundum leges & jura puniendum eſſe, cum non dicat eum in culpa aut revera nocẽtem eſſe (nec enim hoc facere debet, aut ſine maximo peccato poteſt) ſed pœnæ à legibus addici, quod eo modo convictus ſit, quo eæ præſcribunt convincendum quenquam eſſe, ut recte notat Soto in ſolut. arg. ultim. Nec quadrat huc illud ex l. abſentem ff. de pœn. ſatius eſſe nocentis facinus impunitum relinquere quam innocentẽ damnare: etſi enim id in dubiis valet, tamen ubi certo conſtat reum nocentem eſſe, ea locũ habent quæ ſupra ex Exodo & Prov. adduximus. Sed neq; contra qui pro actis & probationibus ſtant, recte dicunt, duplicem eſſe in judice conſcientiã, publicam, quã habeat ut judex, & privatam, quam habeat ut homo, niſi hoc ita explicent, & per privatam conſcientiam intelligant nudam ſcientiã facti, per publicam, notitiã juris ſive judicium intellectus, quo judex ſtatuit quid faciendum ſibi ſit. Nam alioquin quod fundamẽtum illa diſtinctio habeat non video, nec quomodo de una & eadem re contrarium judicium, idq; certum, in uno ſubjecto, uno tẽpore eſſe poſſit, ut recte etiam ex Joh. Calderino Juris Canonici interprete notat Panormitanus. Et parum intereſt, ſi peccat judex, dum ſecundum acta judicat, ſive id faciat

Diſtinctio conſcientiæ in publicam & privatam fundamento caret.

Legitimæ probationes non male dicuntur veritas publ.

ut judex, sive ut homo: certe enim à Deo punietur, sive pœna ut judici sive ut homini ipsi expectanda fuerit, ut recte objicit summa Angelica. Tandem nec qui pro scientia privata faciunt recte ejiciunt distinctionem veritatis in publicam & privatam: etsi enim proprie veritas unica & simplex est, quod intempestive in hac controversia inculcat Treutlerus disp. 12. vol. 2. th. 14. lit. E. ut &, quod vera conscientia & veræ probationes pugnare inter se nunquam possint, recte hoc nomine reprehensus à Reinh. Bachovio: tamen nihil impedit, quo minus veritas publica vocetur quod legitime probatum & eo modo ostensum est quo veritas erui humana industria potest, & alias communiter solet, cum ipsum etiam jus divinũ pro vero habeat quod certo modo, puta duorum aut trium hominũ testimonio, probatum est, non obstante quod nonnunquam ejusmodi etiam testimonium falsum esse possit, ut in caussa Susannæ contigerat quemadmodum erudite hæc disputat idem Bachovius.

XIII. Præcipua argumenta in hac controversia.

Hæc ergo rationes rem non conficiunt. Præcipuum argumentum est nostra sententia, pro scientia, quod innocentem damnare sit actus in se pravus, ut nulla recta intentione, nullo timore, nulla scandali evitatione licitus fieri possit, sicut Cajetanus notat: etsi enim *interest plurimum qua causa, quo fine, qua intentione quid fiat, ea tamen quæ cõstat esse peccata nullo bonæ caussæ obtentu, nullo quasi bono fine, nulla velut bona intentione facienda sunt*, ait D. Aug. lib. cont. mendac. c. 7. Pro actis autem ista sunt: primo quo judici nec cõcessum est nec concedi

çedi poteſt, ut ex privata ſcientia & arbitrio rem gerat, ne plus hinc incommodi quam commodi ad remp. perveniat. Cogitur igitur officii ratione judicare ſecundum acta non minus in uno caſu quam in altero, cũ rectius reip. proſpici nequeat, nec majora mala evitari. Quod ſi autem hic ſequius quid evenit, quam oportebat, neceſſitati publicæq; ſaluti id concedendum eſt: *eſt enim lex omnis humana, quantumvis juſta, nihil aliud quam cribrum expurgando tritico, quæ nequit ſic exacte juſta & injuſta ducernere, quin cum purgaminibus nonnulla quandoq; decidant grana,* ut eleganter dicit Soto. Idq; in multis aliis etiam accidit, eſtq; elegans plane exemplum quod à ICtis hic ſuggeritur. Ita non retractatur ordinarie ſententia ſemel lata, poſtquã in rem judicatam tranſit, propter inſtrumenta nove reperta, non quod ex ijs non poſſit rectiora judex ſæpe edoceri quam ante norat, ſed quia iſto pacto lites nunquam finiendæ eſſent, ut ad l. 4. & 5. C. de re jud. illi diſputant. Secundo, ſi licet nocentem abſolvere quam diu non convincitur, idq; ideo quia non convincitur, quem abſolvere tamen alias nullo pacto licebat; nec innocentem in tali caſu, ubi aliis licitis mediis liberari nequit, condemnare peccatum eſt. Et quemadmodum dicta illa, Qui juſtificat impium & qui condemnat juſtum, abominabilis eſt uterque apud Deum &c. Non junges manum tuam ut pro impio dicas falſum teſtimonium &c. intelligenda ſunt ita, ſi convincatur, ſic & iſtud: Innocentem non condemnabis, accipi de eo cujus innocentia demonſtrari poteſt.

His

XIV. *Decisio contro-versia.* *Prima conclusio.* His suppositis rem totam tribus conclusionibus complectemur: *Prima*: Reus sufficienter convictus contra acta absolvi non potest, nec ad id judex obligatur, quamvis innocentem eum esse sciat, contra quam statuit prima opinio. Potest tamen princeps ipsum absolvere vel saltem *Secunda.* dispensare in causa, ut etiam Covarru. censet. *Secunda*: Iudex inferior relinquat causam superiori, si fieri id utiliter & cum commodo rei potest, ut vult secunda opinio, nam hoc ipse Thomas loc. cit. quæst. 64. artic. 6. ad 3. docet, & ut supradiximus in eo auctores fere omnes concordant. Quod si autem superior ipsum exercere judicium velit, renunciare ideo officio non cogitur, nisi facere id toties etiam velit quoties nocens non convictus absolvendus est: multo minus vitæ periculum adire tenetur, ut ipse etiam Rosel-*Tertia.* la concedit. *Tertia*; Quoties judex cogitur judicare non peccat si secundum acta & probata judicet, cum id sit ejus officii: nec ipso reo injuriam facit, sed vel ij qui falsum testimonium deposuerunt, vel humanorum judiciorum conditio, quæ rectius instituti nequeunt, imo injustissima futura sint, nisi ex actis judicetur, ut statuit tertia opinio. Vnde recte dicit Thom. in epist. ad Rom. c. 20. lect. 1. aliam esse rationem judicii humani, etiam justi, & judicii divini, quia Deus ita est judex ut ipse simul testis sit, nec falsis allegationibus decipi possit: *Hominis judicium*, inquit, *etiamsi juste dicetur, non semper est secundum veritatem negotii: sed secundum dicta testium, quæ quandoque dissonant à veritate. Sed hoc non est in divino judicio, quia*

ut ips

ut ipse dicit Hierem. 29. Ego sum iudex & testis: non etiam fallitur falsis allegationibus. Hæc sententia maxime probabilis non apparet, etsi prima opinio tutior forte est.

Quibus ita explicatis, facile iam quoq; liquet quid de absolutione nocentis sufficienter non convicti sentiendum sit: quia enim iudex secundum acta & probata iudicare debet, absolvere etiam nocentem non convictum potest: aliud enim officii eius non est, cum in scelera animadvertere tum demũ cogatur, cũ eorum quis convictus fuerit. Interim tamen & hic princeps pro sua auctoritate, præsertim si atrox crimen sit & reipub. intersit illud puniri, aliud statuere potest, maxime si scientiam suam publice testatus sit. Tantum de ista quæstione. *XV. Quid de absolutione nocentis non convicti sentiendum sit.*

Vnum restat de casibus dubiis. In iis autem, ut supra iam innuimus, mitior pars præferenda est. Docet hoc recta ratio: qui enim deteriorem partem rapit quod dubium est, iniuriam utique ei facit de quo ita iudicat, cum quantum in se est sine iusta caussa hominem condemnet. Nec excusatur etiamsi reapse res sic, ut ipse auguratur, se habeat: omne enim hoc per accidens est, cum etiam aliter habere se poterit. Et quanquam condemnavit tum eum qui condemnandus per se erat, eo tamen proposito hoc fecit, ut condemnatum voluerit etiamsi in culpa non esset: nam id animi ei fuisse oportet, cum dubitans an reus esset, nihilominus damnarit. Idem scriptura approbat. Vnde Deut. 22. 24. & seqq. cum distinxisset inter compressionem puellæ desponsatæ fa- *XVI. Quid in casibus dubium faciendum sit.*

tæ factam in civitate & factam in agro, sancit, si facta sit in agro solum scortatorem puniendum esse: *clamaverit enim*, inquit, *puella, nec fuerit qui servaret eam.* Ad quem locum Lyranus: *Lex interpretatur factum in meliorem partem, scil. quod puella clamaverit & cognita fuerit per violentiam. Et ex hoc habetur argum. quod dubia sint in mitiorem partem interpretanda.* Hæc ille. Nec obstat quod sæpius fallimur quum mitiorem partem eligimus quam quum pejorem: melius enim est frequenter falli & bonam opinionem fovere etiam de homine malo, quam rarius falli & male de viro bono suspicari, cum hoc cum injuria proximi conjunctum sit, illud non item, ut docet Thom. 2.2.qu. 60.art.1.ad 1.

XVII. *Cajet. sententia.* Equidem Cajetan. l.d. censet imprudentiæ esse, ubi nihil certi appareat, in alterutram partem animum impellere, adeoq; non positive sed negative id intelligendum esse, quod dubia in meliorem partem interpretanda sint, ita scilicet non ut alterutri parti adsensum præbeas, sed ut judicium suspendas. Unde Christum Matth. 7.1. ait, non dixisse ut in meliorem partem judicemus, sed ne judicemus, & Paulum ad Rom. 14.3, præcipere, tantùm, ut qui non manducat, manducantem ne iudicet. Sic Caietan. qui & hoc addit: si tamen omnino judicandum sit, & alterutri parti adhærendum, meliorem ideo eligendam, non quod bonũ sit sine certitudine ulli rei meliori quam peiori sententiæ. Verũ hæc omnia rectè confutat Soto lib. 3. de iust. q. 4. artic. 4. *Refutatur à Soto.* Nec dubium est quin non tantum non concessum sit

propter

propter dubia signa male sentire de quoquam mortalium, sed teneamur etiam optima, quantum res patitur, de omnibus præsumere, nisi interdum judicia in sequiorem partem nimiū vergant: tum enim nihil definire à judicio temperare sufficit. Nec impedit quod dicit Cajetanus, ubi res dubia est nullam causam esse quare uni parti assentiaris: ipsum enim jus naturæ ad assentiendum meliori parti & bonum præsumendum nos obligat quoties ratio manifesta non est quæ contrarium imperet. Vbi itaq; nulla certa caussa est quare malum suspiceris, bonum præsumendū omnino est. Itaq;, ut puto, diserte etiam docet locus ex Deuteron. allatus: etsi enim dubium est si puella extra urbem, ubi sola cum scortatore erat, compressa sit, an clamaverit & invita pudicitiam perdiderit nec ne, lex tamen divina jubet simpliciter eam absolvi & ita haberi quasi clamaverit sed à nemine exaudita sit. Nec magni momenti est quod Cajetanus obiicit, si uni parti adsensus in dubiis præbeatur errore intellectum nostra culpa implicari: nec enim error intellectus est quid per se malum in genere motum, nisi tum demum ubi appetitum & actiones nostras depravat. Adde quod etiam alias circa singularia contingentia parum ad ipsam scientiam interest, an verum falsum statuatur, cum nec perfectio intellectus in eorum cognitione posita sit. Hæc de prudentia judiciaria.

XVIII. Prudentia deliberativa.

Cæterum cum leges nec ferri possint nec ferantur de omnibus quæ in vita hominum occurrunt, sicut supra diximus, imo respiciant potius quid

consilia ea inveniantur & approbentur quæ optima sint & reip. ac vitæ mortalium universæ salutaria. Differt autẽ hæc pars prudentiæ à duab. cæteris, præcipuè à judiciaria: nam cum Nomothetica magnam affinitatem habet. Et sanè fieri potest, ut rectè quis intelligat quæ ad lites juxta legum normam decidendas pertinent, nec idem tamen quid aliàs utile sit reipublic. adeò exactè calleat. Equidem prius illud accuratâ legum, statutorum ac consuetudinum cognitione absolvitur, at posterius ex illis nullo modo peti potest aut decet, cum aut parum aut nihil de ijs præcipiant. Ita an bellum sit gerendum, an pax facienda; an fœdera & cum quibus pangenda, quomodo importentur res in regionẽ & exportentur, quomodo ipsa custodiatur & muniatur, unde reditus in promptu esse possint, & ærarium sufficiens, denique quomodo leges ferantur utiles ac observentur, & reprimantur vitia; quæ paulatim, cum resp. degenerare incipiunt, invalescere solent, &c. de quibus potissimum capitibus deliberari docet Aristoteles 1. rhet. cap. 4. hæc, inquam, talia legum peritia non suppeditat. Vnde magnus error nst, atq; is cum majori reipubl. pernicie conjunctis, quod vulgò persuasum hodie est, prudentiam judiciariam & senatoriam, (ita n. hæc altera vocari potest, quod senatus sit consultare; ut judicis est judicare) unam eandemque esse imò ipsam etiam jurisprudentiam cum hac coincidere. Nam sicut leges ad formam reip. accommodandæ sunt, non contrà hæc ad illas, ut dicitur 4. Pol. c. 1. ita etiam ex

Quid differat à reliqua prudentia.

Male confunditur cum judiciaria.

Tt præ-

præscripto legum de utilitate publica & sum
rei disceptari semper nequit.

XIX. *Unde petatur.* Petitur autem prudentia ista tum ex accur cognitione civilis doctrinæ; tam hujus quæ moribus agit, quam alterius qui de rep. & in κατ' ἐξοχὴν civilis dicitur, tum ex diligenti optin rũ historiarũ lectione. Primo, inquam, loco n cessaria est pars illa civilis facultatis quæ de m rib. tractat: ecquid enim sani consilii reip. is s gerat, qui ipse de virtute & honestate imò v omni ejusq; fine supremo pravè sentit, vel si ctè sentit, nec virtutem tamen & honestatem riò amat, aut factis exprimit? Secundo loco po politicam propriè dictam. Per hanc autem n intelligo notitiam tantum certi status, sed præ pta omnis generis optima de rep. feliciter adr nistranda, à cunctarum gentium sapientibus venta, & longo & usu confirmata: nam reliq illud absq; his aut nihil aut parum prodesse teft. Tertium est historia, omnium sanorum dicio nutricula unica imò anima politicæ. Ex ergò prudentia deliberativa petenda est. Qu cum itidem à plurimis hodie non observetur etiam ut licet respublicæ multis modis labore & in extremo propè sitæ sint, remedia tam frustra adhibeantur: nec enim principium n tollitur, quia aut ignoratur, aut cõtemnitur. N que verò fieri aliter potest quamdiu prosapiei & virtute calliditas, avaritia & injustitia de standa passim regnant. Sed ad institutum.

XX. *Optima de...* Prudentia itaq; deliberandi inde, ut dixin petitur, estq; deliberatio illa optima & sola v
moi

mortalium salutaris, cujus fundus est virtus & honestas: sicut contrà nihil solidæ prudentiæ habet, nec emp. fulcit, sed paulatim labefactat, qui alium finem sibi proponit, utut in principio sæpè non animadvertatur. Docent hoc non tantum & omni ævo docuerunt sapientes cuncti & Politici optimi quique, Pythagoras, Plato Arist. sed idem testantur omnes historiæ, & à condito orbe usque rerumpubl. ortus incrementa, inclinationes & interitus. Certè post homines natos ut gens aliqua præ cæteris extitit justa, continens, frugalis, fortis, ita fines suos nõ tantum tutata est facilè sed promovit insuper; & orbis universi imperium sæpenumero sibi paravit: contrà verò si qua in luxum & ignaviam se transdaret, & injustitiam sectaretur, convelli paulatim respub. cœpit, donec planè periret, & quæ longè latèque dominata antè fuerat, turpissimam servitutem subiret. Hoc pacto regnum Medorum ad Persas devolutum est, gentem pauperem antè & contemtam, sed virtutis in ista paupertate amantem. Ita Græcia totius orbis pars florentissima, imò aliquod olim compendium, cum virtuti & abstinentiæ majorum luxus, mollities & avaritia, veræ autem prudentiæ & honestati astutia; & injustitia cessissent, & civitates omnes inter se mutuis odiis & cæcâ rabie commisissent, calliditate Philippi Macedonis oppressa est. Nec ipsa Romana respubl. aut ad fastigium illud suum, quo majus in orbe nihil unquam extitit, ascendit, nisi cultu virtutis, fi-

liberatio cujus fungus est virtus & honestas.

Quibus studiis respub. emergant quibus item labefactentur, & pereãt.

dei & justitiæ, aut ab eo descendit postmodu & præceps lata est, nisi postquam Græcæ artes Asiaticus luxus sanctissimos mores longo tempore corruperant, & gentem masculam enervarant. Nec aliud quicquam ante unum & alteru seculum totum imperium orientale barbaric servituti subjecit, & tot tamq; olim cultas regiones planè subvertit.

——*Vbi* enim *non est pudor*
Nec cura iuris, sanctitas, pietas, fides,
Instabile regnum est; Senec. Thyeste.

Non potest resp florere citra justitiæ & virtutis studium.

Contra autem, ille Reip. status optabilis & firmus est, quo & privatim sanctè innoxieq; vivitur & publicè iustitia ac clementia vigent. Polybius lib. 6. Et ut experientia hoc non doceret, ratio ipsa tamen satis i simorum poterat, non potest enim vel perditi simorum latronum exercitus aliquis aggre quidquam aut se tueri, si non alijs tantùm, se sibi inter se quoque injuriam faciant; nedu sine justitia societas civilis, quęque benevivendi gratia coijt, salva esse queat, ut sapienter scrip Plato 1. de rep. in fine. Cic. lib. 2. offic. rem ita e pressit: *Tanta huius* (justitiæ) *vis est*, ait, *ut nec ij qu dem qui scelere ac maleficio pascũtur possint sine ulla pa ticula iustitiæ vivere.* Et Socrates execrari insup eum solebat, qui primus utilitatem ab honesta & justitia se junxisset: id enim querebatur cap esse exitiorum omnium, ut refert Cicero 1. de gibus, & ex 2. lib. Cleanthis de volupt. Clem. lexandrinus lib. 2. στρωματ. Confirmat h etiam ipsa Scriptura, imò nusquam non clam *Iustitia elevat gentem*; *miseros autem facit populos p*

cat

fatum, ut dicitur Proverb. cap. 14. 34. & *Regnum à gente in gentem transfertur, propter injustitias, & contumelias & diversos dolos*, ait ecclesiasticus c. 10. 8.

XXI. *Malè imperatur ubi non imperatur ad subditorum salutem.*

Cæterum justitia nulla esse potest nisi ubi ita imperatur, & eò consilia omnia referuntur, ut non illorum tantùm qui imperant, sed totius reipub. & singulorum utilitas spectetur & procuretur. *Vt enim gubernatori cursus secundus, medico salus, imperatori victoria: sic moderatori reip. beata civium vita proposita esse debet, ut opibus firma, copiis locuples, gloria ampla, virtute honesta sit*, quemadmodum scripsit Plato loc. cit. & ex eo Cic. cum in lib. de rep. tum ad Attic. l. 8. ep. 11. Quin hoc unicum differt imperium civile ab herili, & subditum esse à servitute, quod herus utilitatem propriam per se, servi per accidens tantùm spectat: princeps autem contrà commodum & salutem subditorum per se, suam per accidens, sicut id docet 8. polit. cap. 10. & ferè nusquam non inculcat Philosophorum & Politicorum omnium coriphæus. Verba sunt: Ὁ μὲν τύραννος τὸ ἑαυτοῦ συμφέρον σκοπεῖ, ὁ δὲ βασιλεὺς τὸ τῶν ἀρχομένων. Tyrannus suum ipsius commodum spectat & quærit, at rex subditorum: unde & 5 ethic. cap. 6. mercedem ijs qui præsunt reip. ait hanc deberi, decus & honorem, qui verò his contenti non sunt eos tyrannos fieri. Quod præclarè exponit etiã Xenophon. li. 3. de dict. & fact. Socratis. Ὁ βασιλεὺς inquit αἱρεῖται, οὐχ ἵνα ἑαυτοῦ καλῶς ἐπιμελεῖσθαι, ἀλλ' ἵνα καὶ οἱ ἑλόμενοι διὰ τοῦτον εὐπράττωσι. *Rex eligitur non ut sese molliter curet, sed ut per ipsum ij qui legerunt, benè beateque vivant.*

Quodnam imperium sit stabile. Et res manifesta est, ideò enim potentia & auctoritate instruuntur, ut noxam à subditis arceant: non ut ipsi inferant. *Pestifera vis est va'ere ad nocendum. Hujus demum magnitudo stabilis fundataque est, quem omnes tam supra se esse quàm pro se sciunt cujus curam excubare pro salute singulorum atq; universorum, quotidie experiuntur, quo procedente non, tanquam malum aliquod aut noxium animal è cubili prosiliret, diffugiunt, sed tanquam ad cla um ac beneficũ sidus certatim obijcere se pro illo mucronibus insidiantium paratißimi, & substernere corpora sua, si per stragem illi humanam iter ad salutem sternendum sit*, ut divinitus à Seneca scriptum est lib. 1. de clement. cap. 3. Nec minus præclara sunt, quæ cap. 5. subjungit: *Servare*, ait *proprium est exc llentis fortunæ, quæ nunquam magis suspici debet, quàm quum illi contingit idem posse quod Diis, quorum beneficio in lucem edimur tam boni quàm mali.* Et verò id esse Deum imitari ipsa Scriptura docet *is enim cum justus sit justè omnia disponit: ipsum quoque qui non debet puniri condemnare externum æstimat à sua virtute: virtus enim ejus justitiæ initium est, & ob hoc quod omnium Deus est omnibus se parcere facit*, ait l. Sapient. cap. 12. 15.

XXII. *Nonnullorum falsò dicta prudentia.* Hæc ergò, quàm dixi, natura & indoles est Prudentiæ senatoriæ, à qua immane quantum absint hodie qui nescio quæ sophismata & arcana rerumpublicar. nosse pro palmario veræ prudentiæ habent, atque in eo proram ac puppim omnium consiliorum collocant. Quæ prudentia cujusmodi sit ipse eventus docet: planè enim divinum quid & mirabile est, si quis hoc tempo-

tempore ipsam injustitiam justitiâ potiorem non putet, quemadmodum & suo tempore in Græcia contigisse Socrates conqueritur apud Platonem 2. de rep. imò generosa quædam stultitia censetur virtus & honestas, sicut justitiam Thrasymachus vocat 1. de republ. Vnde etiam fit, ut dum nemo non prudentiam civilem crepat, paulatim respublicæ prolabantur, & jugum exterarum nationum appropinquet. Nec possunt hæc emendari, nisi tandem ad veterem illam & veram prudentiam redeatur, quæ etsi & ipsa non ignorat arcana illa, honestatem tamen & justitiam ab ijs non sejungit, sed sicut par est, primò loco inculcat, ut hoc præclarè admodum non ita pridem ostendit vir longè doctissimus Daniel Heinsius peculiari ratione de civili sapientia, quò quia nos ad finem properamus, lectorem remittemus.

Ista igitur dicta sint de Prudentia, sine qua virtus moralis nulla esse potest, ut suo loco patuit; sicut contrà nec ipsa sine virtute morali: prudentis enim est rectè de omnibus & singulis judicare, quæ ad felicitatem vitæ ducunt. Iudicium autem tale, præsertim confirmatum, consistere nullo modo potest cum voluntate, & appetitu nondum satis subacto: habitus enim id requirit, ut de omnibus & perpetuò rectè judices, quod cum fit, ex proæresi malè agere non potes. Sanè vir prudens non exercet semper omnes virtutes morales, sed id propter defectum materiæ aut instrumentorum tantum fit, non ipsarum virtutum, sicut hæc om- XXIII. Epilogus.

nia Aristoteles docet lib.6.ethic.c.ult.& penul
Verùm de connexione virtutum moralium tà
inter se quàm cum prudentiâ plura hic dicend
erant,sed ea in aliud tempus reijcimus.

CAPVT V.

De Heroica virtute & Continentia.

SVMMARIA.

1 *Ratio ordinis.*
2 *Quid sit virtus heroica.*
3 *Quid feritas.*
4 *Quid continentia & incontinentia.*

1. *De quibus adhuc dicendum.* PErtractavimus hactenus universam ferè Pl losophiam moralem: restat tantum ut no nihil de heroica virtute,semivirtutibus & ami tia adhuc dicatur: sicut enim tria fugienda su in moribus,vitiū incontinentia&feritas,ita t quoq; sunt laude & commentatione in vita gna,virtus,continentia & indoles heroica.Ni autē vel heroica virtus differt à virtute simpli nisi quod excellentia ejus quædam est, vel fe tas à vitio,nisi quod excessus est enormitas qu dam vitii. Continentia porrò & omnes semiv tutes dispositiones quædam sunt ad virtutē p fectam,incontinentia quoq; & semivitia dis sitiones ad perfecta vitia.De amicitia verò qu hic agendum sit post dicetur.Sed quia ista om exceptâ doctrinâ de continentia, difficultat nullam habent, & jam superioribus paullò d tius immorati simus verbo tantum singula n perstringemus,præsertim quia sufficienter ab ristotele tradita sunt. He

Heroica igitur virtus, ut dixi virtus peculiaris non est sed ipsæ illæ, quas explicavimus, præsertim morales, si id fastigium in quoquam attingant quod raro solent: qui enim aut fortitudine aut mansuetudine, liberalitate, aut alia aliqua virtute ita emineat, ut supra captum humanum hoc esse videatur, heros dicitur fortitudinis heroicæ exempla passim occurrunt, præsertim in historia Romana ut non necessum sit ea enumerare. Temperantiæ heroicæ exemplum in Scipione Africano habet Valer. Maxim. l. 4. c. 3. & Plutarch. in apoph. regum & imperatorum, & in Zenobia fœmina Odenati Palmyrenorum principis conjuge Trebellius Pollio in triginta tyrannis, liberalitatis in Cimone Atheniensi Cornel. Nepos, mansuetudinis in Philippo Macedone, Seneca libro 3. de Ira cap. 3. item in Augusto Dio Cassius lib. 55. & Seneca de clemen. lib. 1. c. 9. & Tito Vespasiano, Suetonius in Tito c. 9. *Quid sit heroica virtus.*

Virtuti heroicæ opponitur feritas sive immanitas, tantus excessus in quoque vitio, ut non hominem sed belluam esse putes si quis eo se polluat. Ita bellluina intemperãtia est peccatum Sodomiticum, ut ipse Aristoteles disertè hoc docet 7. ethic. c. 5. tomo 39. crudelitatis autem ferinæ exempla aliquot vide apud Senecam 3. de ira, c. 15. 16. 17. & seqq. *III. Feritas.*

Porrò semi virtutes duobus nominibus continentiæ & tollerantiæ potissimum comprehenduntur, nisi continentia propriè dicta dispositio tantum est ad temperantiam. Sed de his Aristoteles integro ferè lib. 7. egit. & nos 7. disput. ad *IV. Continentia & incontinentia.*

Tt 5 Arist.

Aristot. quare illic vide. Quid autem intersit inter temperantiam & continentiam vide plura etiam apud Plutarch. lib. de virtut. morali.

CAPUT VI.
De amicitia.
SUMMARIA.

1 *Amicitiâ omnibus in vita opus esse.*
2 *Quid ea sit & quotuplex.*

1. *De amicitia.*

QVÆ ad vitam rectè & feliciter degendam necessaria sunt cuncta explicavimus sola amicitia excepta. Hæc autem etsi virtus non est, sed relatio tantum, magnam tamen cum ea affinitatem habet: certè vita felix sine hac esse nequit. Vnde Diogenes dicebat *qui saluus esse cupiat ei aut amicos optimos esse oportere aut inimicos infensissimos: illos enim docere quid facto in vita opus sit, hos redarguere si quid malefacias,* ut refert Plutarch, in libello ab amico quis discernere adulatorem possit. Et sanè ita res se habet, cujuscunque quis sive ætatis sive conditionis sit. Senes amicis indigent juvenibus, ut per eos gerant, quæ ipsi ob ætatem amplius non possunt. juvenes amicis senibus, ut ab ijs discant quid sectandum in vita sit: *quia enim viã aliquam iam confecerunt qua nobis etiam ingredienda est, audire ex iis oportet, ubi aspera & difficilis ubi item facilis sit ac pervia,* inquit Socrates apud Platonẽ 1. de rep. in initio. Nec tenuis tantum sortis homines opus habent à quibus subleventur interdum, sed ipsi etiam reges: ut rebus omnibus abundent, amicis opus habent. *Non exercitus*, dicebat Micipsa rex Nu-

Omnibus tam in vita esse necessariam.

Numidiæ ad filios jã morituros, *non thesauri, præsidia regni sunt, verum amici, quos neque armis cogere neque auro queas parare officio & fide parantur.*

Cæterum quid sit amicitia & quotuplex, quomodo item contrahatur & distrahatur Arist. l. 8. & 9. exposuit. Est autem benevolentia mutua nõ latens propter unum aliquod eorum quæ amabilia sunt, & primo triplex honesta, utilis & jucunda, maximè tamen nomen & ratio ejus primæ speciei competit. Deinde est amicitia alia simpliciter ita dicta quæ est inter pares, alia secundum quid sive amicitia secundum excellentiam inter impares, puta principem & subditum, parentem & liberos, uxorem & maritum. Sed hæc omnia peti ex Aristotele, aut ex disputationibus ad eum nostris possunt. II. *Quid sit amicitia.* *Quotuplex.*

CAPUT VII.

EPILOGUS.

Perduximus itaque ad finem universam hanc disciplinam, quem antequam ei imponamus unum adhuc præcipuè & cum primis observandum restat. Tradita hæc ita sunt quanta nunc fieri diligentia potuit ex omnis generis optimis auctoribus. Et spero rem ipsam lectores docuisse, & docturam posthac uberrimè quantum quæ allata sunt ad omnem veram eruditionem conferant, præsertim ad Theologiæ & civilis ac Iurisprudentiæ studia. Nec tamen is finis precipuus est ut scientiâ animum instruant, sed sicuti opportunè id hic in calce Phi- I. *Epilogus.*

Philosophus inculcat, *ut vitam juxta praecepta il* *Epictetus.* *quantum fieri potest ad unum omnes seriò componam* contra quàm vulgò hodie fieri consuevit. T *sunt in Philosophia loci*: inquit Epictetus enchirid cap. 26. *unus, qui docet uti ijs quae rectè de vita decr sunt, alter qui demonstrat quae sint decernenda, tertius modum demonstrandi tradit. At primus ille maximè cessarius est, & in eo tantum conquiescendum.* Nos veri *tertio loco immoramur, in eoque omne studium nostr consumimus, primum autem prorsus negligimus. Proi mentimur quidem, quomodo autem demonstretur non mentiendum, in promptu habemus.* Ita Epictetus. N *Seneca.* sanè est *Philosophia populare artificium aut ostentati paratum: non in verbis, sed in rebus est, nec in hoc adhibe ut aliqua oblectatione dies consumatur, ut dematur nausea: animum format & fabricat, vitam disponit, ac nes regit agenda & omittenda demonstrat, sedet ad gul naculum & per ancipitia fluctuantium dirigit curs sine hac nemo securus est: innumerabilia accidunt sing horis quae consilium exigunt quod ab hac petendum est;* quit Seneca epi. 16. Unde *nulli pejus*, dicente dem ep. 108. *merentur de omnibus mortalibus, quā Philosophiam velut aliquod artificium venale didice qui aliter vivunt quàm vivendum esse praecipiunt: exer enim seipsos inutilis disciplinae circumferunt nulli non quod insequuntur obnoxii. Non magis mihi potest, in talis prodesse praeceptor quàm gubernator in tempe nause abundus.* Unde rectè censebat Macedo losophus apud Agell. 12. cap. 8. *pro foribus omn templorum* (nos auditoriorum dicemus) *versu stum scribi debere: Ego odi homines ignatos opere. Phi phica sententia nihil enim fieri posse indignius,* ajeba

Mali de hominibus merentur, qui Philosophiam ut artificium discunt.

Macedonis Philosophi dictum.

que intolerantius quam quod homines ignavi & desides, operti barba & pallio, mores & emolumenta Philosophiæ in linguæ verborumque artes converterent, & vitia facundissimè accusarent, intercutibus ipsi vitiis madentes. Et rursus Seneca ep. 106. *In supervacuis subtilitas teritur, non faciunt bonos ista sed doctos. Apertior res est sapere, imò simplicior. Paucis opus est ad mētem bonam literis. Sed nos ut cætera in supervacuum diffundimus ita philosophiā ipsam. Quemadmodū omniū rerū sic literarum quoque intemperantiâ laboramus: nō vitæ sed scholæ discimus.* *Non vitæ, sed scholæ discitur.*

Et pertinent huc disputationes & quærelæ Socratis, quas apud Platonem & Xenophontem nusquam non ingeminat dæmonium illud hominis contra temporis sui sophistas; quod cum pessimè ipsi viverent, aliis tamen artē benevivēdi pollicerentur. Idē egregiè exagitat M. Tullius 6. Tuscul. *Quotusquisq;*, inquit, *doctor invenitur qui sit ita moratus, ita animo ac vita constitutus, ut ratio postulat, qui disciplinā suam nō ostentationem scientiæ sed legem vitæ putet, qui obtemperet ipsi sibi, & decretis suis pareat? Videre licet alios tanta levitate & iactatione, iis ut fuerit, non didicisse melius, alios pecuniæ cupidos, gloriæ nōnullos, multos libidinum servos, ut cum eorum vita mirabiliter pugnet oratio. Quod quidem mihi videtur esse turpissimum: ut enim si grammaticum se professus quispiam barbare loquatur, aut si absurde canat is qui se haberi velit musicum: hoc turpior sit quod in eo ipse peccet cuius profitetur scientiam: sic Philosophus in ratione vitæ peccans, hoc turpior est quod inofficio cuius magiter esse vult labitar, artemque vitæ professus delinquit in vita.* Hæc ille: quibus verius nihil vel ex tripode dici poterat. Nec abludit ipse Philosophus 2. ethic. cap. 4.

11. Socrates.

M. Tull.

Aristot.

Aristot. c. 4. *Qui hac non agit nunquam evasurus est bonus. rum plerique hoc quidem non agunt, ad sermones au confugientes sese philosophari putant & studiosos hoc modo, atq; perinde ut ægroti faciunt qui medicosqui diligenter aud iunt, nihil autem eorum agunt quæ præ untur ab illis. Ut igitur illis corpus non bene se habebit ita curantur sit nec his animus planè, si ita philosopar*

Seneca. Et iterum Senec. ep. 71. *Quemadmodum lana qu colores semel ducit, quosdam nisi sæpius macerata & cocta non perbibit: sic alias disciplinas ingenia cum acc reprotinus præstant, hæc nisi altè descendit & diu sedi nimium non coloravit sed infecit, nihil ex his quæ pro rat, præstat.* Sed audiamus etiam sapientissim

Tyrius. Tyrium *Vulgi quidem vota ac fastidia*, inquit di 5. *nihil necesse est referre (non magis quàm pecudun brutorum mehercule) ipsos verò doctos meritò accus infelices judices, qui cum nihil aliud iactent quàm pru tiam, rectè vivendi modum usumq; rationis, nondu men temperare sibi possunt quin secum partim, parti aliis rixentur ac de vitæ genere quam ingressuri sint tendant. Qui idem mihi aggredi videntur quod gube tores solent, qui cum omnia quæ ad adnavigationem tinent diligenter præparaverint, navim maximam, a ratum firmissimum, instrumentorum copiam, nauta obsequium, accuratam artis peritiam, aptumq; sabur mus, in ipsa tamen navigatione errant, nec satis quò dem sit inveniunt cum multos quidem portus videant lum tamen certum.* Hactenus Tyrius.

Qui si eos accusat qui nimium altercant fine vitæ & summo bono, interim ad vita psam nihil eorum conferebant, quid d

censeat, qui cum universam civilem prudentiam animo conclusisse videantur; vilissimo tamen quovis calone pejus sæpe vivunt: & profectò *ista causa est*, quare ut Seneca loquitur, *Philosophiæ nigra sint*, & universa litteratura apud indoctos infamis. Eudamidas quidam Archidami filius, Agidis frater Laco; videns aliquando in Academia Xenocratem jam grandem natu cum discipulis philosophantem, quæsivit quisnam esset iste senex: cum responderetur sapientem esse, unumq; eorum qui virtutem quærerent: & *quandò* ait, *utetur ergo virtute si eam etiam nunc quærit*? Plutarch. in apophth. Lacon. cap. 58. Nihil appositè magis dici poterat de nostris hominibus; etsi Xenocratem Lacon iste immeritò ridebat, hominem tanta fide, ut Athenienses in judicio etiam injurato crediderint, tantæ abstinentiæ, ut quinquaginta talenta Alexandro magno, nec minorem pecuniæ summam Antipatro regi ultro remiserit. Cicero 5. Tuscul. Diog. Laert. in Xenocrate Plutarch. in Alexand. imò tam spectatæ virtutis apud omnes, ut *postquam prælio cum Antipatro infeliciter gesto in discrimen libertatis Athenienses venissent, ipsum cum Phocione ad æquas pacis conditiones imperandas populus ideo solum ablegaret, quod neminem hominum, ita libidine, ira, aut crudelitate censerent teneri posse, quin eius verecundia moveretur*. Plutarchus Phocione.

Caussa quare studia contemnãtur quod vitam nemo ex iis.

Longe optimo autem jure Cajus Marius Patritiis nonnullis Romanis sui temporis Græcæ Philosophiæ, & linguæ studium sine virtute ex- *IV. C. Marius.*

te exprobrabat apud Sallustium in Jugurth *Græcas literas* inquit, *non didici, parum placebat discere, quippe quia ad virtutem doctoribus nihil profue At illa multo optima reip. doctus sum, hostes ferire, p sidia agitare, nihil metuere nisi turpem famam, hyem & æstatem iuxta pati, humi requiescere, e. dem temp inopiam & laborem tolerare.* Nec dissimulari pot aut debet ; nisi rectè tractes studia plerumq fieri juxta illud Anaxarchi, quod refert Cleme Alexandrinus Stromat. 1 *multa eruditio est ut iu eum qui possidet, est ut damno etiam afficiat.* Na quorsum faciant illæ nihil sanantes literæ ? C rè Zeno Stoicorum princeps de Indis dicere lebat, *malle se unum eorum videre qui torreatur, qu omnes demonstrationes de molestiis sufferendis legere:* nuebat autem animi constantiam & æquitate qua illi mortem subirent, qua de re legatur Pl archus in vita Alexandri. Nec alia causa quare Socrates, Plato & Stoici omnes statua non tantùm omnes ferè ca teras disciplinas n li rei esse, nisi vitæ integritas eis respondeat : illas ad hanc tanquam ultimum finem respice debere. Docet hoc tota epist. 88. Senec. & C bes Thebanus in tabula ubi ψευδοπαιδείαν rhet rum ac poetarum perstringit. Hinc etiam Sto comparabant philosophiam agro *qui sepem ha ret Logicam, fructum* τὸ ἠθικὸν, *terram & arbore* φυσικὸν, ut Diog. Laert. in zenone narrat.

Litteræ nihil sanantes nulli usui sunt Zeno

Socrates. Plato. Stoici.

V. S. Marinus.

Hæc paulò pluribus explicavimus, ut qui quid ab his studijs expectandũ sit rectè statu Id ergo operam demus unicè, ut *cum multi*

die sunt, utor verbis S. Maximi Martyris, *qui verbis obtundant, admodum autem pauci qui opere ipso vel erudiant alios, vel ipsi erudiantur, inter hos non illos simus.* Nec dignum tantum hoc nobis est qui docti esse volumus, sed necessarium etiam qui Christiani, & hoc magis, quo rectius ista omnia intellexerimus juxta illud: *Servus qui voluntatem Domini noverit & non fecerit: multis plagis cadetur.* Certè enim & hæc est voluntas Dei, ut non tantum pie sed sobrie & juste vivamus; imò pietas ipsa virtutem non fucatam includit. Quomodo autem id fiat D. Augustin. egregie docet libr. 2. de ordine cap. 8. *Vita beata studiosis,* inquit, *ità vivendum est, ut à Venereis rebus, ab illecebris ventris & gutturis, ab immodesto corporis cultu & ornatu, ab inanibus negotiis ludorum, à torpore somni atque pigritiæ, ab æmulatione, obtrectatione, invidia, ab honorum potestatumque ambitionibus, ab ipsius etiam laudis immodicâ cupiditate se abstineant, amorem autem pecuniæ totius suæ spei certissimum venenum esse credant, nihil eneruiter faciant, nihil audacter; in peccatis autem suorum vel pebant omnino iram, vel ita frenent ut sit pulsæ similis, neminem oderint, nullá vitia non curare velint: magnopere observent, cum vindicant, nec nimium sit, cum ignoscunt ne parum, nihil puniant quod non valeat ad melius, nihil indulgeant quod vertat in peius: suos putent omnes in quos sibi potestas data fuerit: ita serviant, ut eis dominari pudeat, ita dominentur ut eis servire delectet: in alienorum peccatis molesti non sint invito, inimicitas vicent cautißimè, ferant æquißimè, finiant citißimè: nemini faciant quod pati nolunt: remp. nolint administrare nisi perfecti, perfici autem vel intra ætatem senatoriam* *B. Augustini admonitio.*

dei & justitiæ, aut ab eo descendit postmodun & præceps lata est, nisi postquam Græcæ artes & Asiaticus luxus sanctissimos mores longo tempore corruperant, & gentem masculam enervarant. Nec aliud quicquam ante unum & alterun seculum totum imperium orientale barbaricæ servituti subjecit, & tot tamq; olim cultas regiones plane subvertit.

——Vbi enim *non est pudor*
Nec cura iuris, sanctitas, pietas, fides,
Instabile regnum est; Senec. Thyeste.

Non potest resp florere citra justitiæ & virtutis studium.

Contra autem, ille Reip. status optabilis & firmus est, in quo & privatim sanctè innoxieq; vivitur & publicè iustitia ac clementia vigent. Polybius lib. 6. Et ut experientia hoc non doceret, ratio ipsa tamen satis ic[...] simorum poterat, non potest enim vel perditissimorum latronum exercitus aliquis aggred[...] quidquam aut se tueri, si non alijs tantùm, se[...] sibi inter se quoque injuriam faciant; nedur[...] sine justitia societas civilis, quęque benevivenc[...] gratia coijt, salva esse queat, ut sapienter scrips[...] Plato 1. de rep. in fine. Cic. lib. 2. offic. rem ita ex[...] pressit: *Tanta huius (*justitiæ*) vis est*, ait, *ut nec ij qui[...] dem qui scelere ac maleficio pascũtur possint sine ulla par[...] ticula iustitia vivere.* Et Socrates execrari insupe[...] eum solebat, qui primus utilitatem ab honesta[...] & justitia se junxisset: id enim querebatur capi[...] esse exitiorum omnium, ut refert Cicero 1. de l[...] gibus, & ex 2. lib. Cleanthis de volupt. Clem. A[...] lexandrinus lib. 2. στρωματ. Confirmat h[...] etiam ipsa Scriptura, imò nusquam non clama[...] *Iustitia elevat gentem; miseros autem facit populos p[...] cat[...]*

fatum, ut dicitur Proverb. cap. 14. 34. & *Regnum à gente in gentem transfertur, propter injustitias, & contumelias & diversos dolos*, ait ecclesiasticus c. 1. o. 8.

Cæterum justitia nulla esse potest nisi ubi ita imperatur, & eò consilia omnia referuntur, ut non illorum tantùm qui imperant, sed totius reipub. & singulorum utilitas spectetur & procuretur. *Vt enim gubernatori cursus secundus, medico salus, imperatori victoria: sic moderatori reip. beata civium vita proposita esse debet, ut opibus firma, copiis locuples, gloria ampla, virtute honesta sit*, quemadmodum scripsit Plato loc. cit. & ex eo Cic. cum in lib. de rep. tum ad Attic. l. 8. ep. 11. Quin hoc unicum differt imperium civile ab herili, & subditum esse à servitute, quod herus utilitatem propriam per se, servi per accidens tantùm spectat: princeps autem contrà commodum & salutem subditorum per se, suam per accidens, sicut id docet 8. polit. cap. 10. & ferè nusquam non inculcat Philosophorum & Politicorum omnium coriphæus. Verba sunt: Ὁ μὲν τύραννος τὸ ἑαυτῷ συμφέρον σκοπεῖ, ὁ δὲ βασιλεὺς τὸ τῶν ἀρχομένων. Tyrannus suum ipsius commodum spectat & quærit, at rex subditorum: unde & 5 ethic. cap. 6. mercedem ijs qui præsunt reip. ait hanc deberi, decus & honorem, qui verò his contenti non sunt eos tyrannos fieri. Quod præclarè exponit etiā Xenophon. li. 3. de dict. & fact. Socratis. Ὁ βασιλεὺς inquit αἱρεῖται, οὐχ ἵνα ἑαυτοῦ καλῶς ἐπιμελεῖσθαι, ἀλλ' ἵνα καὶ οἱ ἑλόμενοι διὰ τοῦτον εὐπράττωσι. *Rex eligitur non ut sese molliter curet, sed ut per ipsum ij qui legerunt, benè beateque vivant.*

XXI. *Malè imperatur ubi non imperatur ad subditorum salutem.*

Quodnam imperium sit stabile. Et res manifesta est, ideò enim potentia & auctoritate instruuntur, ut noxam à subditis arceant: non ut ipsi inferant. *Pestifera vis est valere ad nocendum. Hujus demum magnitudo stabilis fundataque est, quem omnes tam supra se esse quàm pro se sciunt, cujus curam excubare pro salute singulorum atq; universorum quotidie experiuntur, quo procedente non, tanquam malum aliquod aut noxium animal è cubili prosiliret, diffugiunt, sed tanquam ad clarum ac beneficũ sidus certatim objicere se pro illo mucronibus insidiantium paratissimi, & substernere corpora sua si per stragem illi humanam iter ad salutem sternendum sit*, ut divinitus à Seneca scriptum est lib. 1. de clement. cap. 3. Nec minus præclara sunt, quæ cap. 5. subjungit: *Servare*, ait *proprium est excellentis fortunæ, quæ nunquam magis suspici debet, quàm quum illi contingit idem posse quod Diis, quorum beneficio in lucem edimur tam boni quàm mali.* Et verò id esse Deum imitari ipsa Scriptura docet *is enim cum justus sit justè omnia disponit: ipsum quoque qui non debet puniri condemnare externum æstimat à sua virtute: virtus enim ejus justitiæ initium est, & ob hoc quod omnium Deus est omnibus se parcere facit,* ait l. Sapient. cap. 12. 15.

XXII. *Nonnullorum falsò dicta prudentia.* Hæc ergò, quàm dixi, natura & indoles est Prudentiæ senatoriæ, à qua immane quantum absint hodie qui nescio quæ sophismata & arcana rerumpublicar. nosse pro palmario veræ prudentiæ habent, atque in eo proram ac puppim omnium consiliorum collocant. Quæ prudentia cujusmodi sit ipse eventus docet: planè enim divinum quid & mirabile est, si quis hoc

tempo-

tempore ipsam injustitiam justitiâ potiorem non putet, quemadmodum & suo tempore in Græcia contigisse Socrates conqueritur apud Platonem 2. de rep. imô generosa quædam stultitia censetur virtus & honestas, sicut justitiam Thrasymachus vocat 1. de republ. Vnde etiam fit, ut dum nemo non prudentiam civilem crepat, paulatim respublicæ prolabantur, & jugum exterarum nationum appropinquet. Nec possunt hæc emendari, nisi tandem ad veterem illam & veram prudentiam redeatur, quæ etsi & ipsa non ignorat arcana illa, honestatem tamen & justitiam ab ijs non sejungit, sed sicut par est, primò loco inculcat, ut hoc præclarè admodum non ita pridem ostendit vir longè doctissimus Daniel Heinsius peculiari ratione de civili sapientia, quò quia nos ad finem properamus, lectorem remittemus.

Ista igitur dicta sint de Prudentia, sine qua virtus moralis nulla esse potest, ut suo loco patuit; sicut contrà nec ipsa sine virtute morali: prudentis enim est rectè de omnibus & singulis judicare, quæ ad felicitatem vitæ ducunt. Iudicium autem tale, præsertim confirmatum, consistere nullo modo potest cum voluntate, & appetitu nondum satis subacto: habitus enim id requirit, ut de omnibus & perpetuò rectè judices, quod cum fit, ex proæresi malè agere non potes. Sanè vir prudens non exercet semper omnes virtutes morales, sed id propter defectum materiæ aut instrumentorum tantum fit, non ipsarum virtutum, sicut hæc om- XXIII. Epilogus.

nia Aristoteles docet lib. 6. ethic. c. ult. & penul
Verùm de connexione virtutum moralium tàr
inter se quàm cum prudentia plura hic dicend
erant, sed ea in aliud tempus reijcimus.

CAPVT V.

De Heroica virtute & Continentia.

SVMMARIA.

1 *Ratio ordinis.*
2 *Quid sit virtus heroica.*
3 *Quid feritas.*
4 *Quid continentia & incontinentia.*

1. *De quibus adhuc dicendum.* PErtractavimus hactenus universam ferè Phi losophiam moralem: restat tantum ut non nihil de heroica virtute, semivirtutibus & amic tia adhuc dicatur: sicut enim tria fugienda su in moribus, vitiū, incontinentia & feritas, ita tr quoq; sunt laude & commentatione in vita d gna, virtus, continentia & indoles heroica. Nil autē vel heroica virtus differt à virtute simpli nisi quod excellentia ejus quædam est, vel fe tas à vitio, nisi quod excessus est enormitas qu dam vitii. Continentia porrò & omnes semivi tutes dispositiones quædam sunt ad virtutē pe fectam, incontinentia quoq; & semivitia disp sitiones ad perfecta vitia. De amicitia verò qu hic agendum sit post dicetur. Sed quia ista om exceptâ doctrinâ de continentia, difficultat nullam habent. & jam superioribus paullò d tius immorati simus verbo tantum singula nu perstringemus, præsertim quia sufficienter ab A ristotele tradita sunt. Her

Heroica igitur virtus, ut dixi virtus peculiaris non est sed ipsæ illæ, quas explicavimus, præsertim morales, si id fastigium in quoquam attingant quod rarò solent: qui enim aut fortitudine aut mãsuetudine, liberalitate, aut alia aliqua virtute ita emineat, ut supra captum humanum hoc esse videatur, heros dicitur fortitudinis heroicæ exempla passim occurrunt, præsertim in historia Romana ut non necessum sit ea enumerare. Temperantiæ heroicæ exemplum in Scipione Africano habet Valer. Maxim. l. 4. c. 3. & Plutarch. in apoph. regum & imperatorum, & in Zenobia fœmina Odenati Palmyrenorum principis conjuge Trebellius Pollio in triginta tyrannis, liberalitatis in Cimone Atheniensi Cornel. Nepos, mansuetudinis in Philippo Macedone, Seneca libro 3. de Ira cap. 3. item in Augusto Dio Cassius lib. 55. & Seneca de clemen. lib. 1. c. 9. & Tito Vespasiano, Suetonius in Tito c. 9. *Quid sit heroica virtus.*

Virtuti heroicæ opponitur feritas sive immanitas, tantus excessus in quoque vitio, ut non hominem sed belluam esse putes si quis eo se polluat. Ita belluina intemperãtia est peccatum Sodomiticum, ut ipse Aristoteles disertè hoc docet 7. ethic. c. 5. tomo 39. crudelitatis autem ferinæ exempla aliquot vide apud Senecam 3. de ira, c. 15. 16. 17. & seqq. *III. Feritas.*

Porrò semi virtutes duobus nominibus continentiæ & tollerantiæ potissimum comprehenduntur, nisi continentia propriè dicta dispositio tantum est ad temperantiam. Sed de his Aristoteles integro ferè lib. 7. egit. & nos 7. disput. ad *IV. Continentia & incontinentia.*

Aristot. quare illic vide. Quid autem inter sit inter temperantiam & continentiam vide plura etiam apud Plutarch. lib. de virtut. morali.

CAPUT VI.
De amicitia.
SUMMARIA.

1 *Amicitiâ omnibus in vita opus esse.*
2 *Quid ea sit & quotuplex.*

1. *De amicitia.* QVÆ ad vitam rectè & feliciter degendam necessaria sunt cuncta explicavimus sola amicitia excepta. Hæc autem etsi virtus non est, sed relatio tantum, magnam tamen cum ea affinitatem habet: certè vita felix sine hac esse nequit. Vnde Diogenes dicebat *qui saluus esse cupiat ei aut amicos optimos esse oportere aut inimicos infensissimos: illos enim docere quid facto in vita opus sit, hos redarguere si quid malefacias*, ut refert Plutarch. in libello ab amico quis discernere adulatorem possit. Et sanè ita res se habet, cujuscunque quis sive ætatis sive conditionis sit. Senes amicis indigent juvenibus, ut per eos gerant, quæ ipsi ob ætatem amplius non possunt. juvenes amicis senibus, ut ab ijs discant quid sectandum in vita sit: *quia enim viã aliquam iam confecerunt quæ nobis etiam ingredienda est, audire ex iis oportet, ubi aspera & difficilis ubi item facilis sit ac pervia*, inquit Socrates apud Platonẽ 1. de rep. in initio. Nec tenuis tantum sortis homines opus habent à quibus subleventur interdum, sed ipsi etiam reges: ut rebus omnibus abundent, amicis opus habent. *Non exercitus*, dicebat Micipsa rex Nu-

Omnibus tam in vita esse necessariam.

Numidiæ ad filios jã morituros, *non thesauri, præsidia regni sunt, verum amici, quos neque armis cogere neque auro queas parare officio & fide parantur.*

II. Cæterum quid sit amicitia & quotuplex, quomodo item contrahatur & distrahatur Arist. l. 8. & 9. exposuit. Est autem benevolentia mutua nõ latens propter unum aliquod eorum quæ amabilia sunt, & primo triplex honesta, utilis & jucunda, maximè tamen nomen & ratio ejus primæ speciei competit. Deinde est amicitia alia simpliciter ita dicta quæ est inter pares, alia secundum quid sive amicitia secundum excellentiam inter impares, puta principem & subditum, parentem & liberos, uxorem & maritum. Sed hæc omnia peti ex Aristotele, aut ex disputationibus ad eum nostris possunt.

Quid sit amicitia.

Quotuplex.

CAPVT VII.

EPILOGVS.

I. Perduximus itaque ad finem universam hanc disciplinam, quem antequam ei imponamus unum adhuc præcipuè & cum primis observandum restat. Tradita hæc ita sunt quanta nunc fieri diligentia potuit ex omnis generis optimis auctoribus. Et spero rem ipsam lectores docuisse, & docturam posthac uberrimè quantum quæ allata sunt ad omnem veram eruditionem conferant, præsertim ad Theologiæ & civilis ac Iurisprudentiæ studia. Nec tamen is finis præcipuus est ut scientiâ animum instruant, sed sicuti opportunè id hic in calce Phi-

Epilogus.

Philosophus inculcat, *ut vitam juxta præcepta il*
Epictetus. *quantum fieri potest ad unum omnes seriò componam*
contra quàm vulgò hodie fieri consuevit. T
sunt in Philosophia loci: inquit Epictetus enchirid
cap. 26. *unus, qui docet uti iis quæ rectè de vita decr*
sunt, alter qui demonstrat quæ sint decernenda, tertius
modum demonstrandi tradit. At primus ille maximè
cessarius est, & in eo tantum conquiescendum. Nos verò
tertio loco immoramur, in eoque omne studium nostr
consumimus, primum autem prorsus negligimus. Proin
mentimur quidem, quomodo autem demonstretur non
mentiendum, in promptu habemus. Ita Epictetus. N
Seneca. sanè est *Philosophia populare artificium aut ostentatio*
paratum: non in verbis, sed in rebus est, nec in hoc adhibet
ut aliqua oblectatione dies consumatur, ut dematur o
nausea: animum format & fabricat, vitam disponit, acti
nes regit agenda & omittenda demonstrat, sedet ad gube
naculum & per ancipitia fluctuantium dirigit cursu
sine hac nemo securus est: innumerabilia accidunt singu
horis quæ consilium exigunt quod ab hac petendum est, in
Male de hominibus merentur, qui Philosophiam ut artificium discunt. quit Seneca epi. 16. Vnde *nulli pejus*, dicente e
dem ep. 108. *merentur de omnibus mortalibus, quã q*
Philosophiam velut aliquod artificium venale didicer
qui aliter vivunt quàm vivendum esse præcipiunt: exemp
enim seipsos inutilis disciplinæ circumferunt nulli non vit
quod insequuntur obnoxii. Non magis mihi potest, inqu
talis prodesse præceptor quàm gubernator in tempesta
Macedonis Philosophi dictum. *nausea abundus.* Vnde rectè censebat Macedo Ph
losophus apud Agell. 12. cap. 8. *pro foribus omniu*
templorum (nos auditoriorum dicemus) *versum*
stum scribi debere: *Ego odi homines ignatos opere. Philoso*
phica sententia nihil enim fieri posse indignius, ajebat, *n*

q

que intolerantius quam quod homines ignavi & desides, operti barba & pallio, mores & emolumenta Philosophiæ in linguæ verborumque artes converterent, & vitia facundissimè accusarent, intercutibus ipsi vitiis madentes. Et rursus Seneca ep. 106. *In supervacuis subtilitas teritur, non faciunt bonos ista sed doctos. Apertior res est sapere, imò simplicior. Paucis opus est ad mẽtem bonam literis. Sed nos ut cætera in supervacuum diffundimus ita philosophiã ipsam. Quemadmodũ omniũ rerũ sic literarum quoque intemperantiâ laboramus: nõ vitæ sed scholæ discimus.* *Non vitæ, sed scholæ discitur.*

Et pertinent huc disputationes & quærelæ Socratis, quas apud Platonem & Xenophontem nusquam non ingeminat dæmonium illud hominis contra temporis sui sophistas; quod cum pessimè ipsi viverent, aliis tamen artẽ benevivẽdi pollicerentur. Idẽ egregiè exagitat M. Tullius 6. Tuscul. *Quotusquisq;, inquit, doctor invenitur qui sit ita moratus, ita animo ac vita constitutus, ut ratio postulat: qui disciplinã suam nõ ostentationem scientiæ sed legem vitæ putet, qui obtemperet ipsi sibi, & decretis suis pareat? Videre licet alios tanta levitate & iactatione, iis ut fuerit, non didicisse melius, alios pecuniæ cupidos, gloriæ nõnullos, multos libidinum servos, ut cum eorum vita mirabiliter pugnet oratio. Quod quidem mihi videtur esse turpissimum: ut enim si grammaticum se professus quispiam barbare loquatur, aut si absurde canat is qui se haberi velit musicum: hoc turpior sit quod in eo ipse peccet cuius profitetur scientiam: sic Philosophus in ratione vitæ peccans, hoc turpior est quod inofficio cuius magiter esse vult labitur, artemque vitæ professus delinquit in vita.* Hæc ille: quibus verius nihil vel ex tripode dici poterat. Nec abludit ipse Philosophus 2. ethic. cap. 4. *11. Socrates. M. Tull. Aristot.*

Aristot. c. 4. *Qui hac non agit nunquam evasurus est bonus. rum plerique hoc quidem non agunt, ad sermones aut confugientes sese philosophari putant & studiosos hoc modo, atq; perinde ut ægroti faciunt qui medicos quid diligenter aud iunt, nihil autem eorum agunt quæ præci untur ab illis. Vt igitur illis corpus non bene se habebit, ta curantur sit nec his animus planè, si ita philosopant*

Seneca. Et iterum Senec. ep. 71. *Quemadmodum lana quo colores semel ducit, quosdam nisi sæpius macerata & cocta non perbibit: sic alias disciplinas ingenia cum accep re protinus præstant, hæc nisi altè descendit & diu sedit, nimium non coloravit sed infecit, nihil ex his quæ promi rat, præstat.* Sed audiamus etiam sapientissimu

Tyrius. Tyrium *Vulgi quidem vota ac fastidia*, inquit dise *5. nihil necesse est referre (non magis quam pecudum a brutorum mehercule) ipsos verò doctos meritò accuses, infelices judices, qui cum nihil aliud iactent quàm prude tiam, rectè vivendi modum usumq; rationis, nondum t men temperare sibi possunt quin secum partim, partim aliis rixentur ac de vitæ genere quam ingressuri sint co tendant. Qui idem mihi aggredi videntur quod guberna tores solent, qui cum omnia quæ ad adnavigationem pe tinent diligenter præparaverint, navim maximam, app ratum firmissimum, instrumentorum copiam, nautaru obsequium, accuratam artis peritiam, aptumq; saburræ mus, in ipsa tamen navigatione errant, nec satis quò eu dem sit inveniunt cum multos quidem portus videant, nu lum tamen certum.* Hactenus Tyrius.

Qui si eos accusat qui nimium altercantes d fine vitæ & summo bono, interim ad vitam i psam nihil eorum conferebant; quid de ij

cen

censeat, qui cum universam civilem prudentiam animo conclusisse videantur, vilissimo tamen quovis calone pejus sæpe vivunt: & profectò *ista causa est*, quare ut Seneca loquitur, *Philosophia nigra sint*, & universa litteratura apud indoctos infamis. Eudamidas quidam Archidami filius, Agidis frater Laco; videns aliquando in Academia Xenocratem jam grandem natu cum discipulis philosophantem, quæsivit quisnam esset iste senex: cum responderetur sapientem esse, unumq; eorum qui virtutem quærerent: & *quando* ait, *utetur ergo virtute si eam etiam nunc quærit*? Plutarch. in apophth. Lacon. cap. 58. Nihil apposité magis dici poterat de nostris hominibus; etsi Xenocratem Lacon iste immeritò ridebat, hominem tanta fide, ut Athenienses in judicio etiam injurato crediderint, tantæ abstinentiæ, ut quinquaginta talenta Alexandro magno, nec minorem pecuniæ summam Antipatro regi ultro remiserit. Cicero 5. Tuscul. Diog. Laert. in Xenocrate Plutarch. in Alexand. imò tam spectatæ virtutis apud omnes, ut *postquam prælio cum Antipatro infeliciter gesto in discrimen libertatis Athenienses venissent, ipsum cum Phocione ad aquas pacis conditiones imperandas populus ideo solum ablegaret, quod neminem hominum, ita libidine, ira, aut crudelitate censerent teneri posse, quin eius verecundia moveretur*. Plutarchus Phocione.

Causa quare studia contemnatur quod vitam nemo ex iis.

Longe optimo autem jure Cajus Marius Patritiis nonnullis Romanis sui temporis Græcæ Philosophiæ, & linguæ studium sine virtute ex-


IV. C. Marius.

die sunt, utor verbis S. Maximi Martyris, *qui verbis obtundant, admodum autem pauci qui opere ipso vel erudiant alios, vel ipsi erudiantur, inter hos non illos simus.* Nec dignum tantum hoc nobis est qui docti esse volumus, sed necessarium etiam qui Christiani, & hoc magis, quo rectius ista omnia intellexerimus juxta illud: *Servus qui voluntatem Domini noverit & non fecerit: multis plagis cadetur.* Certè enim & hæc est voluntas Dei, ut non tantum pie sed sobrie & juste vivamus; imò pietas ipsa virtutem non fucatam includit. Quomodo autem id fiat D. Augustin. egregie docet libr. 2. de ordine cap. 8. *Vita beata studiosis*, inquit, *ita vivendum est, ut à Venereis rebus, ab illecebris ventris & gutturis, ab immodesto corporis cultu & ornatu, ab inanibus negotiis ludorum, à torpore somni atque pigritia, ab æmulatione, obtrectatione, invidia, ab honorum potestatumque ambitionibus, ab ipsius etiam laudis immodica cupiditate se abstineant, amorem autem pecuniæ totius suæ spei certissimum venenum esse credant, nihil enerviter faciant, nihil audacter; in peccatis autem suorum vel pellant omnino iram, vel ita frenent ut sit pulsæ similis, neminem oderint, nulla vitia non curare velint: magnopere observent, cum vindicant, nec nimium sit, cum ignoscunt ne parum, nihil puniant quod non valeat ad melius, nihil indulgeant quod vertat in peius: suos putent omnes in quos sibi potestas data fuerit: ita serviant, ut eis dominari pudeat, ita dominentur ut eis servire delectet: in alienorum peccatis molesti non sint invito, inimicitias vitent cautissimè, ferant æquissimè, finiant citissimè: nemini faciant quod pati nolunt: remp. nolint administrare nisi perfecti, perfici autem vel intra ætatem senatoriam*

B. Augustini admonitio.

festinent, vel certè intra iuventutem: obsequantur dig etiam non hoc exspectantibus, superbos minus curent, x nimi sint, aptè congruenterque vivant. Hæc sanct simus Pater. Quem fructum ut ex his laborib percipiat quisque, faxit summus rerum moder tor, unus verus Deus, Pater, Filius, & sanct Spiritus, nec hoc tantum, sed idem etiam add quidquid est virtutum illarum longe perfecti rum, quas ipse suo verbo nos docuit & peculi riter ac divinitus in animum fidelium implu ut non honestè tantum, sed & pie ac sanctè ad oque ita hic vivamus, ut æternum etiam cun ipso simus. Cui soli esto honor & gloria.

FINIS LIBRI IV.



CONR

CONRADI HORNEII
ORATIO
De recte colendis Opt. artium & Philosophiæ moralis studiis, habita,
Cum ei Ethices Professio demãdaretur.

Magnifice Domine Prorector,

Viri Clarissimi & Excellentissimi, Patres Academici, Nobilissimiq; & Doctissimi Juvenes.

CVm duo sint studiorum genera, quibus præcipue ornatur & regitur vita hominum, unũ, ut scitis, dignitas sua commendat alterum utilitas. Nihil nobilius est rerum sublimium ac divinissimarum cognitione, ad quam quemq; nostrum non tam invitat, quam rapit natura nostra, cùm nemo rectè natus subducere se magis quam ipsi huic rerum universitati potest. Equidem, *inquit Romanorum sapientissimus*, tunc naturæ rerum gratias ago, cum illam non ab hac parte video quæ publica est, sed in secretiora eius intravi, cum disco, quæ universi materia, quis auctor aut custos, quid sit DEVS, totus in se intẽdat an ad nos aliquando respiciat, faciat quotidie aliquid, an semel fecerit. *NISI AD HÆC, ait, ADMITTERER NON ERAT OPERÆ PRETIVM NASCI. Egregie sane, maxima enim illa sunt, & quæ non tantùm hominem sibi asserunt, sed supra mortalem conditionem evehunt. Verùm enim*

Seneca præfat. in nat. quæst.

verò quanto intervallo hæc ſapientiæ pars , quæ non in terra ſed cœlis, non inter homines, ſed genios habitat; alteram illam poſt ſe relinquit, quæ actiones hominum moderatur, civili ſocietate præeſt, nec ſupra res humanas aſſurgit, tanto minus iſta carere homo poteſt. Quemadmodum enim in excelſum locum non excenditur niſi paullatim & per gradus, ita nec ad divina adſpirare licet, qui necdum homo ſit. Prius oportet ut mentis oculum è cœno barbariei emergas, quàm ad cœleſtia animum extollas. Nulli profectò rei eſt ſcire ſummum aliquem mundi rectorem eſſe & ſtupendum rerum omnium architectum.

-------qui lege moveri
Sidera, qui fruges diverſo tempore naſci,
Qui variam Phœben alieno juſſerit igne
Impleri, ſolemque ſuo, porrexerit undis
Litora, tellurem medio libraverit axe.

Nulli, inquam, rei iſta ſcis ſi illum non veneraris, ſi vitam ad præcepta, quæ ipſe digito ſuo mentibus noſtris inſcripſit non componis. Vix video quid ejuſmodi quiſquam à Diagora aliquo Melio aut Theodoro Cyrenaico monſtris hominum diſtet, qui Deum eſſe negabant, quid à Protagora qui an Deus eſſet dubitabat. Fruſtra miraris pulcherrimum iſtum ordinem ſiderum, & motuum in corporibus cœleſtibus perpetuam harmoniam, ſi animum geris ἀνάρμοστον: fruſtra obſervaſti, quicquid ſupra nubes & elementorum regionem natura poſuit, ſemper ſerenum eſſe, nec ventis nec tempeſtatibus quati, &, ut verbo dicam ſola illa in hoc orbe conſtare ſibi, & tranquilla eſſe, cum cætera inferiora toties vultum mutent, nunc rideant, nunc tonent, fulgurent, & ipſum, ut poetæ loquuntur, Iovem de cœlo

de cœlo ſæpe deducant, ſi idem in te non deprehendiſti, ſi neſcis ſolum animum, ut divinæ auræ particula eſt, ita ſtabile quid habere poſſe: corpus, & quæ corporis bona ſunt, opes, voluptatem & quicquid præterea infra animi nobilitatem natura abiecit, non poſſe: fruſtra denique totum iſtum mundum animo complexus es, ſi in temetipſum nunquam deſcendis; ſi te non excutis, ſi quid hominis in te ſit, corporis an animi dotes à brutis te dividant, ignoras. Nemo noſtrum eſt, auditores, quin ſi in magnæ cuiuſdam urbis civem incidat, qui angiportus & vicos eius omnes, ut ungues ſuos, nobis ediſſerat, interim quod domi ſuæ ſit, neſciat ac forte etiam notore opus habeat, ex quo diſcat, ubi habitet, nemo inquam noſtrum eſt, quin actutum de helleboro cogitaturus ſit, quo homo iſte caput purget. Quid iſtis præpoſteris ſapientiæ conſultis fiet, qui & ipſi, cum omnia ſciant, nihil niſi maxime neceſſaria ignorant: Sed hæc qui pluribus explicare velit ei magnus dicendi campus ſe facile pandat: nobis animus nunc non eſt vitam contemplativam cum activa contendere, nedum hanc ita commendare, ut illi derogatum quicquam eamus. Tantum in mentem revocare hac placuit, quæ apud omnes credo, certa habentur, & in confeſſo ſunt: nec enim puto quenquam, ſi recta via rem reputet, aut vita tam imperitum aut à ratione omni tam averſum eſſe, quin utraque ſtudia ſerio coniungenda nobis cenſeat, ſi quidem non Cyclopum vitam, ſed hominũ ſed Chriſtianorũ vivere velimus. Verũ hic aliud eſt, quod ſæpe cum de ſtudiis optimarum literarum & Philoſophiæ moralis cogitarem, ingenium meum exercuit, auditores, de quo etiam audire me doctiores & diſertiores ipſe malim, quam quicquam, præſertim in hoc ſummorum virorum ampliſſimo conſeſſu, proferre. Sed quia nunc huc conſcendi & partes di-

cendi aliquid de studiis illis non ultrò à me arrepta, sed in posita potiùs mihi sunt? quid illud sit, ut potero, exponam & limatissimo vestro judicio subjiciam, ea spe fretus ut si quid hac in re eruditionis aut facundiæ nobis de (deest autem plurimum) id vestra, viri clarissimi & j venes nobilissimi, benevolentia ac humanitas suppleat. autem, ut dixi, dubium nemini sit non magis aqua & ig vitam mortalium indigere, quàm ea sapientiæ parte, q virtute & morum honestate nos imbuit, illa verò à sapie tissimis viris omnibus seculis, tanto conatu, tamq; pulch animorum contentione, non tantum exculta fideliter, ad id fastigium perducta sit, ut post sacras scripturas (enim semper excipio) nihil requiri in hoc genere ampl posse videatur, qui quæso fit quod studia tàm præclara tà omnibus modis divi a, quæ primò quidem in Lyceo, in p ticu, in ambulacris nata, sed vita & rebus gerendis non tio aut umbræ à sapientibus dedicata erant ; è vita n pœnè exulant, & vix in scholarum cathedris conserva tur? quod, inquam literæ eæ quæ quondam vitæ magi erant, quæ belli domique in re privata & publica, utra paginam conficiebant, nunc ingeniorum tantum exe tia, & dispositionum ac clamationum materia factæ ut jam cultores suos plerumque doctiores à se, raró me res dimittant? Non inficior equidem quin potiùs serio g deo & nobis gratulor (absit enim ut de nobis ipsis desper aut malè ominer) esse etiamnum illustres animas, quæ ipsis literis ab adolescentia exultæ & innutritæ, earu pe res magnas & præclaras gerant, & virtute sua r publicam fulciant, sed pauci illi sunt quos æquus a *vit* [illegible] , *certè pauciores quàm in hac luce terar m esse par erat. Verùm nec novum id est nec primum fit , ut ipsa præceptorum copia , quæ aux*

hæc studia, & ad maturitatem perduxerat eadem post corrumperet nō suo sed hominum vitio, pridem & à multis sæculis hoc fatum harum literarum fuit. Quid celebrius omni ætate extitit Athenis, quæ ut Græcia universi pœnè orbis magistra olim audiebat, ita ipsa rursus erant τῆς Ἑλλάδος παίδευσις. Nusquam rectius, quantum quidem id natura duce fieri poterat, nusquam præclarius, de virtute, de vitæ officiis & felicitate aut universa hac eruditionis parte docebatur: orta enim ibi erant hæc studia, ibi adoleverant: nec plures ex toto orbe confluebant in Græciam qui aut Delphis aut ex Dodona oraculorum, quam qui Athenis sapientum resp. nsa peterent. Nec maior erat Athenarum doctrina quàm virtus quum illa ita tractabatur, ut non ad ostentationem comparata, sed virtutis incentivum in campis Marathoniis, ad Salaminem insulam, ad Mycalen montem esset. At postquam eadem iam instrumentum mollitiæ, & oblectamentum ignavorum hominum facta fuit, cum in theatris Athenienses manus moverent promptiùs quàm in præliis, universa hæc Philosophia prostituta est: tum nobis ars poetarum quoque quæ vitam humanam à feritate antea ad humanitatem, à vitiis ad honestatem traduxerat, deposita frontis severitate ac maiestate lascivire & delitias facere cœpit, tum quæ vitia antea insectebatur, virtuti in proscenio insidias struebat, tum nequissimus & petulantissimus Aristophantes iuventus, qui à pessimis nebulonibus Anyto & Melito ære conductus, publicè, applaudente populo, ipsum morum & vivendi publicum & unicum magistrum Socratem, virum innocentissimum & cuius nomen paullo antè non ut hominis virtute præditi, sed ut virtutis ipsius, imò boni cuiusdam genii inter homines commorantis, omnes usurpabant, aggrederetur, &

nequissimo dramate subverteret, quem accusatorum calumnia frustra hucusque impetierant. Quæ talia cum impune licerent quid mirum erat optimos mores in urbe non ita dudum sanctissima, non dico paulatim prolabi, aut gradu, sed præcipitio ruere & torrentis instar in deterius ferri? nec prohibere jam elegans illa literatura, aut ista tantopere deprædicata sapientia, quæ contracta ad paucos erat, potuit, quin in mediis Athenis cum Scythis aut Thracibus ex pari viveretur: imò peius: nam ne apud illos quidem talia fierent:

Quod genus hos hominum, quæve hos tam barbara mores
Permittat patria?

Iustin. lib. 2. *Atque hoc est quod rectè scripsit alicubi Trogus Pompejus sive ejus abbreviator potius Iustinus,* multa Scythis naturam dedisse quæ Græci longâ sapientum doctrinâ præceptisque Philosophorum consequi nequiverint. *Nempe ita fit quum pravè illæ literæ coluntur: pravè enim an colas, an nunquam attigeris, aut parum aut nihil interest. Et nostris quod Atheniensibus*

Val. Maxim lib 4. c. 5. *Lacedæmonius quidam olim occinit, cum viro confecta ætate, qui in theatrum fortè venerat, nemo eorum assurgeret, sed tamen Lacedæmoniorum legatos adsurgentes unanimiter omnes collaudarent:* Scire Athenienses quid rectum esset, sed non facere. *Videtis auditores, quam facilè hoc fieri possit, ut etiam ibi, ubi nec præcepta sapientiæ, nec admonitiones de virtute deesse poterant, non rectissimè semper vivatur, imo quam sæpe* culti mores incultæ barbariæ collatione superentur, ut proficiat plus in barbaris ignoratio vitiorum, quam in cæteris cognitio virtutis. *Quare ne frustrà nobis blandiamur, aut quum eruditionem sæculo nostro vindicamus,*

camus, de virtute etiam tantopere gloriemur: quorsum n. in promptu sunt omnis generis opt. notæ scriptores & sapientiæ doctores, quos è tenebris patrum & avorum memoriæ magni viri certatim denuò in lucem eruerunt, si vel contemnuntur. vel perverse tractantur? Non possunt profectò hac ratione vitam juvare magis,

Quam lippum pictæ tabulæ, fomenta podagrā,
Auriculas citharæ collecta sorde dolentes.

Quod si verò in pretio haberentur, quo debebant studia virtutum ac morum, & rectè colerentur, dubium non erat, quin facile illa tuerentur majestatis suæ pondus, & omniū de se expectationi abundè satis facerent. Quod quidem nemo præstabit, nisi accurate consideraverit, quænam causæ sint quare tam neglectim hodie à multis habeantur, & quid sit quod tam pravè tractentur. Sunt, autem, ut videtur præcipuæ quas aperiam. Principiò omnes literas humanitatis & sapientiæ convellit sine dubio id maximè, quod pauci studia nostra honestate hodie, plurimi utilitate metimur: ita enim fit plerumque ut quo quidq; in literis aut ad rem faciendam majus momentum habet, aut ambitioni servire potest, eò id eximium putetur magis & facilius cultorem sui atque admiratorem inveniat. Quotusquisque nunc à se impetrat ut gratuito sapere, gratis bonus esse velit? cauponamur litteras & virtutem, quam pretio nullo æstimari oportebat, imò quā nobilitas sua supra omne id collocarat:

Ἀρετὴ γὰρ τῶν ἐν ἀνθρώποις μόνη
Οὐκ ἐκ θυραίων τἀπίχειρα λαμβάνει, *Clem.*
Αὐτὴ δ᾽ ἑαυτὴν ἆθλα τῶν πόνων ἔχει. *Alex.*

Illa est omnis & unica fundi hujus calamitas. si quis planè dicere velit quod res est, στρωματεῦσ.

Οὐκ ἐμπλέκων αἰνίγματ᾽ ἀλλ᾽ ἁπλῶ λέγω.

Id postquam obtinuit ex illo ruere & retro sublapsa

referri Res sophiæ. *Nec verò fieri aliter poterat; ex quo enim tàm barbara, & tot modis homine indigna opinio, animos semel tanquam pestilens aliquod sidus afflavit,*
Pellitur è medio sapientia, vigeritur res.

Quidni enim vis sit, si animus quem imperare corpori oportebat, illi servire jubetur, sapientia & eruditio quæ affectuum & cupiditatum domina audiebat olim, illarum nunc naturæ mancipium fit? Vis, inquam, infertur nec dubium quin redūdet etiam in ipsum ejus auctorem injuria.

Aristoph. in Plut. *Ridet in comœdia herum suum servulus, & mente motum credit, quum ipsum clarè videntem ab homine oculis capto duci animadvertit. Erat autem dux ille tam bellus ipse hic omnium quidem iam olim, solâ tantum sapientiâ excepta, nunc etiam huius tyrannus, Plutus. Miratur inverti rerū ordinem, & senis sui furorem stupet, cui homo cæcus viam præeat quem rectiùs ipse manu duceret:*

Οἱ γὰρ inquit βλέποντες τοῖς τυφλοῖς ἡγούμεθα,
Οὗτος δ᾽ ἀκολουθεῖ.

Id ita miratur servus, & ut dixi, furorem interpretatur, Nos qui inter doctos haberi volumus, quibus supra vulgus & vernas sapiendi ipsa vita professio pœnè necessitatem imponit, ad cæci illius monstri pedes studia nostra & nosmetipsos abijcimus?
Dii talem à nostris animis avertite pestem.
Non est tanti hoc punctum temporis, quod vivimus, non tanti hoc corpusculum, tam fragile tam caducum, ut in eius gratiam potiore nostri parte nos ipsi multemus, virtutem, sapientiam, pietatem, & Deum ipsum deniq; infestū habeamus: profectò enim habent quicunque studia sua aut ambitione tantùm, aut auro terminant. Ne nunc dicam quàm miseri illi sint tum hac de causa, tum quòd quæ pro maximis bonis habent, citius plerumq; ipsos strangulant,

quàm

quam exatient. Suspirat ille in convivio, bibat licet gemmâ, & cum epulis marcidum corpus thorus mollior alto sinu condiderit, vigilat in pluma. Nec intelligit miser speciosa esse sibi supplicia, auro se alligatum teneri & possideri magis, quam possidere divitias. *Ita sub imperatore Pluto vivitur, si viro sanctissimo eidem atque eloquentissimo credimus. Nec in regno ambitionis alia rerum est facies, in quo ut quisque plus profecit, eò magis* — S. Cypr. li. 2. ep. 2

--------σῖναι

Ἢν μὴ ἐπὶ τῦ πρώτει καθίζηται ξύλυ.

Quosdam; *inquit ille*, cum in consummationem dignitatis per mille indignitates erepsissent, misera subiit cogitatio, ipsos laborasse in titulum sepulchri. Quorundam ultima senectus dum in novas spes, ut juventa, disponitur, inter conatus magnos & improbos invalida defecit. *Sed hos dimittamus, quorum* neque ulli, *ut veteris poetæ verbis utar*, vita propria in vitâ est. *Vnam optimarum litterarum & studiorum virtutis pestem ostendimus. Altera est & minor & sanabilior sed & illa ἐπιδήμιος.* Quanquam *enim* tam benè non agitur cum rebus mortalium ut meliora pluribus placeant: *sunt tamen Dei gratia qui sua ipsorum nobilitatis sibi conscii, innata aliqua mentis generositate primum istum scopulum facilè transmittunt. Sed hos alter plærumq; excipit, de quo nunc dicendũ est* Non *sufficit, ut scitis auditores, de fine actionũ nostrarũ rectè & prudenter statuere, ni & perspectũ habeas quâ viâ ad eum grassari oporteat. Pietas non fucata, vita honestas, vera virtus & prudentia, publicũ bonũ ac patriæ salus, hæc sunt ad quæ remis equisq; contẽdet quisquis rectè natus, re-* — Seneca de brevit. vit. c. 19.

ctè

ctè eductus est: maximè autem is cui olim respubl debebit aliquid: ab hoc eum instituto non voluptas, non opes, non ambitus, dimovebunt, imò citius solem à cursu, quàm tam nobi em animam à tam divino impetu abstrahes. Sed casu nihil horum obtingit, maiora sunt quàm ut fortunæ arbitrio hæc summum numen permiserit, aut à tam ignobili domina ea expectari voluerit. Pietas quidem, nisi Deo ipso doctore, rectè nunquā discitur: cætera hominum sapientum curis relicta sunt, qui quæ magno ingenii acumine, multo labore & vigiliis, plurimis vitæ huius fluctibus & tempestatibus iactati didicerunt, nos doceant. Sed hic Deum immortalem quantum hodie peccatur quando omnes ad unum fere veteres virtutis & prudentiæ magistros, quos ante tot secula in cultissimis quibusque gentibus constat aut ipsos rerumpubl. summa cum laude gessisse, aut iis qui gererent magnis principibus, ob sapientiam carissimos & familiarissimos fuisse, vix quisquā aspicit. sed pleriq; tanquam umbraticos doctores, philosophos cathedrarios, & vitæ hominū imperitos pædagogos contēnunt. Alias ducunt nunc esse vitæ rationes, alia tempora, aliis artibus nunc homines vivere, quas si ab orco redirent nec Plato nec Aristoteles caperent. Roma patrem patriæ Ciceronem libera dixit, *olim, sed nunc ille purus putus literator est Ipse etiā Iulius Cæs. & M. Antonius Impp. quod ille de bello Gallico, hic de vita sua commentatus aliquid est, credo periclitabuntur brevi, ne alter paludamento, alter purpura exutus, palliastro amicti è republ. ad φροντιστήρια ab istis veterum importunis censoribus amandentur. nedum aut Senecæ locus sit amplius, cui tamen cum Burrho primum illud Neronis quinquennium, tantum olim laudatum quantū vituperabatur reliquum eius imperium, Roma debuit, aut Maximo Tyrio, quem præceptorem M. Antonius agnoscit &* *pradi-*

M. Antonius de vita sua.

prædicat, Sed hæc persuasio à magna imperitia est, nec ita sentire quis potest, nisi qui in omni antiquitate puer est: neque enim credo nunc primum homines nati, nunc primum respubl. ortæ sunt. Si quædam alia sunt hodie instituta, alia iura, alij mores, si quid veterum inventis postera, & nostra etiam ætas adiecit, quid mirum? id tamē certum est nec quæ vitia olim erant nunc virtutes esse, neque nunc prudenter quicquam in vita geri nisi ex iis, quæ olim facta sunt, exemplū capiamus nobis quod ex usu sit. Non dicet jus prætor hodie nisi quæ iura nunc obtineant sciat: id antiquitas eum forte non docebit: sed idem ille iudicium intervertet, si auro corruptus sit, si iræ & amori plus quam iustitiæ tribuat quos morbos nihil rectius, quam veterum sapientum præcepta, pellent. Consultat hodie senator, sanè non de republ. Atheniensium, aut Lacedæmoniorum, non de orbis universi imperio, ut olim : vir bonus tamen si erit, non ambitum, non avaritiam in senatum adferet, sed totam ætatem in eo occupatam habuerit, ut contra hæc & similia vitia animum probè muniret: num quæso & hoc aliunde quam ex veterum monumentis haurire potuit? sed ad cætera propero. Vnum restat: sunt enim qui non negligent quidem optimos scriptores & hæc studia, sed eo tantum colunt ut sciant, ut vitâ autem exprimant vix centesimo in mentem venit. Dici non potest, auditores, quantum hic quoq; error studia ista adflixerit, quantum dignitati illorum delibarit : quid prosunt enim, *clamat ille,* istæ nihil sanantes literæ? *si æger est animus si medicinam ei paras, non contortis conclusiunculis, non eleganti & copiosâ oratione de virtute, de officiis, sed facto opus est:*

-----Οὐ πρὸς ἰατροῦ σοφοῦ
Θροεῖν ἐπῳδὰς πρὸς τομῶντι πήματι.

inquit ille apud tragicum. Est ira est voluptas, est dolor, sunt *Sophocl.*

alij iu.

Aiace flagell.

alii animi motus qui recta rationis imperium detrectant, compescendi isti & refrenandi à prima adolescentia, si aliquam in vita tranquilitatem speras: hic campus, hic circus est, in quo ut quisq; optimus est, ita totam ætatem decurrit, & sine missione pugnat. Sed nunc ita fit: ut canis ex Nilo fugiens bibit, ita vix in transitu hæ litteræ degustantur. pauci ad adyta earum se penetrant, pauci animum iis explent. Quod quia fit mirum non est, si plurimos qui didicisse videri volunt nihil iuvant. Nihil notius, nihil vulgatius est disputatione illa Philosophi, quam primo Ethicorum Nicomacheorum instituit de summo vitæ huius bono: idque non in voluptate, non in opum affluentia, non in honore sed virtutis actione situm esse nemo non in ore habet, si animi gratia hac de re disputandum fortè sit. At ubi jam ad rempubl. deventum est, quotusq; ita rem se habere credit? Certè si una tantum ista disputatio, quam egregia est & solida, tam facilè fidem sibi apud omnes faceret, præsertim qui ex otio hoc literario iam ad res gerendas in vita se conferunt, credite mihi, auditores, pridem hæc nostra priscum rediissent tempora in aurum. *Verùm quia non una hic sed duæ animi partes sunt, quæ medela opus habet, intellectus & appetitus, quorum ille rectis de vita honestate & virtute opinionibus, hic cupiditate exequendi quod honestū est, imbui debet, non sufficit hic sicut in contemplativa philosophia, illi tantum prospexisse. Neq; non tamen hac etiam in re veteres philosophi optimè nobis consuluisse videntur: duplici n. morbo duplex etiā remediorum genus excogitarunt, quod dogmaticum licet, & pareneticum voces. Qui dogmaticè tradunt hanc sapientiam id operam dant, ut rectè primo de omni vita sentias, quid sequendum, quid fugiendum accuratè noris, ideoque sententias discrepantes inter se conferūt, utra vera, utra falsa dispu-*

disputant & docent: absq; quo si sit rectè agere quicquam non licet. Qui verò paraenetica adferunt, id spectant, non tam ut disputent, & doceant nova, quam ut quae iam didiceris, ad ea te excitent, animent, & impellant, ne quae recta esse scis, aut contemnas, aut insuper habeas. Vtrumq; genus si conjunxeris nihil rectius fieri aut utilius potest,

——alterius sic
Altera poscit opem res & conspirat amicè.

In dogmatico quidem excelluit Pythagoras (quanquam hic nihil scripsit, sed eius discipuli si Plutarcho & Iosepho *credimus,) & sine pari Aristoteles: in utroq; Plato & Socrates: in paraenetico Stoici palmam tenent. Quid enim per* Deum *immortalem pulcrius, quid praeclarius, quid denique divinius esse potest illis tum dissertationibus tum cohortationibus Socratis apud Platonem, quid accuratius disputationibus Aristotelis in ethicis, quid maius &* ἐνεργέστερον *Stoica illa sublimi & virili sapientia in Seneca & Epicteto? quos si non superarunt, certè aequarunt ex academia etiam* Plutarchus *&* Maximus *Tyrius.* Hos *tam eximios auctores, & similes istis (omnes enim recensere nunc non licet) qui ab ineunte aetate cura cordiq; habuerit, eoque quo diximus modo familiares sibi reddiderit, illum profecto haec studia, in forum, in concionem, in senatum olim comitabuntur, virumque praestabunt ubique iustum, privatim & publice de multis bene merendi cupidum, & ut verbo omnia dicam, optimum & praeclarum in rep. civem. Poterant plura hac de re dici, sed nolo vestra, viri clarissimi, iuvenes praestantissimi, patientia abuti. Quod superest, inclutae huic Academiae* Iuliae *gratulor, quae haec & omnia optima studia tot iam annos tanta cum laude non excolit solùm, sed etiam contra irruentem denuo, ut videtur, barbariem fortiter & animosè propugnat,*

Plut. in vit. Alex. Ioseph. lib. 1. cont. Apion.

gnat, ut pauca in Germania hac nostra Academia eo nomine conferri cum hac nostra, nulla ei omnium præferri possit. Quod quam diu fiet, (fiet autem semper spero) nec ingenia deerunt, quæ ut nunc, ita olim quoq; hic magnâ frequentiâ discant ea quibus aliquando in ecclesiâ & rep. suo & plurimorum certissimo commodo felicissimè utantur. Equidem cum à prima adolescentia hic sub viris summis, præceptoribus meis, qui partim nunc cœtui beatorum pridem adscripti, partim adhuc, Dei gratia, huic Acad. ornamento, & rei litterariæ præsidio sunt, studiis istis incubuerim, ita ea amavi semper, ut quanquam exiguum est quod profecisse me intelligo, operæ me tamen pænitere nunquam possit; in quibus etiam plus studii nunc ponendum mihi erit, postquam Sereniss. Princeps noster Dn. meus clementiss. publicum docendi in hac Acad. munus clementissimè nuper mihi demandavit Deus Opt. Max. Sereniss. Principi nostro victoriam concedat & felicitatem. Acad tranquillitatem & otium, studiis autem tàm pietatis quàm Opt. artium prosperrimos successus faxit q; & iubeat, ut quicquid in iis opera collocatur, id omne sit tum sanctæ Ecclesiæ salutare tum reipublicæ utile.

F I N I S.

Senec. Herc. fur. v. 745.
——Sanguine humano abstine,
Quicunq; regnas: scelera taxantur modo
Majore vestra.

